This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Google

Jest to cyfrowa wersja książki, która przez pokolenia przechowywana byla na bibliotecznych pólkach, zanim zostala troskliwie zeskanowana przez Google w ramach projektu światowej biblioteki sieciowej.

Prawa autorskie do niej zdążyly już wygasnąć i książka stala się częścią powszechnego dziedzictwa. Książka należąca do powszechnego dziedzictwa to książka nigdy nie objęta prawami autorskimi lub do której prawa te wygasly. Zaliczenie książki do powszechnego dziedzictwa zależy od kraju. Książki należące do powszechnego dziedzictwa to nasze wrota do przeszlości. Stanowią nieoceniony dorobek historyczny i kulturowy oraz źródlo cennej wiedzy.

Uwagi, notatki i inne zapisy na marginesach, obecne w oryginalnym wolumenie, znajdują się również w tym pliku – przypominając dlugą podróż tej książki od wydawcy do biblioteki, a wreszcie do Ciebie.

Zasady użytkowania

Google szczyci się wspólpracą z bibliotekami w ramach projektu digitalizacji materialów będących powszechnym dziedzictwem oraz ich upubliczniania. Książki będące takim dziedzictwem stanowią wlasność publiczną, a my po prostu staramy się je zachować dla przyszlych pokoleń. Niemniej jednak, prace takie są kosztowne. W związku z tym, aby nadal móc dostarczać te materialy, podjęliśmy środki, takie jak np. ograniczenia techniczne zapobiegające automatyzacji zapytań po to, aby zapobiegać nadużyciom ze strony podmiotów komercyjnych.

Prosimy również o:

- Wykorzystywanie tych plików jedynie w celach niekomercyjnych
  Google Book Search to usluga przeznaczona dla osób prywatnych, prosimy o korzystanie z tych plików jedynie w niekomercyjnych celach prywatnych.
- Nieautomatyzowanie zapytań
  Prosimy o niewysylanie zautomatyzowanych zapytań jakiegokolwiek rodzaju do systemu Google. W przypadku prowadzenia badań nad tlumaczeniami maszynowymi, optycznym rozpoznawaniem znaków lub innymi dziedzinami, w których przydatny jest dostęp do dużych ilości tekstu, prosimy o kontakt z nami. Zachęcamy do korzystania z materialów będących powszechnym dziedzictwem do takich celów. Możemy być w tym pomocni.
- Zachowywanie przypisań
  Źnak wodny"Google w każdym pliku jest niezbędny do informowania o tym projekcie i ulatwiania znajdowania dodatkowych materialów za pośrednictwem Google Book Search. Prosimy go nie usuwać.
- Przestrzeganie prawa
  W każdym przypadku użytkownik ponosi odpowiedzialność za zgodność swoich działań z prawem. Nie wolno przyjmować, że skoro dana książka zostala uznana za część powszechnego dziedzictwa w Stanach Zjednoczonych, to dzielo to jest w ten sam sposób traktowane w innych krajach. Ochrona praw autorskich do danej książki zależy od przepisów poszczególnych krajów, a my nie możemy ręczyć, czy dany sposób użytkowania którejkolwiek książki jest dozwolony. Prosimy nie przyjmować, że dostępność jakiejkolwiek książki w Google Book Search oznacza, że można jej używać w dowolny sposób, w każdym miejscu świata. Kary za naruszenie praw autorskich mogą być bardzo dotkliwe.

Informacje o usłudze Google Book Search

Misją Google jest uporządkowanie światowych zasobów informacji, aby staly się powszechnie dostępne i użyteczne. Google Book Search ulatwia czytelnikom znajdowanie książek z calego świata, a autorom i wydawcom dotarcie do nowych czytelników. Caly tekst tej książki można przeszukiwać w internecie pod adresem `http://books.google.com/`

B 1,086,899

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARIES
THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
ARTES SCIENTIA VERITAS
1817

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARIES
THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
ARTES · SCIENTIA · VERITAS
1817

DK
402
.543
v.17

Editionum Coll. hist. Acad. lit. Crac. Nr. 58.

SCRIPTORES RERUM POLONICARUM.

Tomus decimus septimus

continet:

Historici diarii domus professae S. J. ad S. Barbaram Cracoviae annos decem 1620—1629.

Wydawnictwa Kom. hist. Akad. Umiej. w Krakowie Nr. 58.

PISARZE DZIEJÓW POLSKICH.

Tom siedemnasty

zawiera:

Dziennika domu zakonnego Tow. Jezusowego u św. Barbary w Krakowie lat dziesięć 1620—1629.

KRAKÓW.
NAKŁADEM AKADEMII UMIEJĘTNOŚCI.
SKŁAD GŁÓWNY W KSIĘGARNI SPÓŁKI WYDAWNICZEJ POLSKIEJ.
1899.

Editionum Collegii historici Acad. lit. Crac. Nr. 58.

SCRIPTORES RERUM POLONICARUM

Tomus decimus septimus.

Continet:

Historici diarii domus professae Societatis Jesu Cracovien annos decem 1620—1629.

FASCICULUS IV.

CRACOVIAE.
TYPIS UNIVERSITATIS JAGELLONICAE.
1899.

ydawnictwa Komisyi hist. Akad. Umiej. w Krakowie Nr. 58.

Wielewicki, Jan

Ks. Jana Wielewickiego T. J.

DZIENNIK

spraw domu zakonnego

O. Jezuitów u św. Barbary w Krakowie

od r. 1620 do r. 1629 (włącznie).

TOM IV.

ydanie Akademii Umiejętności w Krakowie z rękopisu ś. p. Stefana Muczkowskiego.

KRAKÓW.
CZCIONKAMI DRUKARNI C. K. UNIWERSYTETU JAGIELLOŃSKIEGO
pod zarządem Józefa Filipowskiego.
1899.

DK
402
.S43
v 17

294859

71 486A A A 30

PROEMIUM EDITORIS.

Ecce quartus iam fasciculus in lucem prodit Diarii historici a Joanne Wielewicki S. J. conscripti, decem annos complectens 1620 — 1629, codicis vero manuscripti paginas 210 (fol. 565 — 774).

Primus olim fasciculus, quem a. 1881 doctissimus Josephus Szujski edendum curaverat, codicis pag. 190 exhibuit, annos autem unum et viginti (1579 — 1599); fasciculus vero secundus et tertius, quos annis 1886 et 1889 promulgavimus, paginas 191 — 564 continent, annos vero viginti (1600 — 1619)[1]). Ex quo concludi licet, reliqua 649 folia manuscripti Wielewiciani, quae historiam ultimorum decem annorum (1630 — 1639) enarrant, vix aut ne vix quidem uno fasciculo colligenda fore.

Quod ad formam Diarii nostri argumentumque spectat ipsiusque Joannis Wielewicki vitam atque artem scribendi, utpote qui historias has usque ad ultimum vitae suae annum 1639 continuaret, iam in prolegomenis tertii fasciculi uberius disputatum est.

---

[1]) Scriptores Rerum Polonicarum, Tomus VII, editionum Collegii historici Academiae litterarum Cracoviensis nr. 19. Cracoviae a. 1881, continet Diarii Wielew. annos 21, ab a. 1579 — 1599.

Scriptores Rer. Polonicar. Tomus X., editionum Collegii histor. Acad. litter. crac. nr. 32. Crac. a. 1886, continet Diarii Wielew. annos 9, ab a. 1600—1608.

Scriptores Rer. Polonicar. Tomus XIV, editionum Collegii histor. Acad. litterar. Crac. nr. 43. Crac. a. 1889, continet Diarii Wielew. annos 11, ab a. 1609 — 1619.

Historiam decem annorum, quam nunc publici iuris fecimus, scribebat Wielewicki eo tempore, quo secunda vice Praepositi munus in Domo Professa ad S. Barbaram agebat, Cracoviam d. 10 septembris 1629 Posnania reversus, ibique commoratus usque ad a. 1633, quod facile probari potest.

Narrans enim Beatum Joannem Berchmanum S. J. a. 1621 d. 13 julii diem obiisse supremum, commemorat vitam quandam ipsius Antverpiae anno 1630 editam. Idemque enumerans Sacerdotes S. J., qui in Japonia die 10 augusti 1622 martyrium pro Christo passi sunt, laudat vitam Caroli Spinolae, Antverpiae 1630 editam. Res vero gestas anni 1625 non fuisse conscriptas nisi anno 1633, patet ex verbis, quae leguntur: »anno 1633 videbimus«.

Jam vero annis 1620 — 1622 prima vice Wielewicki munus Praepositi Domus Professae ad S. Barbaram exercebat hancque ob causam saepius ipsi sui mentio facienda erat in hoc fasciculo. Deinde vero anno 1622 in Congregatione provinciali Procurator Provinciae electus, die 12 junii Romam se contulit cum P. Matthaeo Zberowski, quem socium itineris habebat assignatum. Iter Romanum aggressus est die 5 sequentis mensis, quo tempore pestis grassabatur Cracoviae, P. Sigismundo Obricio interim vices eius explente. Qui tamen peste abreptus est, antequam Wielewicki mense januario sequentis anni (1623) Roma rediret, quam ob rem P. Matthaeus Bembus munus Praepositi Domus ad s. Barbaram per sequentes tres annos suscepit, Wielewicki autem Socium P. Provincialis Georgii Tyszkiewicz et Consultorem Provinciae agebat, donec a. 1625 Posnaniam mitteretur. Ibi Rectoris Collegii munere fungens, usque ad a. 1629 remansit.

De fontibus, quibus Wielewicki in conscribendis annalibus suis usus est, iam in proemio tertii fasciculi plura commemoravimus, hic nova quaedam subiungimus. Citantur igitur in fasciculo hoc quarto nonnulli alii fontes manuscripti, quorum prius mentionem non fecerat, nempe quatuor historiae Collegiorum: Calissiensis, Lublinensis, Posnaniensis et Varsaviensis, omnes, proh dolor! naufragio isto, quod Societas anno 1773 passa est, destructae vel saltem submersae, excepta una historia Collegii Posnaniensis, quae interitui feliciter erepta,

tandem his ultimis temporibus a Bibliotheca nostra Jagellonica comparata est. Unde licuit nobis hos »Annales Collegii Posnaniensis«, cum iis, quae Wielewicki ipso de instituto narrat, conferre et in notis criticis subiicere. Alios praeterea quatuor codices, qui olim ad Collegium Posnaniense pertinebant, hodie vero in nostra Bibliotheca Jagellonica asservantur, indicavi in nota, quae p. 12 invenitur.

Ea, quae Rempublicam Polonam spectant, narrat Wielewicki, more solito, fuse atque verbose. Itaque in hoc fasciculo omnes invenies maioris momenti eventus, puta: expeditionem Valachicam et cladem nostri exercitus ad Cecoram (1620), bellum Turcicum et celeberrimam victoriam nostrorum ad Chocimum reportatam (1621), seditionem Kozakorum Lissovianorum, confoederationem militum Leopoli factam (1622), conspirationem quorundam regni procerum contra regem Sigismundum (1624); bellum Livonicum cum Gustavo rege Suecorum (1620) feliciter coeptum et iteratis victoriis illustratum, attamen minus felici eventu (1629) finitum; irruptiones Tartarorum feliciter profligatas: comitia generalia, synodos provinciales cleri latini easdemque cleri rutheni — et alia plurima, quae enumerare longum sit, secundum ordinem chronologicum diligenter exposita.

Historia tandem urbis nostrae Cracoviae, qualis fuerit regnante Sigismundo III, vix apud alium scriptorem invenietur fusius atque uberius enarrata. Nam diligentissime Wielewicius omnem famem pestemque commemoravit, omnia incendia et inundationes, quae saepius urbem illis vexabant temporibus. Praeterea festivitates ac processiones publicas, funera celebriora et nuptias, rixas et contentiones sive inter cives atque nobilitatem, sive inter ordines singulos Reipublicae atque Capitulum et Societatem Jesu, omnia Wielewicki diligenter et strenue congessit in suas historias, summopere utiles et fecundas, si quis cognoscere velit mores atque indolem civium Cracoviensium procerumque Polonorum, qui sive in aula regia morabantur, sive ob causas publicas saepius in urbem conveniebant. Cum autem auctor noster Diarium suum ad usum Societatis suae privatissimum compilaret, neque oculis profanorum subiiciendum destinaret, sententias suas atque iudicia de primoribus regni, de episcopis et praelatis, de clero et monachis summa cum ingenuitate, absque ulla reticentia vel

haesitatione semper expressit. Immo etiam de singulis Societatis Patribus sententiam suam notabat libere atque aperte, quotiescunque eorum inobedientia, loquacitas vel minus cautus procedendi modus perstringenda erant Propterea saepius inveniuntur in nostro manuscripto singulorum nomina et expressiones nimis acerbae, superinducto atramento deletae. Quas correctiones P. Provincialis Gutteter Dobrodziejski fecisse videtur, postquam Wielewicki decessisset e vivis. Sed cum in indice, quem auctor confecit et manuscripto suo anteposuit, nomina omnia remanserint intacta, fere semper ea licuit restituere et typis mandare.

Ad historiam quoque litterariam Poloniae, praesertim asceticam et polemicam, multa affert Diarium nostrum scitu digna, praesertim cum libros, qui tunc temporis in lucem prodibant, tam polonos quam latinos, cum suis enumeret titulis scriptoresque, qui vel nomen suum reticuerant, vel alienum sibi usurpaverant, saepissimae latentes inquirat et manifestet.

Facile patet, quanti sit momenti Diarium Wielewicianum ad cognoscendam religionem, pietatem moresque sive laicorum sive cleri ecclesiasticorumque ordinum, qui Cracoviae tunc temporis existebant. Saepissime enim eorum mentio occurrit, praesertim cum quaedam aemulationes et contentiones fere semper inter ordines illos atque Societatem, vel etiam laicos intercederent.

Maximam tamen quarti fasciculi partem occupant rixae ac contentiones inter Universitatem studii Cracoviensis et Jesuitas, qui invita Academia scholas publicas studiumque generale in eadem urbe instituere conabantur. Unde gravissimae turbae atque tumultus iique sanguinosi oriebantur, maxime postquam Patres Societatis in Collegio ad S. Petrum scholas pro externis instituerunt. Nam iuvenes illas frequentantes plurimis gravissimisque afficiebantur iniuriis a studiosis Academiae, ita ut praesidium in arce collocatum saepius ad sedandas rixas vim et arma cogeretur adhibere. Cum tamen scholaris quisque tunc temporis suum portaret gladium, haud facile poterant milites praesidii sub imperio Capitanei Cracoviensis petulantiam iuventutis cohibere acciditque, ut die 13 junii 1625 Bartholomaeus Przepiorka (Ptaszyński), qui studiis in Academia Cracoviensi

ıcabat duxque erat tumultuantium, globo traiectus diem obiret su-
emum. Cuius funus ab Academicis maximo cum apparatu deduc-
m non parva causa fuit in Societatem odii concitandi et augendi,
ıxime quum eodem tempore numerosissimi libri contra Societatem,
ıtumeliis referti, a professoribus Academiae ederentur ad invidiam
Jesuitas conflandam. Qui libri pasquini, quamvis ab episcopis da-
ati et nonnunquam publice a carnifice combusti, nihilominus avide
nultis legebantur. Semper enim id, quod vetitum est, a malevolis
bono et vero habetur. Quo factum est, ut lites atque contentiones
ır Societatem et Academiam Cracoviensem Societati plura damna
incommoda, nullum fere usum fructumque afferrent.

Neque deerant inter proceres Polonorum atque nobilitatem ad-
sarii Societatis eiusque scholarum acerbissimi, quos inter ipse
ıceps numerandus, regis Sigismundi filius Vladislaus (postea rex
us nominis IV), qui teste ipso Wielewicki, a pueritia contra Socie-
ım ab instructore suo Ladislawski aversione imbutus, magis etiam
ıcitabatur contra eorum scholas Cracovienses a Stanislao Lubo-
ski, pincerna regio, et a Georgio duce Zbaraski, castellano Craco-
nsi, utroque Societati infensissimo. Inter nobiles vero erat Socie-
i inimicissimus Joannes Zborowski, ensifer regni, qui in comitiis
ni ordinem equestrem contra Jesuitas concitabat vehementissime.
que deerant inter praelatos adversarii, praesertim Officialis Craco-
nsis Joannes Zerzyński, omnesque fere religiosi Cracovienses ho-
iter de Jesuitis sentiebant.

Quo factum est, ut ipse rex Sigismundus, Societati amicissimus,
nesque summi protectores, de bono eventu scholarum dubitare
pissent, tot tantisque deterriti difficultatibus.

Inter Patres Societatis etiam erant multi iique praecipui, immo
Pater Generalis, qui rem bene perspectam habentes, non dubi-
ant a scholis Cracoviae aperiendis abstinendum esse. Erant ergo
versae sententiae, seu divisio linguarum in hoc negotio«, ut ipse
elewicki testatur (p. 293). Contrarium scholis Cracoviensibus fuisse
que ipsum Wielewicki, facile probari potest ex iis, quae nonnun-
ım aperte declarat.

Inter omnes constat Societatem iam anno 1598 voluisse ape-

rire studium generale Posnaniae in aedibus a palatino Calissiensi Potulicki comparatis, episcopo Posnaniensi et aliis proceribus Maioris Poloniae desiderantibus: »ut sicut Minor Polonia, ita et Maior suam habeat Academiam« — teste Wielewicki. Quod inceptum rex Sigismundus a. 1614 privilegio confirmavit suo. Sed inde ab hoc tempore animum mutavit Societas et Cracoviam Posnaniae praeferendam existimavit. Cum autem Wielewicki ex Maiori Polonia oriundus, Posnaniae et puerilem et iuvenilem exegisset aetatem, etiam Rectoris Collegii Posnaniensis munere functus esset, bene perspectum habere potuit, in hac urbe nulla fere obstacula Academiae erigendae neque aemulationem Academiae Cracoviensis magnopere timendam fore in regione longiqua. Quamquam enim Academia Cracoviensis antiquo gaudebat privilegio, quod exclusivum dici potest, ut scilicet ubique in regno Poloniae posset suas scholas erigere, nihilominus res erat difficillima, si ageretur de provincia magnopere a Cracovia distante, ita ut Societas facile evitare aemulationem iuventutemque totius Maioris Poloniae et Prussiae Regalis numerosissimam ad suas attrahere scholas potuisset.

Nimirum P. Wielewicki non consentiebat cum illis, qui scholam publicam academicam, omnibus difficultatibus spretis atque postpositis, instituere Cracoviae conabantur. Quod ipse aperte significat. Cum enim P. Szembek a. 1628 P. Generali S. J. rationes contra scholas Cracoviae aperiendas explicuisset, Wielewicki haec animadvertit: »itaque in hac re, quam ipse (Szembek) cum aliquot nostris cum tanto fervore et rumore promovere non dubitavit, tandem advertit multas difficultates, quas utinam pridem cum suis asseclis advertisset« (p. 293).

Maximum tamen scholarum Cracoviensium promotorem P. Lancicium (Łęczycki) fuisse, demonstrat ipsiusque nimium fervorem notat atque vituperat Wielewicki, ita ut acerbior expressio cuiusdam »inordinatae« Lancicii compassionis cum apostata Joanne Bylina, in manuscripto nostro alio atramento deleta sit (p. 190). Notat quoque Lancicium »inconsulte« cum Stanislao Lubomirski de scholis egisse, addens sententiam suam: »ita etiam pii homines in fervore non raro excedunt« (p. 192). Lancicio quoque attribuit Wielewicki, quod

scholis humanioribus pro externis dedisset initium Cracoviae (a. 1625), inconsulto episcopo Cracoviensi, cum tamen polliciti fuissent PP. Societatis, se theologiam et philosophiam pro suis tantum lecturos. »Et sane — verba sunt Wielewicki — quamdiu nostri suos tantum docebant, tantas contra se tempestates non experiebantur. Verum quidem est P. Nicolaum Lancicium ideo scholis humanioribus dedisse initium, ut nos in possessione docendi tam superiora quam inferiora studia inhibitio, quam adversarii procurabant, inveniret: longe tamen consultius fuisset, si ab ista acceleratione abstinuissemus. Unde et tunc temporis et postea multis annis moleste ferebant nostri istam P. Lancicii accelerationem, quae et asserebatur facta insciis Superioribus ideoque divinam benedictionem non merebatur« (p. 195—196).

Fuisse re quidem vera P. Lancicium fere unicum scholarum Cracoviensium promotorem, patet ex eo, quod narrat Wielewicki inferius ad a. 1628. Lancicius profectus est Romam 27 aprilis 1625, ad promovendam causam scholarum contra protestationes Academiae fecitque hoc sine permissione P. Generalis S. J., qui propterea P. Provinciali et Consultoribus Provinciae, inter quos tunc temporis etiam noster Wielewicki erat, assignavit poenitentiam. »Certum tamen omnes putabant, causam contra Academicos nunquam nos obtenturos, si non P. Lancicius praesens Romae manens et omni possibili humana diligentia per 6 annos circa illam laborans, illi attendisset. Nam Rdi. P. Procuratoris diligentia, ob senium et ob tot Provinciarum negotia, nunquam suffecisset.« (p. 197).

Porro »omni possibili diligentiae humanae«, quam non sine irrisione quadam laudat Wielewicki, non deerat vis pecuniae, quam Lancicius collegerat. Quum enim a. 1628 die 16 februarii apoplexia correptus esset Andreas Solecius, coadiutor temporalis seu frater S. J. in Collegio ad s. Petrum, apud eum »non mediocris« pecunia inventa est, quam ipsi P. Lancicius, discedens Romam, occulte conservandam et ad se certis modis mittendam commiserat. »Ideo hac subita morte ingentes tricae in Societate sunt ortae. Nam ubinam a fratre Solecio pecunia fuisset conservata nullus sciebat et ea, quae restabat, quum occulte et inscio Vice-Rectore Collegii s. Petri, P. Joanne

Korczewski, ad P. Fridericum Szembek fuisset delata, molestissimum id erat et Vice-Rectori et P. Provinciali, qui expostulatorias ea de re litteras ad P. Szembek dederat. Iste etiam modus P. Nicolai Lancicii, qui discedens ex Provincia secreta cum certis subditis talia constituerat, qualia etiam ipsi Provinciali non essent nota, valde toti Provinciae displicuerat. Unde et in Congregatione Provinciali, quae hoc anno peragebatur (Jaroslaviae), plurima contra eum dicta erant.« (p. 292).

Negocium tamen hoc, cum tanta pertinacia, insciis aliis Patribus et Superioribus Societatis, per P. Nicolaum Lancicium ad finem perductum, in malum Societati vertit, »quia post causam obtentam, Rex (Vladislaus IV) et Respublica apud Pontificem obtinuerat (ut in anno 1633 videbimus) silentium impositum nostris publicis scholis. Tam multorum et diuturnorum laborum non bonum successum videbatur displicentia Adm. Rdi. P. Generalis praetendere.« (p. 197).

Et sane, non mediocra damna ex hac contentione cum Academia Cracoviensi tulit Societas, nam neque Cracoviae Academiam suam habere potuit, neque eam, quam Posnaniae neglexerat, resuscitare. Statim enim Academia Cracoviensis subpeditavit Lubransciana Academiae Posnaniensi, tanquam coloniae atque filiae suae, professores, quo factum est, ut Lubransciana schola ex hoc tempore florere coepisset et quamvis Societas bina accepisset privilegia aperiendi Academiam Posnaniae (1650 a rege Joanne Casimiro et 1678 a rege Joanne Sobieski), tamen utraque vice reges nostri coacti erant privilegia sua retrahere irritaque declarare. Remansit tamen malum pessimum atque perniciosissimum: odium, cuius supra mentionem fecimus, quod per adversarios Societati paratum erat.

Post tertium fasciculum Wielewiciani Diarii editum, mora decem annorum intercessit, quae variis excusauda est causis. Gravissimam puta eam, quod hoc tempore fere toto Reipublicae distenti eramus curis, in comitiis imperii Austriaci Vindobonae nuntii terrestris officio fungentes.

Indicem huius fasciculi Joannes Marszał confecit, socius seminarii historiae ecclesiasticae, quod me dirigente, in nostra Universitate Jagellonica ss. theologiae studiosis ad exercitia historica incita-

entum atque auxilia, a c. r. Ministerio publicae instructionis concessa, aebet et administrat.

Haec te monitum esse volui, lector benevole, atque more chriano salutem tibi in Domino adprecor.

Scribebam Cracoviae idibus juniis 1899.

Ladislaus Chotkowski.

Annus Domini 1620.

Nutio Vitellesco Societatis Jesu Praeposito, Joanne Argento per Poloniam Praeposito Provinciali, Joanne Wielewicki Domus Professae S. Barbarae Praeposito.

I. Numerus Nostrorum

Aluit ex nostris Domus S. Barbarae toto hoc anno fere 40, nempe Sacerdotes 25, Scholasticos iam tres iam quinque, Coadiutores 10, aliquando etiam plures. Licet enim aliquoties numerus hic diminutus fuerit maxime circa finem anni, aliis tamen in locum eorum, qui discedebant, succedentibus vix uno vel altero mense pauciores nostri reperti.

Festum Circumcisionis

In festo Circumcisionis Domini, quod more consueto magna frequentia ac devotione transactum est, cecinit Summum Sacrum apud nos R^mus^ Sirmiensis Episcopus [1]). Concionatus autem in eodem Sacro Admodum R. D. Jacobus Ostrowski, Juris Utriusque Doctor. Prandium nobiscum sumpserunt praedictus Episcopus, Palatinus Cracoviensis Nicolaus Zebrzydowski, filius eius Capitaneus Lanccoronensis et multi alii.

Discessit Cracovia Comes ab Althan.

Discessit Cracovia Ill^mus^ Comes ab Althan [2]) 2^a^ istius mensis Varsaviam, eumque secuti sunt Patres nostri duo, qui cum eo venerant, nempe P. Jacobus Gerranus et Franciscus Ellesus. Inde postea in Austriam per Saxoniam certas ob causas se contulerat. Eadem die mane ante lucem curru nostro deductus est Ill^mus^ Comes Homonai ad S. Stephani domum, cui postulanti Superior domus S. Barbarae 100 florenos tunc mutuos dedit, ut ea quae in hospitio debebat solvere, nam a suis non erat illi tunc submissa pecunia.

Comes Homonai deducitur ad S. Stephanum

Litterae Beatificationis B. Francisci Xaverii

Litteras beatificationis B. Francisci Xaverii pontificias Roma 25^a^ Octobris cum superioris datas et inde ad nos 2^a^ Novembris missas ob difficultatem itinerum, quae omnia fere milites obsederant, non nisi 3^a^ huius mensis accepimus, easque ut statim imprimerentur curavimus. Significaverat etiam P. Franciscus

[1]) Ladislaus Majthényi, praepositus Agriensis (Erlau), qui ex Hungaria in Poloniam aufugit. Agebat de ipso noster anno superiore (nr. 47 et nr. 55), cfr. Scriptores rer. pol. tom. XIV. p. 307—314 (Wielewicki fasciculus III).

[2]) Ferdinandi regis Bohemiae et Hungariae ad regem nostrum Sigismundum legatus, qui 3^a^ Augusti anni praeteriti Cracoviam venerat.

tarde Cracoviam allatae.

Sachinus, Societatis Secretarius, datis Romae 2ª Novembris 1619 Admodum R. P. nostrum Generalem delegisse Sacrum de Beato isto: Os iusti etc. de Communi Confessorum non Pontificum et mandasse, ut eius festum a Societate fieret duplex cum octava. Quibus omnibus, ob tarde delatas litteras, non satisfecimus nisi hoc anno in Decembri, ut suo loco patebit.

2. Ambrosius Fernandez in Japonia ex carceris Omurani, in quem ob fidem coniectus erat, incommodis moritur martyr in carcere, quem pro amore Christi sustinuit.

Ambrosius Fernandez cum P. Carolo Spinola in carcere Japonico manens ob fidem catholicam ex incommodis eiusdem carceris moritur 7ª huius mensis, ut ipsemet P. Carolus significat litteris ex carcere Omurano datis Anno Dni 1621 28 Februarii, quae habentur in vita eiusdem P. Caroli Antverpiae impressa Anno 1630, cap. 15 circa finem [1]). De quo, capite 14 in eodem libro ita scribitur: »Loci frigoribus affectus interiit Frater noster Ambrosius Fernandez, annos natus 69, Caroli in custodia comes, 7ª Januarii 1620, qui paralysi gravissima correptus ob copiam ut aiebant nivium, quae saepius per eos dies deciderant, duodecim horarum spatio (tantum enim tenuit temporis) adhibitis, quae Dei singularis gratia, Sacramentorum omnium praesidiis felicem spiritum eius manibus credidit, a quo laborum per annos 40 in Societate exhaustorum praemium mercedemque expectabat incommoditatum, quas non minore patientia alacritateque tolerarat uno anno et 22 diebus: cum aliud fere per id tempus non spiraret, quam ingens desiderium ardendi in exitiali rogo, aut moriendi in cruce ad testandam Religionis veritatem. Pro qua mortuus esse negari non potest, qui per solam tractationis asperitatem in ea custodia vitam amisit, in qua vinctus amore Christi tenebatur«. Additur ibidem illa nocte, qua Ambrosium repentina vis morbi invaserat, noluisse milites ut lumen in carcere accenderetur, etiamsi obnixe ab eis Carolus id peteret, sed funis tantum tormentarius ab iis fuit incensus. Praeter haec alia de dicto Ambrosio non inveni; puto tamen eum fuisse unum ex nostris Adiutoribus Fratribus.

3. Nobilitas contra Kosacos Lissovianos Cracoviae conventum facit.

Post festum Epiphaniae frequens Nobilitas huius Palatinatus, conveniens Cracoviam, omnia complebat furore, minis, querelis contra Regem, contra Comites ab Althan et de Homonai ob atroces Kosacorum Lissovianorum rapinas, quas etiam tunc in Regiis, Ecclesiasticis et Nobilium bonis continuabant. Nostros etiam hisce rebus involvebant, eo quod praedictos Comites scirent in rebus conscientiae uti nostrorum opera. Itaque a 9ª huius mensis ad 11am haec ab iis sunt facta. Primo adeunt nobiles congregati Palatinum Cracoviensem Zebrzydowski, qui tunc Iudicia generalia huius Palatinatus aggressus erat, iudiciorum dilationem postulant, de modis cohibendi tantas Kosacorum depraedationes, imo de summa rerum omnium in hoc Pala-

[1]) Probatur iterum ex opere hic citato, hanc Diarii nostri partem, post annum 1630 a Wielewicio scriptam fuisse; cfr. quae diximus in proemio ad fasciculum III (Scriptores rer. pol. tom XIV p. VII — VIII.) de tempore, quo Wielewicki historiam suam scribebat.

tinatu agendum et consultandum sibi necessario ostendunt. Eorum postulatis et ferventibus ac fere tumultuariis instantiis morem gerere debuit et iudicia ad aliquod dies distulit. Congregati igitur 9ª huius mensis ad Aedem S. Francisci Nobiles, Regni Proceres qui tunc Cracoviam convenerant, ad se invitant. Invitati Proceres huic conventui illa tantum conditione se interfuturos significarunt, si nihil in eo vel contra Regem vel contra Regni Constitutiones fieret. Quod ubi Nobiles bona fide fuissent polliciti, venerunt ad locum conventus et illud inprimis effecerunt, ne consultatio in tam frequenti conventu per singulorum vota protraheretur, sed ut aliqui ex tanto numero deligerentur, qui de negociis propositis invicem agerent et ea, quae illis expedire viderentur, ad omnes referrent. Sequentibus postea diebus omnia, quae in conventu fiebant, eo sunt deducta, ut per litteras ac per Legatos Rex, Regni Primas[1]) et Supremus Militiae Praefectus[2]) nonnullique alii Senatores fideliter de per Kosacos illata et magis ac magis inferenda vastitate edocerentur et rogarentur, ut omnibus his quamprimum efficaciter occurrerent. Sicque hic conventus finitus et turbae sopitae, quae initio maximum incrementum accepturae videbantur. Non parum conduxit ad id negocium ita componendum cura Serenissimi Regis, qui ternis Nunciis sub tempus conventus Cracoviensis Kosacos monuerat, statim ut copias dissolverent et militiam relinquerent. Cumque parere nollent, Campiductorem tunc Regni Stanislaum Koniecpolski et Regni Incisorem Stanislaum Lubomirski iussit, ut hastatorum copiis, quae multae circa Cracoviam militabant, convocatis, contra Kosacos tanquam contra hostes procederent et eos congregari non paterentur. Fecit non impigre Stanislaus Koniecpolski Campiductor, cum adiuncto socio, in fine huius mensis et Kosacos aggressus eo deduxit, ut plurimi in Silesiam ac Moraviam, initio sequentis mensis, profugerint et nonnullae eorum cohortes, quae manserant, partim caesae, partim penitus dispersae fuerunt. Qua re peracta, sinistras illas opiniones, quas malevoli contra Regem instillabant, Nobiles fere omnes deposuerunt.

Proceres regni in conventu eam moderantur.

Scribunt et mittunt suos ad Regem, Regni Primatem et alios.

Jussu Regis contra Kosacos copiae eductae eosdem partim dissipant

partim caedunt.

Instituta 19ª huius mensis Renovatio Votorum more consueto, praemissis ss. quae praemitti solent. Eadem die P. Gaspar Sawicki, qui Romam Procurator Provinciae iverat et Domus S. Barbarae designatus Praepositus ex Italia redibat, dum 15 tantum milliaribus Germanicis a finibus Regni abesset, ante Francofur-

4. P. Gasparis Sawicki mors

[1]) Baranowski Adalbertus.
[2]) Żółkiewski Stanislaus.

in itinere. tum ad Oderam uno milliari in itinere et in curru, praemissa peccatorum Confessione, quam coram P. Simone Niclevicio, Provinciae Lituaniae Procuratore, itineris comite, bis fecerat (alia enim Sacramenta usurpare tunc non licuit), mortuus est, itineris incommodis et calculi doloribus afflictus, maximo sui desiderio et apud nostros per totam Provinciam et apud externos tum alibi tum potissimum Cracoviae, ubi multis annis manserat, relicto. Natus erat Vilnae, quae est Lituaniae Metropolis, quo commigraverant ex Podlachia (una est ex Provinciis Masoviae adiacentibus) Parentes eius nobiles. Mortuus est Anno aetatis 68, ex quibus 44 in Societate consumpsit. Ingressus Societatem Romae anno 1576, 16ª Septembris. Studuit a puero extra Societatem Brunsbergae humanioribus, Vilnae Philosophiae, Romae uno anno Theologiae. In Societate autem Theologiae scholasticae Romae duobus annis et simul positivae controversiisque dabat operam. Postquam Roma rediisset, Jaroslaviae 4 annis munus Praefecti Studiorum et Concionatoris gessit, simulque domesticis conferentiis de conscientiae casibus praefuit. Legit controversas cum haereticis quaestiones Vilnae per unum annum. Erat Collegii Calissiensis in ipso eius initio Superior mensibus septem et Residentiae Gedanensis sesquianno. Domum probationis Cracoviensem rexit annis 9 eamque aedificiis instituto accomodatis, ut domo alta triplicis condignationis, refectorium, aulam pro exercitiis novitiorum, dormitorium, culinam, credentiam continente, infirmaria et variis cubiculis circa eam ad templum S. Mathiae sitis, muro insuper alto a platea aream domesticam separante, amplificavit; nam tunc temporis nondum reliquae domus ad murum usque Civitatis erant coemptae. Praefuit etiam Domui Professae annis quinque, ut supra annotavimus, ab anno videlicet 1599 ad annum 1604, maxima cum satisfactione et nostrorum et externorum. Erat socius P. Bernardini Confalonerii, Provincialis anno uno. In missione Moschovitica cum detentis Legatis regiis mansit annos tres, ubi 500^is hominibus (tot enim ille Legatorum comitatus ob multos, qui se illis adiunxerant, continebat) et solatio in terra hostili et auxilio erat per Sacramentorum administrationem et continuam verbi Dei praedicationem. Cum Paulo Wolucki Episcopo Luceoriensi, dum Romam ad Paulum V Pontificem Maximum a Rege Rege Sigismundo III Legatus missus fuisset, iverat in eoque itinere plusquam medium annum consumpserat. Saepe etiam cum aliis regni Proceribus, apud quos summae erat authoritatis, varias easque utilissimas obibat missiones. Quatuor votorum Professus ab Anno Domini 1595, 20ª Augusti. Vir erat variis virtutibus egregie instructus, sed inprimis singulari prudentia et in conversatione sive cum vilioribus sive cum nobilioribus admirabili dexteritate, ita ut ad se plurimos traheret et offensos Societati Proceres Regni varios summa facilitate reconciliaret. Magnae etiam erat orationis et unionis cum Deo, cultui praeterea Bmae Virginis addictissimus, quod vel ex his duobus, omissis aliis, colligere est. Primum est Sacrum de Bma Virgine in Adventu, quod Rorate vocant, et in Regno Poloniae ante lucem per totum Adventum fieri solet; huic cantato singulis diebus Adventus Domini magna cum devotione adesse solebat. Alterum est studium singulare in erigenda Congregatione Studiosorum Bmae Virginis tunc temporis, dum Superiorem S. Barbarae ageret. Eius piis in hoc negocio conatibus

Eius genus et patria.

Ingressus in Societatem et studia.

Varia munia in Societate.

Varia extructa ab eo in Novitiatu Cracoviensi.

Missio eius Moschovitica

Romana et aliae.

Eius prudentia et conversationis dexteritas.

Affectus ad Cultum Bmae Virginis.

Congregationem Bmae Virginis invi-

mirum est, quam multi ex iisque praecipui quique Academici obstiterint, vanis suspicionibus de studiosa iuventute hoc modo Academia avertenda pleni. Verum ille egregia dexteritate tota prius re cum Bernardo Macieiovio, Cardinali et Antistite Cracoviensi, et Nicolao Zebrzydowski, Palatino ac Generali Capitaneo Cracoviensi, composita ad finem optatum id, quod constituerat, ita deduxit, ut primo Congregationis dictae Praefecto, filio ipsius Palatini, constituto ad hoc usque tempus felicem successum eadem Congregatio habeat. Scripsit non contemnenda opuscula contra hereticos et politicos, licet omnia sub alieno nomine edita. Et inprimis Anatomiam Consilii editi de stabilienda pace Regni Poloniae, Jesuitis pulsis, edidit latino sermone sub nomine Gasparis Cichocki, Canonici et Parochi Sendomiriensis. Dialogum Cursoris et nautae, in quo de Gedanensium Monialium S. Brigittae violenta expulsione per haereticos Gedanenses narratio instituitur sub nomine Lucae Linowski. Replicam rumorum Posnaniensium per Ministrum haereticum sparsorum, sub nomine Joannis Gołubski. Sub cuius etiam nomine et Triplicam contra Duplicam seu contra Ministrum Torunensem, qui duplici scripto. rumores Posnanienses falsos conatus erat propugnare: et Mirabilem concordiam seu potius verissimam rabiem Evangelicorum inter se contra quendam haereticum, qui suorum magnam unionem astruebat. Quae quatuor opuscula polonico idiomate sunt edita. Convertit insuper in Polonicum duos libros Spirituales Cardinalis Bellarmini: De Ascensione, videlicet, mentis in Deum et De aeterna felicitate Sanctorum. Praeter haec reliquit fere finitum, magno labore et studio confectum, Indicem Biblicum magno olim commodo futurum tum Concionatoribus tum Sacrarum litterarum studiosis, si lucem aspexerit. Parabat non pauca alia contra politicos, quae morte praeventus non perfecit. Praeter haec omnia de tanto viro breviter annotata, illo etiam nomine mors eius aeterna memoria dignissima, quod ne perderet obedientiam, vitam perdere maluerit. Cum enim maior pars eorum, qui in Provincialem Congregationem convenerant, eum in Procuratorem Provinciae delegisset: et ipse tum senectutem tum morbos frequentes et maxime calculum, qui eum saepius affligebat, proponens liberari ab illo numere petiisset: nihilominus tamen omnes in Congregatione, nemine excepto iudicassent non habere eum talem valetudinis defectum, qui iter hoc prorsus impediat, suscepit hoc onus addens, se morte conclusurum iter istud, dum Congregatio liberare eum ab eo non vult. Et res ita, uti dixerat, evenit, non sine maximo eius coram Deo Praepotenti, uti speramus, merito. Non multis post diebus ex loco in quo mortuus erat, funus eius deductum Posnaniam et in communi sepulchro nostrorum in templo Collegii Posnaniensis, maximo tum nostrorum tum externorum sensu, sepultus optimus senex.

tis Academicis

Cracoviae constituit.

Libri ab eo scripti et editi.

1um

2um

3um

4um

5um

6um

7um

Libri non editi.

Dum eum petentem liberari a Romano itinere non liberat Provincialis ob obedientiam moritur.

Circa tempus infelicis Rokoszanorum seditionis, quam ab Anno Dni 1605 usque ad Annum fere 1609 variis in locis fuse retulimus, sparsa erat una fabula contra nostros Patres apud S. Barbaram manentes: Quod videlicet Cardinalem Macieovium ad se invitatum egregio convivio exceperint et potu copiosiori inebriaverint, ab eoque sic poto privilegium extorserint praecipuarum quarundam decimarum

5. Fabula insignis contra nostros conficta pridem sub Rokoszo

de privilegio decimarum pro S. Barbara dolose extorto

ex bonis Episcopatus Cracoviensis perpetuo Domui S. Barbarae attribuendarum. Quod praeterea Cardinalem apud se per noctem detinuerint, qui sequenti die evigilans cum a suis famulis intellexisset, se tantarum decimarum privilegium Domui S. Barbarae attribuisse, non tristis tantum, sed etiam iratus nostris, ita astute sibi imponentibus, a nostris discessit. Eum cum Palatinus subtristem advertisset et causam tristitiae intellexisset, bono animo iubet esse; brevi enim

et post a Palatine lacerato.

se effecturum, ne res ista suum habeat exitum. Itaque Palatinus nostros adit et simulans se gaudere de tali privilegio nobis dato petiit, ut illud ei ostenderemus. Quod cum factum esset, et privilegium laceravit et nostros graviter ob illum astutum ac irreligiosum procedendi modum obiurgavit et tandem Cardinali referens id, quod

Cur nostri fabulam contempsissent? 1°

fecisset, tristitiae conceptae finem imposuit. Hanc fabulam nostri, tanquam ex crassis mendaciis confectam et quae ex se facile ruebat sicuti multa similia contra nos conficta, contemnebant. Quomodo

2°

enim vel Domui Professae attributae decimae, quae nullum proventum habere potest, ex sola mendicitate vivens? vel decimae Episcopatus sine scitu Capituli, imo et ipsius Pontificis, poterant alienari?

3°

Quando praeterea Cardinalis Macieiovius aut ebrius in domo S. Barbarae visus, aut in eadem domo pernoctans? Quia tamen et multi nobiles saeculares et non pauci malevoli Religiosi haec passim affirmare non verebantur, ideo necessum erat aliquando, ut fabula haec per nostros refutaretur, quod non raro factum erat. Eandem fabulam

Quia tamen vulgabatur refutanda erat.

Dum narrata esset Palatino, numquam se aliquid horum cogitasse respondit.

ipsi Palatino Cracoviensi, qui in illa involvebatur, dum 24-a Januarii huiusce anni P. Fridericus Szembek, in arce tunc decumbenti ex morbo, retulisset et simul petiisset, an aliquod saltem fundamentum tanti figmenti sciret, bona fide respondit: se primum hac de re audire et nec se nec Cardinalem unquam hac de re cogitasse, mirari praeterea se satis non posse impudentiam talia confingentis etc. Quia huius rei nullam feceramus mentionem in descriptione Rokoszanae rebellionis, ideo occasione colloquii cum Palatino in hoc negocio, breviter hic eam annotavimus.

Comes Homonai discedit Cracovia.

Discessit Cracovia Comes Homonai 26ª istius mensis, cui iter apparanti et 100 florenos iterum dedimus mutuos et sex equos, fabricae destinatos, cum curru tecto, quibus per duos aurigas nostros Laskos usque, circa Samboriam sitos, devectus est.

Eleaemosyna Januarii.

Accepimus eleaemosynam pecuniariam hoc mense florenos 180, nempe ab Episcopo Cracoviensi florenos 100. A Palatino Cracoviensi floreni 28. Pro

piscibus collecti floreni 14. Ab aliis variis floreni 36. Res datae aestimatae sunt fere 70 florenis, nempe a R^mo Praeposito Miechoviensi [1]) et a Generoso D. Laskowski, Instigatore Regni, varia frumenta. Prandium datum a R. P. Simone Sacristiano Parochiali [2]) 14^a huius mensis. Varia postea esculenta et poculenta ab aliis.

6. Ordinatio de summario vitae nostrorum mortuorum.

Quia in Regulis Secretarii Societatis, quae mandato Congregationis septimae sunt editae capite 1 n. 7 iubetur, ut praedictus Secretarius inter alios libros, quos habere debet, sit (sic) etiam liber Mortuorum in Societate; ideo Admodum R. P. Noster Ordinationem ad Provincias 1^a Februarii anni huius dedit, ut omnes Superiores, statim post quam aliquis ex nostris obierit, fidele summarium eius vitae conficiant iuxta Regulas Secretarii. Nempe declarato loco ubi moriuntur, tempore quo vixerint quoque fuerint in Societate et quo gradu in ea fuerint adiunctisque breviter rebus ab iis factis, memoria dignis, ut hic liber commentarius quasi et historia Societatis esse possit etc. Et ita confectum vitae compendium ut mittant Superiores Provincialibus et Provinciales Romam prius revisum et ex Catalogis suppletum, si necessum fuerit, idem Pater Noster iniungit.

Virgo Szydłowska accipit Communicationem meritorum.

Communicationem meritorum totius Societatis, Roma missam, reddidit 6^a huius mensis Superior Domus Mfcae Virgini Annae Szydłowska, antiquae templi et domus nostrae benefactrici.

Adventus R. P. Provincialis.

Venit R. P. Provincialis Joannes Argentus Cracoviam 27^a huius mensis et in domo S. Barbarae fere 9 diebus mansit et apud S. Stephanum tribus totumque tempus, quo hic erat in Consultationibus de negociis totius Provinciae consumpsit et 9^a sequentis mensis hinc discessit.

Eleaemosyna Februarii.

Eleaemosyna huius mensis pecuniaria erat florenorum 236, nempe ab Episcopo Culaviensi [3]) floreni 100, a R. D. Mosiążek Parocho Bozantinensi [4]) floreni 100, a R. D^o Bucki floreni 10. Ab aliis floreni 26. Res submissae constiterunt florenis plusquam 119, nempe a D^o Piotrowczyk Bibliopola [5]) »Vitae Sanctorum« P^ris Skargae multae; a D^a Plazina Magni Oeconomi coniuge mel; prandium a D^a Gorlecka, 17^a huius mensis datum. et tum ab illa tum a variis aliis alia minutiora.

Oratio triduana.

Coepta a prima die Martii, quae in Dominicam Quinquagesimae inciderat, Oratio triduana et more solito magna populi frequentia devotioneque continuata est ac finita. Celebrarunt pontificaliter die Dominico R^mus Suffraganeus Cracoviensis [6]) et feria 3^a R^mus Episcopus Sirmiensis. In summo Sacro diei Dominicae concionatus R. D. Andreas Łukomski, Canonicus ac Theologiae Doctor. Concusit Feria 3^a Orationem devota exhortatione R. D. Nucerinus, Concionator Cathedralis.

---

[1]) Mathias Lubinski.

[2]) Simon Gierlakowski.

[3]) Paulus Wołucki († 1622).

[4]) Bozantin (Bożęcin) Archidiaconatu Cracoviensi, decanatu Kielcensi, ubi episcopi Cracovienses arcem munitam habebant et saepe commorabantur.

[5]) Piotrkowczyk vulgo appelari solet.

[6]) Thomas Oborski episcopus Laodiceae i. p. i.

Joannis Sarcandri Martyrium

Gravissimis torturis ab haereticis Moravis excarnificatus et peremptus est odio fidei Catholicae 17ª istius mensis R. D. Joannes Sarcandrus, Presbyter et Parochus (17ª huius mensis) Olomutii, ubi etiam tanquam Martyris corpus eius sepultum manet. Prodiit de eo concio Polonica R. P. Fabiani Bircovii, Theologiae Doctoris Dominicani, impressa Cracoviae.

7. Resignatio Cathedrae Parochialis a P. Fabricio mittitur Varsavia.

Venerunt litterae a P. Valentino Fabricio Varsavia 20ª istius mensis, cum quibus miserat simul litteras resignantes Cathedram Bmae Virginis ad Consulem Cracoviensem et eius Collegas, de qua nonnulla hic fusius videntur referenda. Ab annis fere duobus evocatus P. Valentinus Fabricius Varsaviam ad Serenissimum Regem, ut coram eo concionaretur, sive ob spem redeundi Cracoviam sive ob ipsius Serenissimi voluntatem, Parochiali Cathedrae non renunciaverat, P. Andrea Brzozoviensi eius vices Cracoviae obeunte. Dum ergo hocce mense resignationem misisset, non parum erat dubium, essetne statim Consuli ac Proconsulibus reddenda nec ne? Non reddendam enim statim suadebat imminens periculum amittendae Cathedrae et nostrorum ab ea reiiciendorum, tum ob Proconsulum mediam fere partem nobis minus affectorum, tum ob praesentiam Ducis Georgii Zbarascensis, nobis sicut in aliis ita et in hoc negocio infensissimi. Putabatur enim cognita resignatione facta omnem lapidem moturus (quod postea evenit) ad nostros ab eo munere amovendos. Ex altera tamen parte non videbatur haec resignatio detinenda. Aliquot enim diebus antequam missa fuisset, non exigua contra nos a quibusdam Proconsulibus orta erat disputatio eaque vehemens, qui dilationem per tantum tempus in pessimam partem explicabant et nos dolis agere ac ius deligendi Concionatoris eiusmodi procrastinationibus velle usurpare asserebant. Et licet nonnulli dilationem resignationis iussu Serenissimi fieri (quod illis autem ipsemet P. Valentinus Fabricius Varsavia Cracoviam veniens coram ostenderat) crederent, alii tamen vel non credebant vel Regem ad eiusmodi iussionem nostris instantiis descendisse suspicabantur. Quia praeterea sub hoc tempus resignatio praedicta missa erat, quo Consulis oficium intimus noster amicus et Benefactor Dr Abrahamus Ronenberg gerebat, sub eius potius Consulatu quam sub alterius alicuius facienda videbatur ac propterea non differenda, maxime cum novem tantum dies eius Consulatui superessent. Tempus etiam Quadragesimae, quo concionibus quotidianis operam nostram civibus probabamus, idoneum videbatur ad trahen-

Ne statim redderetur Consulibus rationes:
1ª
2ª

Ut statim redderetur aliae rationes erant:
1ª

Proconsules dilationem resignationis male explicant.

2ª

3ª

dos pro nobis, ut in favorem nostrum electio facilius fieret. Non videbatur praeterea conveniens Religiosorum hominum candori detinere diutius hanc resignationem, praecipue cum per cives Cracovienses fuisset allata et vix possibile videbatur, eam diu latere posse. Denique Ducem Georgium Zbarascium Cracovia tam cito discessurum (in eius enim absentia commodius tempus resignationis faciendae videbatur) nulla spes affulgebat. Ob has et alias non paucas rationes Superior Domus P. Joannes Wielewicki cum P. Friderico Szembek Praetorium adierunt 23ª huius mensis, litteras Prⁱˢ Fabricii, in quibus resignatio continebatur, in manus Consuli tradiderunt, praemissis nonnullis, quibus ostendebatur dilationem resignationis non ex nobis, sed aliunde accidisse. Lectae litterae Prⁱˢ Fabricii a Notario consulari coram Consule et Proconsulibus, iisque lectis et gratiis per Consulem tum P. Fabricio tum nostris, cum magna Societatis commendatione actis, duo a nobis sunt petita: unum, ut conciones in templo Bᵐᵃᵉ Virginis ad tempus usque electionis continuaremus, alterum, ut ex nostris aliquos, qui pro P. Valentino Fabricio eligi possent, nominaremus. Utrique petitioni satisfactum et nominati pro munere Concionatoris sex e nostris. Quae omnia acceperant Consules animo, ut apparebat, gratissimo et maximam spem ostendebant, nullum deligendum alium praeter nostrum. Vulgata illo ipso die resignatione, varii competitores cathedrae apparuerunt. Rector Academiae quatuor ex suis proposuit Academicis, Patres Dominicani alios quatuor suos et singulorum fere Consulum domos obibant. Hoc tamen nihil nobis obfuisset, si Dux Zbarascensis operam suam non interposuisset. Hic enim unum ex suis clientibus et ad Consules in praetorio congregatos et ad singulos praecipuos separatim in domos commisit, qui tam precibus quam minis instarent nomine eius, ne ullus ex nostris deligeretur, sed vel ex Patribus Dominicanis vel ex academicis aliquis. Postquam ergo duo dies electioni assignati sine electione transiissent, vel ob defectum pleni numeri Consulum vel aliam ob causam, tandem 27ª huius mensis die convenerunt omnes nobis minus affecti, et ex nostris amicis opera Ducis Zbarascii aliosque ob praetextus magna pars abfuit. Unde etiam ii praevaluerunt, qui nobis non favebant et reiectis nostris, unum ex Patribus Dominicanis, qui tunc in templo Sᵐᵃᵉ Trinitatis ordinarius concionator erat, P. Piekarski delegerunt. Non videbatur nostris necessarium obire domos singulorum Consulum, quod alii faciebant, tum quia videbatur sufficere nostros in Prae-

4ª

5ª

8. Datur resignatio in Praetorio Consuli et Collegae.

Legitur publice.

A nobis duo petuntur.

Competitores cathedrae varii.

Dux Zbarascius curat, ne noster deligatur, precibus et minis.

Eligitur Dominicanus, nostris reiectis.

Cur nostri domos Consulum

ante non obierint. Nostrorum reiectionem quam male multi tulerint.

torio suam operam publice obtulisse, tum quia eiusmodi procurationes, re non obtenta, in maius nostrorum dedecus redundassent. Finita electione mirum est, quantus motus aminorum in iis fuerit per multos dies, qui nostros electos cupiebant, et quantus pudor eorum, qui sua absentia nostrae reiectionis causam dederunt. Illud tamen bonum hinc derivatum, quod tali modo procedendi plenissime nos illa suspicione purgaverimus, qua nos malevoli traducebant, quasi fraudibus ius deligendi concionatoris B^mae^ Virginis nobis vellemus arrogare. Eadem electio postquam percrebuisset Varsaviae, et Regi Serenissimo et multis Regni Proceribus nobis faventibus ingrata fuit, hoc potissimum nomine, quod nostri repulsam fuissent passi. Itaque nonnulli ex Senatoribus, qui tunc Varsaviae morabantur, P. Valentinum Fabricium adeunt et quomodo resignationem fecisset, exquirunt. Re cognita, quia non erat facta dicta resignatio coram Notario publico ad acta, nec postea extracta ex actis Cracoviam ad Proconsules missa, sed per modum simplicium litterarum; quia praeterea has litteras non iuridicam resignationem continentes, ille in praetorium detulit, qui non erat P^ris^ Valentini Fabricii legittimus superior, nam Varsaviae manens alium habuit superiorem; quia denique officium concionatoris personale esset, non domus aut communitatis: ideo declararunt resignationem fuisse nullam et per consequens non vacasse officium et electionem, pariter non vacante officio irritam. Quocirca autores erant P. Valentino Fabricio non pauci, ut iure hac in re procederet et aut cathedram male ab altero possessam repeteret, aut alio modo resignationem faceret. Res haec non mediocriter P. Valentinum permovit et eo deduxit, ut cum nonnullis Proconsulibus Cracoviensibus, imo etiam cum ipso Episcopo Martino Szyskowski, agere per litteras non dubitarit; quas quidem litteras Cracoviam non obsignatas prius ad Superiorem domus S. Barbarae miserat, ut eas legeret et postea, si videretur, obsignaret, obsignatasque iis redderet, ad quos spectabant. Lectis litteris Superior nullo modo eas reddendas putavit. Nam etsi resignatio iuridice facta non fuisset, quia tamen a Proconsulibus in Praetorio tanquam legittima acceptata fuit; et quia demonstrare acceptationem fuisse illegitimam, in magnum dedecus tum nostrum tum Proconsulum cederet, quique talem notam sibi imponere non paterentur; quia ad extremum et cum Duce Zbarascio, potissimo huius negocii contra nos promotore, et cum Patribus Dominicanis ac variis aliis contentiones ineundae fuissent et spes vix aliqua, conatus nostros

9. Varsaviae P^ri^ Valentino multi persuadent, illegitimam fuisse resignationem.

1°

2°

3°

Persuasus O. Valentinus varia tentat apud varios per litteras sed irrito conatu.

1°

2°

3°

optatum successum habituros: ideo litteras dictas Superior P. Valentino Fabricio non obsignatas remisit et eas se nullo modo iis redditurum, ad quos erant dandae, significavit. Moleste id tulerat P. Fabricius et aliis iterum litteris tum ad eosdem, ad quos antea, tum ad alios datis, idem aggressus erat, quod antea. Sed postquam ob easdem fere rationes, quae supra propositae sunt, alii idem disuasissent, tandem conquievit. Tandem conquievit

P. Ioannes Bistricensis, Hungarus, contra quem varias insidias haeretici instruxerant, Cracoviam ad S. Barbarae domum venit ultima huius mensis, deductus curru et equis Dni Alagi, cuius etiam aliquot famuli usque Cracoviam eum sunt comitati. P. Bistricensis ex Hungaria venit.

Martii eleaemosyna pecuniaria fuit florenorum 115. A Palatino Cracoviensi[1]) floreni 28. A Do Grochowski floreni 15. A Dno Borek floreni 10. A Do Jordan, Succamerario floreni 10. A Do Rab floreni 10. A Da Samuelowa floreni 13. Ab aliis variis floreni 28. Res datae constabant florenis 68. A Do Lubowiecki frumentum et butyrum. A Do Celosta vas halecum. A Comite a Tarnow triticum. A Da Plazina, magni Oeconomi quondam coniuge, acervus foeni. A Dno Gortaski pisces et ab aliis reliqua minutiora. Martii eleaemosyna.

Post initium Aprilis, circa Dominicam Laetare, indictum erat Jubilaeum et promulgatum per praecipua templa Cracoviensia hoc modo, ut a feria 2a post Dominicam Passionis, quae in 6am huius mensis inciderat, sumeret initium et Dominica Resurrectionis, seu 19a eiusdem mensis, Cracoviae finem haberet. Alibi vero tum eius initium faciendum, cum notitia iuridica eiusdem perveniret. Ad illud consequendum, praeter ordinarias conditiones, visitatio templi parochialis et cathedralis requirebatur. A communione Paschali, qui ante Dominicam Palmarum ob Jubilaeum communicabant, non liberabantur et contra, qui infra hebdomadam sanctam sacra Synaxi reficiebantur, utrique obligationi satisfaciebant. In eo Jubilaeo nulla erat frequentia externorum, sed tantum Cracoviensium. Erat autem concessum a Summo Pontifice pro necessitatibus Christianitatis, sed potissimum Regni Poloniae aliorumque dominiorum, Regni Poloniae ac Sueciae subiectorum, ut annotavimus 11a Octobris anni superioris. Occasione huius Jubilaei variae ex hoc loco institutae erant Missiones. Nempe Podolonicum et Lubovlam, quae sunt duae Civitates ex 13 Scepusiensibus, ad Regnum Poloniae spectantibus, missi tres: P. Josue Bruno, P. Franciscus Keczkowski, P. Andreas Postnamargyci, quorum primus Polonicam et Germanicam, reliqui duo Hungaricam etiam calebant linguam, ad Polonos, Germanos et Hungaros iuvandos, qui in illis partibus versantur. Manserunt nostri illis in locis per 5 septimanas, magno cum fructu, maxime vero Podolonici, ubi quia nullus Sacerdos externus erat, omnia Parochorum munia nostri obibant. Missi post alii nostri Tinecum ac Miechovum, ad Monasteria Religiosorum et Staniątkos ac Sądecum, ad monasteria Monialium, cum omnium satisfactione et fructu.

10. Jubilaeum Cracoviae promulgatur.

Ratione communionis Paschalis, quae tunc erat, quomodo satisfactum.

Missiones nostrorum occasione Jubilaei: 1a

2a

3a

[1]) Zebrzydowski Nicolaus.

Privilegium Francisci Bibliopolae Alvarorum imprimendorum quomodo intimatum.

Dederat R. P. Provincialis ad instantiam P. Simonis Kaczorowski privilegium imprimendi Alvaros Dⁿ Francisco Bibliopolae, de quo Superior domus nihil scivit. Quia vero D. Piotrowczyk (sic), antiquus noster Benefactor, iam librum Alvari coeperat imprimere , ideo 8ª huius mensis propositum erat in consultatione: an hoc privilegium tali rerum statu esset intimandum. Et conclusum est, intimandum quidem esse, sed talem modum inveniendum, ne offendatur D. Piotrowczyk.

Mors Pⁱ Stanislai Gawroński Posnaniae.

Obiit Posnaniae 11ª huius mensis P. Stanislaus Gawroński, Secundus Provincialis Polonus post P. Petrum Fabricium, uti ex iis, quae supra annotavimus, constat. De huius viri singularibus virtutibus et inprimis admirabili propria despicientia et unione cum Deo, de variis, quae in Societate obiit officiis et de morte felicissima, quam paralysis in parte sinistra corporis acceleraverat et viginti duobus diebus lecto affixum ad extrema deduxerat, vide historiam Collegii Posnaniensis [1]).

---

[1]) Historiam Collegii Posnaniensis, cuius mentionem Wielewicki saepius hoc fasciculo facit, ipse ante oculos habebat, dum Superioris Collegii Posnaniensis inde ab a. 1626 — 1629 munere fungebatur. Constat haec Historia duobus manuscriptis, quorum primum sub titulo: »Annales Collegii Posnaniensis Societatis Jesu« hanc adnotationem habet: »Post multos annos sui nescio quo fato interitus, tandem isti Annales inventi apud Praedicantium (sic) Vratislaviae et redempti aureis nummis sex a. 1798 mense Decembri ab Illma Radzewska, Succameraria Posnań.« Annales haec continent historiam Collegii Posnaniensis inde ab a. 1572 — 1653, scriptam foliis 150 (pag. 300). Attamen pars altera manuscripti madefactata, et vix et ne vix quidem legi potest. Alterum manuscriptum, cui titulus: »Historiarum Collegii Posnaniensis Soc. Jesu Tomus II«, incipit ab a. 1669, sub rectoratu P. Baltazar. Wielewieyski et concluditur a. 1771, sub rectoratu P. Michael. Orlowski. Manuscriptum hoc continet folia 190 numerata et 42 quae numerata non sunt.

Praeter haec duo manuscripta existunt alia 3, quae Collegium Posnaniense spectant, nempe: »Liber resignationum Collegii Posnaniensis Rectorum ab a. 1643 — 1771«, in quo inventarium Collegii singulis tribus annis conscribebatur.

Quartum manuscriptum habet: »Acta Consultationum habitarum in Collegio Posnaniensi Soc. Jesu iuxta ordinationem Patris Nostri Joannis Pauli Oliva conscripta, Potissimum in negotiis Collegii gravioribus, ex quibus informatio haberi possit pro subsequentibus temporibus, praeter eas consultationes, quae de personis fiunt, et aliis ordinariis rebus« ab a. 1684 — 1773. Quintum manuscriptum inscribitur: »Memorialia relicta Collegio S. J. Posnaniensi in eius visitatione« ab a. 1600 — 1773. Denique sextum, cui titulus: »Liber Collegii S. J. Posnaniensis« ab a. 1592 — 1773, continet indicem eorum, quae hoc libro habentur, ordinationes praepositorum generalium, secundam partem Visitationum Collegii, Varias resolutiones acceptas a R. P. Generali ab initio a. 1595.

Manuscripta haec omnia asservantur in Bibliotheca universitatis Jagellonicae Cracoviensis nr. 5194 — 5198, cfr. Chotkowski, Szkoły jezuickie w Poznaniu, Kraków 1893. p. 12 sq.

Eleaemosyna Aprilis.

Accepimus per mensem Aprilem eleaemosynae in pecunia florenos 513. A Dno Ligęza, Castellano Sendomiriensi legati florenos 200, eleaemosynae ab eodem florenos 77. Legati a Do Szoldra floreni 60. Pro piscibus collecti floreni 29. A Do Bobrownicki floreni 25. A Virgine Agnete floreni 10. A. R. D. Nucerino floreni 10. A. Da Magni oeconomi coniuge [1]) floreni 14. Ab aliis variis plusquam 86. Res submissae 100 florenis aestimatae, nempe vas magnum vini ab Episcopo ex Hungaria, pisces, carnes, tortae, lardum, agnelli pro Paschate et varia alia minutiora.

II. Lustratio Nobilitatis Cracoviensis.

Indicta erat lustratio Nobilitatis ad 1am Maii, quae sicuti superiori anno parum felicem habuit successum, ita et isto anno vix meliorem obtinuit. Quia enim sub praetextu lustrationis nonnullos res novas moliri fama erat, ideo prudentiores quique spectatores tantum huius lustrationis esse volebant, non adiutores. Plurima Nobilitas Cracoviam convenerat et ultra Casimiriam in templo lustrationem instituere tentabat. Sed quia et nullus Senator et ex Officialibus vix aliquis eo venerat, ideo lustratio sine ordine ac sine ullo Reipublicae commodo fiebat. Curabatur tamen diligenter a Proceribus nonnullis, qui Cracoviae sub idem tempus cum magno comitatu morabantur, ne quispiam aliquem tumultum aggrederetur; quod et perfectum est. Nobilitas enim videns, omnes ex praecipuis lustrationi non favere et machinationes, si aliquae orirentur, cohibere velle, sine ullis turbis attentatis discessit.

sine ullo ordine facta et dissipata.

A qua die computandum triennium Superiorum.

Quaesitum erat ab Admodum Rdo Pre Nostro, a quo die numerandum sit triennium officii Superiorum Ad hoc 9a huius mensis ita respondit, nihil esse necesse tam exactam triennii rationem habere, cum a Summo Pontifice abrogatum sit, quod de hoc aliquando Societati praescriptum erat. Si tamen mentem meam V. R. scire cupit, puto triennium ab acceptis patentibus numerandum esse in istis Provinciis.

Pris Wysocki extraordinariae primitiae.

P. Simon Wysocki quinquagesimum annum sui Sacerdotii agressus, extraordinarias primitias in nostro templo celebravit 10a istius mensis, primas et secundas vesperas ac Sacrum decantans et manus capitibus hominum imponens. Invitati etiam erant illo die valde multi ad nostrum refectorium hospites. Parum necessaria et parum utilis visa est multis ista ceremonia, maxime cum in his partibus non sit usitata; ideo et P. Joannes Argentus Provincialis, ea cognita, non eam probabat. Et sane nostros res novas inducere, maxime sine necessitate ac utilitate, nullo modo expedit. Instituerat quidem ea de re P. Superior consultationem et omnes Consultores putabant, id concedendum desiderio ac devotioni Pris Wysocki; tamen postea P. Superiorem poenituit concessionis huius et novitatis.

---

[1]) Magni oeconomi arcensis munere fungebatur, post obitum Dni Płazae, Dnus Witkowski.

Recognitio legati data Dº Ligęza.

Cum 13ª huius Dⁿ Nicolaus Spytek Ligęza, Castellanus Sendomirens sisset 100 florenos, reliquos legati Mfcae Annae de Bobrek, et 15ª Aprilis 200ⁿ dedisset, sicuti 13ª Octobris anni superioris dederat 100: ideo de acceptis florenis, iuxta transactionem in Octobre anno superiori factam, data ill a Superiore Domus recognitio.

12. Accepti mutuo a Dº Rab Mille floreni redditi Dⁿᵉ Zurkiewicowae ac debitum ei solutum.

Dª Catharina Zurkiewicowa, volens hortum nostro contiguum hac ditione emere, ut sibi advitalitate relicta, eum nobis resignaret, donaret ac beret (ad eum enim hortum, qui a nobis a Dª Gutteterowa emptus fuit 7 anni superioris, aliquando pertinebat), repetiit a nobis tertium florenorum quod illi debemus. Itaque a Dº Stanislao Rab Proconsule accepimus 21ª mensis florenos mille mutuos, eosque 23ª Dnae Zurkiewicovae dedimus tc debito illi restituto, recognitionem, quam privatim Dae Zurkiewicovae deder ab eadem recepimus ac laceravimus. Quia enim privatim cum ea trans antea erat negocium, ideo etiam nulla necessitas videbatur quietationis pu recipiendae. Porro cum in emptione horti dicti Dª Zurkiewicowa difficu haberet ob absentiam eorum, qui iuris sui in hortum resignationem facere ded ideo mille florenos acceptos tamdiu apud nos deponendos Dª Zurkiewicowa ce quamdiu difficultates non tollerentur. Qua de re significatum erat R. P. Provi

Eleaemosyna Maii.

Data nobis eleaemosyna per mensem Maium in pecunia florenis 353, a Dº Ligęza, Castellano Sęndomiriensi floreni 100 ex residuo Legati. A D drea Staręski ex maiori Polonia missi nobis aurei 50 seu 175 floreni (qui quilibet aureus tribus florenis et grossis 15 constabat). Ab aliis variis plus 66. Res submissae florenis 101 constiterunt, nempe Dº Thesaurario Regn nielowicz tritici metretae 20. A Praeposito Miechoviensi, Dº Mathia Łul triticum, siligo, hordeum, pisa. Ab Abbatisa Staniątkoviensi[1]), a Dna Szelin a Dª Pipanowa butyrum, casei, millium, pultes. Varia alia minutiora a maxime pro primitiis Prⁱˢ Wysocki.

13. *Bartholomaeus Lobzinski* ex Societate dimissus certas ob causas.

Bartholomaeus Lobzinski[2]), qui in Societate sex annis morabatur et ad S. Barbarae domum a 10 fere mensibus Calissio missus erat, ob varia in bus corrigi nolebat: ob elatum spiritum, amorem commoditatum, libertatem et loquendi, fugam laboris ac mortificationis et potissimum ob defectum doris, 11ª huius mensis dimissus est ex Societate, ex voluntate Admodur P. Nostri, de qua significaverat R. P. Provincialis. Post dimissionem pr suos defectus visus est agnovisse, quos antea noluit agnoscere et totius in Societate actae, coram uno ex nostris facta Confessione, casum suum rabilem deflebat. Sed brevi rediit ad ingenium et in saeculo sacerdos fact tam dissolutam duxit et non multum post mortuus est non bene, uti dice ad mortem sese comparans.

Offensioni Monia-

Dum hoc mense unum sacellum templi SS. Petri et Pauli Aposto versus Monasterium Monalium S. Andreae lamina aerea tectum fuisset

---

[1]) Anna Caecilia Trzcińska.

[2]) Nomen hoc in archetypo alio atramento deletum, in indice permansit, sequenti modo annotatum: »Bartholomaeus Lobzinski scholasti Societate dimissus instar ob musas (Mscrpt. fol. 572 nr. 13).

...uali, in modum draconis efformato, tempore magnae pluviae tanta vis aqua... lium ratione ne canalis occurritur.
...m decidisset, ut in monasterium, inferius situm, magno impetu irrumperent: ...iserunt ad nos Moniales 12ª istius mensis R. D. Praepositum Corporis Christi, ...ui tunc illius Monasterii curam habebat[1]), conquerentes, quod ita aqua eas obru... ...imus, et petentes, ne canales ex templo versus earum monasterium dirigantur. Responsum est: non ob canalem ita positum, sed ob earum culpam id contigisse, quia videlicet in area ante monasterium maiorem aquaeductum, quem antea nostri suaserant, admittere nolebant. Brevi ergo post, aperto loco ampliori pro aqua ex pluvia decidente alio derivanda, periculum illud desiit et pro illo tempore et pro sequenti.

14. Mors Nicolai Zebrzydowski, Palatini Cracoviensis, de multis aliis et de nobis optime meriti

Mortuus est 17ª huius mensis Nicolaus de Zebrzydowice Zebrzydowski, Capitaneus Generalis et Palatinus Cracoviensis, insignis huius nostrae Domus et usque ad mortem perseverans Benefactor. Nam ut taceam illum Confundatorem Collegii nostri Lublinensis, Extructorem nonnullorum templorum, Fundatorem Patrum Bernardinorum in loco Calvariae, in quo monasterium, templum et plurima sacella, adhuc vivens, ex muro, vario artificio construxit; PP. Carmelitarum discalceatorum ac Monasterii Monialium S. Theresae magnum Promotorem; de Congregatione Misericordiae, cui una vice tria millia florenorum dederat, optime meritum; ut inquam haec et alia plurima taceam: Domui huic nostrae nunquam destitit bene facere, etiam illo tempore, quo tumultus Rokoszanorum duravit. Cui ille sese implicaverat non quidem illa intentione, quam haeretici aliique rebelles, qui se illi adiunxerant, habebant; non tamen sine culpa, ut ex iis, quae de actis Rokoszanorum fuse retulimus, patet. Quam tamen culpam ille diu non agnoscebat. Obiit omnibus munitus Sacramentis et nostris per duos dies ac noctes illi asistentibus, imo ab uno ex nostris et SS. Eucharistiae Viaticum et extremam unctionem sumere voluit, quod et factum est.

etiam sub tempus Rokoszi.

Auxilium miraculosum B. Campiani Martyris.

Significaverat 20ª istius mensis P. Nicolaus Szelski P. Joanni Argento Provinciali de uno Sacerdote externo, in extremis posito et per invocationem B. Campiani, Martyris Societatis nostrae, sanitati restituto, qui etiam illi in magno lumine apparuerat.

Adventus Pris Provincialis. Oratio 40 horarum in S. Petro.

Venit R. P. Provincialis Joannes Argentus 25ª huius Cracoviam et inprimis coepit visitare Novitiatum. Habuimus Orationem 40 horarum pro necessitatibus Regni et Christianitatis in templo novo SS. Petri et Pauli Apostolorum per duos dies, a 28ª huius sumpto initio. Magno concursu ab omni statu hominum frequentata ea Oratio. Cantavit in ea et vesperas utrasque et Summum

[1]) Martinus Kłociński.

Sacrum R^mus Sirmiensis Episcopus. In Summo Sacro concionatus R. D^r Łukomski, Canonicus et Doctor Theologus, magna cum satisfactione. In fine Orationis concionem habuit P. Andreas Brzozoviensis, cuius quaedam verba in malam partem arripuerant PP. Dominicani, ut sequenti mense dicemus.

Eleaemosyna Junii.

Florenos 163 in pecunia pro eleaemosyna hoc mense accepimus. Ab Episcopo Cracoviensi [1]) florenos 50. A Palatino Cracoviensi [2]) ante mortem florenos 28. A M. D. Thesaurario Curiae D° Górski florenos 30. A R. D° Bucki florenos 10. A quibusdam Benefactoribus florenos 12. A variis aliis floreni 32. Res datae 66 florenis sunt computatae, nempe vas vini a D° Kisiołek, triticum a D° Amando, ligna a Palatino Cracoviensi, casei ab Abbatissa Sądecensi[3]) et varia minutiora ab aliis.

15.

Ob verba nostri Concionatoris male accepta

Dixerat aliquid noster concionator in fine superioris mensis, Orationem concludens, contra Lutherum, Oecolampadium, Erasmum obiter. Et cum Erasmum verum corvum fuisse insinuasset, quidam malevoli, qui antea R. D^m Piekarski Dominicanum concionatorem templi parochialis nonnulla de corvis in aede B^mae Virginis dixisse audiverant et contra nostros eum sermonem direxisse putabant, omnia, quae contra haereticos erant dicta, tanquam contra D^m Piekarski essent dicta, cum magnis et falsis amplificationibus tum D° Piekarski, tum Patribus aliis Dominicanis retulerunt. Addiderat noster concionator, Oecolampadium auloedum fuisse et visa aliqua Diana, hanc artem exercuisse: quia D° Piekarski artem fidibus pulsandi noverat, illum omnino a nostro notatum significabant. Commoti hac re vehementer PP. Dominicani, nihil quaerentes a nobis, an res ita ut referebatur se haberet nec ne, et in templo Parochiali B^mae Virginis et in templo SS^mae Trinitatis, 2^a huius mensis, ingentes contra nostros invectivas instituerunt. Et quidem ille, qui in aede SS^mae Trinitatis concionabatur, illa verba Apostoli: »Inimici crucis Christi, qui terrena sapiunt, quorum Deus venter est et gloria in confusione eorum«, per unum fere horae quadrantem nostris applicabat, atroces mordacitates inspergens. Dum ita res procederet et tota civitas ea contra nos dicta audiret, Venerabile Capitulum Cracoviense voluit providere, ne talia inter nostros et PP. Dominicanos serperent. Et quidem R. D. Joannes Zerziński, Vicarius in Spiritualibus Generalis, nobis male affectus, nostri concionatoris verba nimis exagerans, per eum, quem ad nos miserat, varias minas etiam de prohibendo nostro a concionatoris

Patres Dominicacani

contra nostros invectivas publice pro concione faciunt.

Capitulum his providet.

---

[1]) Martinus Szyszkowski.

[2]) Nicolaus Zebrzydowski.

[3]) Elisabeth Kołaczkowska, hoc anno, post Sophiam Boczkowska, electa.

ere addebat, mitior tamen postea factus erat, dum ei Superior us, ad eum veniens, rationem totius huius negotii dedisset; quam- contra nostrum concionatorem, qui etiam ad eum postea iverat, ta acerba dixit. Miserant etiam nostri ad PP. Dominicanos R. D. Per Praelatos nostri expostulant cum PP. Dominicanis. ream Łukomski et R. D. Sebastianum Nucerinum, qui nostri con- atoris intererat concioni. Hi illis nomine nostro ostendebant, quam a illis contra nostros sint relata et quam atrociter eorum con- atores contra nostros e loco publico sint debachati. Amice etiam querebantur, quod non audita altera parte ita processerint et pe- ant, ne aliquid imposterum simile fiat. Venit statim ipse Prior ad Venit eorum Prior ad P. Provincialem. P. Provincialem, declarans summum suum dolorem ex iis, quae inscio sui concionatores fecerant, et ad omnia, quae vellet R. P. vincialis, se submisit. Res ergo ita est composita, ut et noster con- Componuntur omnia. ator prima occasione et PP. Dominicanorum concionatores simi- pro concione reprehendant eos, qui ad contentiones et discordias inandas aliter referunt ea, quae pro concionibus dicuntur. Deinde illud constitutum, ut si vel nos aliquid intellexerimus referri de ribus Dominicanis contra nos, vel illi a nostris contra se, prius eriores privatim ea de re agant et non statim publice res fiant. isfecit abunde noster concionator, dum in aede B. Virginis in arena et compositioni satisfecit noster. idem tempus concionaretur apud PP. Carmelitas Mitigatos, pri- e conditioni, ostenditque ex occasione, irrito conatu quosdam et sine magno peccato discordias inter religiosos seminare relatio- us falsis etc. An idem factum fuerit a PP. Dominicanis, nihil no- constare potuit. Vel ab Officiali D° Zerzyński, vel ab aliquo ex elatis nobis malevolis, significatum hoc negocium fuit Episcopo acoviensi. Et licet eidem nos etiam de re tota scripsissemus, ma- Episcopus ob hanc rem nostros perstringit. tamen ille suorum litteris quam nostris credens valde acres ad miserat litteras. Ita nimirum et Praelati Cracovienses et Acade- ci etiam minimas occasiones contra nos arripiunt et eas non facile erunt.

A 5ª huius mensis ad 13am visitavit domum hanc R. P. Provincialis et Visitat R. P. Provincialis. is de totius Provinciae negociis habuit consultationes.

16. *Adrianus Grodecki*[1]) postquam 10 annis in Societate mansisset, ex eadem uius est dimissus. Is ob rem nullius momenti, seu ob levem reprehensio- , ante annum, Torunii gravissime turbatus, ita obstinate dimissionem petiit, *Adrianus Grodecki* ex Socie-

[1]) Nomen hoc alio atramento deletum est, sed mox et anno sequenti de iterum fiet mentio. In indice archetypi nomen hoc quoque permansit.

tate dimittitur, obstinatissime enim petebat dimissionem.

ut nullus omnino modus eum ad saniora consilia reducendi etiam ab i P. Provinciali inveniri possit; ut interim taceam, domi nostrae cum plu tribus mensibus moraretur, plurima cum illo fuisse et suavia et acria t irrito conatu. Imo et ante dimissionem nullo modo ad indifferentiam potuit, sicque sine confessione et absolutione datae illi patentes, ut videli cietas esset libera ab homine ita desperato, qui si non fuisset dimissus, insaniam vel ad violentas sibi manus inferendas redigendus non paucis batur; id enim etiam facies eius praeferebat. Venerat Cracoviam ad S.

Non movetur exemplo unius inconstantis statim mortui.

ram Torunio 2ª Aprilis, qua die quidam Staskowski, qui vocationem et d probationis Societatis, ad quam venerat, deseruerat, ex equo deciderat et fracta statim mortuus fuerat. Sciebat de hoc miserabili casu Grodecki, qu per eum locum iter faciebat, in quo res contigit, nihil tamen eum atrox plum movit.

Discedit R. P. Provincialis.

Renovatio Votorum more consueto 12ª istius mensis praesente e brante R. P. Provinciali peracta. Sequenti die post discessit a nobis R. vincialis Calissium versus, cum P. Stanislao Radziński, qui tunc eius soci et cum P. Friderico Szembek, quem ob quaedam negocia iusserat secum tum tempus Calissium ire.

Rectores ante confirmationem ad horam considerationis tenentur.

Quaesitum erat a R. P. Nostro, an Rectores, quando incipiunt gub etiamsi nondum sint confirmati, statim obligentur et ad horam consider et ad docendam doctrinam christianam. Ad id 18ª huius mensis ita resp est: Antequam Rectores accipiant patentes, dum actu gubernant, tenen horam considerationis; ad doctrinam vero christianam non nisi postqua firmati sunt, licet patentes nondum acceperint.

17. Sepultura Palatini Cracoviensis.

Sepultura Palatini Cracoviensis, de cuius morte 17ª sup mensis egimus, in templo arcensi solenniter peracta est 21ª mensis. Omnes nostri Sacrum defunctorum pro anima eius di et Fratres Coronas. Invitatus erat pro cantando Sacro lugubri deducendo pontificaliter funere R^mus^ Episcopus Sirmiensis[1]) t ipso filio tum ab aliis, sed id R. D. Zerziński officialis imp Non aequis enim oculis ipsum Episcopum praedictus Officialis ciebat. Dabant inter alias rationes nonnulli etiam hanc, quod cet molestum illi esset, perpetuo fere nobiscum praedictum pum conversari. Quod an se ita habeat, viderint illi. Fama er pus Palatini secreto translatum in Calvariam a PP^bus^ Bernardi

Comes Homona moritur.

Hac ipsa die Laskis prope Samboriam mortuus est Comes Georgi geth de Homona, Fundator Collegii nostri Homonensis. Et quidem mort non sine suspicione veneni, vir ob fidem catholicam inter Hungaros pro dam et ob alias varias virtutes longiori vita dignissimus. Decessit ex h

[1]) Ladislaus Majthenyi.

nitus omnibus Sacramentis assistente P. Martino Kaldi, nostrae Societatis, qui
st mortem eius Cracoviam venerat.

Festum Sancti Patris Ignatii consueta solennitate obiimus, cantante sum- 18. Festum S. Patris.
m Sacrum Episcopo Sirmiensi et concionante R. D. Sebastiano Nucerino in
dio eiusdem Sacri. Excepti prandio R^mus D^s Suffraganeus Cracoviensis, R^mus
iscopus Sirmiensis, R. D. Nucerinus et Magnificus D^s Szydłowski. Hoc anno, Eius patrocinii miraculosum auxilium.
st quo mense id factum sit non invenio, quaedam Mahona dum in partu per
luum gravissime laboraret et filium enixa, post unicam oscitationem iam iam
ritum exhalantem, obstretrix pia B. Ignatio devota et ipsa humi prostrata B^i Pa-
auxilium implorat et aliis praesentibus idem omnino suadet. Non defuit Do-
ius ferventibus orationibus ac votis conceptis. Brevi enim post puer revixit
naeque sanitati patrocinio B. P^is post modum restituitur. Mater grata bene-
i ad altare Beati tabellam argenteam appendit.

Accepimus mense Julio pro eleaemosyna in pecunia florenos 156. A R^mo Julii eleaemosyna.
iscopo Praemisliensi [1]) florenos 50. A D^o Joanne Zebrzydowski, Capitaneo
ccoronensi, florenos 50. A Virgine Langowna (praeter ordinariam, quam sin-
is mensibus a multis annis florenorum 8 dare solet) florenos 10. A Virgini-
s pro nobis mendicantibus florenos 13. A variis aliis florenos 33 et aliquid
plius. Res submissae florenis 56 aestimatae sunt, nempe vas vini a Mfco Dno
no Oeconomo[2]), a Virgine Szydłowska prandium; butyrum, pisces, panes, car-
s ab aliis.

Post mortem D^i Georgii Homonai videns P. Alexander Dobokai nostros Media pars debiti pro Comite Homona solvitur domui.
d S. Barbaram metuere, ne 200 floreni praedicto Domino 2^a et 26^a Januarii,
supra annotavimus, mutuo dati ob eius mortem pereant, ipsemet ex pecunia
uisita 100 florenos seu mediam partem debiti nobis 20^a Augusti reddidit et
altera parte brevi reddenda bonam spem fecit. Quae tamen nonnisi post
os annos, ut suo loco habebit, restituta est.

Eadem die D^s Petricovius, Juris Doctor, 100 exemplaria pro eleaemosyna Doctoris Petricovii eleaemosyna in libris.
mui miserat, librorum Precariorum Polonicorum, a P. Laterna S. Memoriae
'orum, titulum Polonicum »Harfa« praeseferentium, qui postea venditi in
mptionem aliorum librorum conversi sunt; quod etiam fiebat cum aliis libris,
ae vel ante vel post praedictus D^s Doctor domui nostrae dabat. Antiqua et 19. A Virgine Langowna floreni 1000 pro solvendo horto.
mus et templi nostri Benefactrix virgo Barbara Langowna, sciens nos mille
renorum debitum contraxisse necdum exsolvisse ex illis, quae mutuo accepe-
nus pro horto emendo tertiam partem, ideo 21^a huius mensis mille florenos
Valentino Mathiae ad manus P. Superiori ob exolvendum reliquum debitum
ti deferendos tradidit. Quibus acceptis P. Valentinus statim in genua provo-
us iussit, ut Virgo Barbara secum alternatim Hymnum »Te Deum laudamus«
itaret. Quod cum factum esset, quaesiit virgo: cur eam iusisset hymnum
elictum recitare. Ideo, subiecit ille, iussi, ut Dei agnosceres beneficium, qui Cur P. Valentinus Confessa-
satis pauperi benefaciendi large famulis suis dat tantam gratiam, quantam
ris Regni Proceribus et aliis plurimis ditissimis non dat. Ita enim bonus

[1]) Joannes Wężyk.
[2]) Witkowski.

rius iusserit eam Hymnum Te Deum laudamus dicere.

Pater pientissimam virginem (eius enim confessarius ad mortem usque erat) et in humilitate et in tam larga eleaemosyna gratiae divinae recognitione instituere volebat. Accepta eleaemosyna Superior Domus, quam sub hoc tempus ab illa virgine (quae singulis mensibus ordinariam eleaemosynam 8 florenorum et extraordinariam valde frequenter a multis iam annis domui submittebat) non expectabat, licet valde sollicitus esset de mille florenis D° Stanislao Rabo in Septembri, sicut convetum erat, solvendis, sequenti die Sacra nostris Sacerdotibus et Coronas Fratribus pro tanta Benefactrice indixit et eandem adiit ac illi totius domus nomine, uti conveniebat, magnas egit gratias.

Sacra pro ea indicta.

Eleaemosyna Augusti.

Insignis hic mensis fuit magna eleaemosyna pecuniaria, quae ad 1479 florenos ascendit. Nempe a Virgine Langowna floreni 1000 pro reliquo debito, in emptione horti contracto, solvendo; a Mfco D° Rudnicki legati post mortem eius aurei 50, qui 200^{s} florenos legaverat et tunc in Maiori Polonia quilibet aureus 4 florenis constabat, Cracoviae tamen nonnisi 175 florenis tunc constabant. Ab Episcopo Cuiaviensi [1]) floreni 100, a Consulibus Cracoviensibus floreni 100, a Comite a Tarnów floreni 50, Executores testamenti D^{i} Kochanowski florenos 20; ab aliis variis 28 floreni etc. Iam res datae computatae sunt florenis 81; nempe libri a D° Doctore Petricovio florenis 60, duo vasa butyri a D° Magno Oeconomo, a Dª Gawrońska vas butyri et casei et aliud vas a D° Skórczewski et varia ab aliis esculenta ac poculenta.

20.

Expeditionis Nostrorum in Valachiam causa.

Quia sequentibus mensibus Septembre ac Octobre tum expeditio nostrorum in Valachiam cum exercitu contra Turcas ac Tartaros, tum insignis clades contigit, ideo haec breviter, quomodo transacta fuerint, perstringemus. Osmanus, Turcicus Imperator, praetensa Kosacorum in eius dominia irruptione (qua illi Tartaricas in Russia depraedationes sive etiam aliquam aliam ob causam ulcisci sese aiebant) et impulsu rebellium Germanorum, quorum Legati Constantinopoli tunc degebant et contra Polonos stimulabant, haud perinde formidoloso (!) sibi futuro (!) Ferdinando putantes, si nostri per acies distinerentur, repulso Constantinopoli et indignissime tractato Otfinovio [2]), Regio internuntio, ius etiam hostium sacra legationis et fas gentium violavit. Praefectum, quem Polonis faventem et Valachis transitionem ad Polonos suadentem intellexerat, constrictum vinculis ad supplicium Constantinopolim retrahere iubet. Statim Skinder Bassa copias colligit. Gratianus [3]), qui etiam Tartarorum incursiones saepe nuntiabat, sive vera sive simulata in nostros propensione, de apparatu

Osmani Turcici Imperatoris foederorum violatio.

Eius iussu Skinder Bassa exercitum colligit.

---

[1]) Paulus Wołucki.

[2]) Hieronimus Otwinowski, missus erat Constantinopolim anno precedenti, de pace cum Turcis tractaturus.

[3]) Gratianus erat dux Valachiae.

Skinder Bassae nostris significat, auxilia contra eum promittit et ut Skinder Bassae nostri occurrant, suadet. Addebant fidem crebriores in dies de apparatu Turcico nuntii. Nec iam dubitabant nostri de bello, sed illa in re haerebant: pergerentne in Valachiam, an in Poloniae Regno operarentur hostem, seu an defensivo tantum, an etiam offensivo bello contra hostem esset procedendum. Pro utraque enim parte plurimae non deerant rationes. Accendebat Gratianus multorum animos ad bellum offensivum, sed Stanislaus Zolkievius, supremus exercituum Dux et Regni Cancellarius, initio renuebat, memor illius veteris: »Omnia prius consilio experiri quam armis sapientem decere;« tandem militibus instantibus, fortiora quam prudentiora suadentibus accessit, maxime cum intellexisset et Regis et variorum Senatorum eandem esse sententiam. Scripsit ad Regem literas, quibus significabat: se hactenus a bello offensivo fuisse alienum, ne cum parva manu egressus patria, velut uno ictu exercitum absumeret; non se tamen ultra detrectare certamen et discrimen, imo cuique tam se ipsum quam filium unicum offerre; hoc tantum a Deo votis expetere, ut si aliquid sinistri immineat, id suo potius filiique sanguine et vita, quam exercitus patriaeque damno pietur. Solatium mortuis et praemium fore, si teneret Rex utrorumque memoriam: aut superstitem bello filium, fortuna si servaret, Patris vicem in eo ne obliviscetur. Sibi enim iam actam aetatem, certum et decretum mori: hoc solum se infesso laboribus et expeditionibus relinqui, novissimum spiritum domi inter contumelias, an in acie per fortitudinem effundat. Haec inter alia non pauca Zolkievius ad Regem scribens, post ad castra pergit. Militum 5 millia stipendiariorum et duo tantum millia Kozakorum (nam alii illum sequi nolebant, eo quod acerbior antea contra illorum in Turcas excursiones illis videretur [1])) recenset, Ty-

Nostri deliberant: an defensivum an etiam offensivum bellum inferre debeant

Concludunt de offensivo.

Ea de re significat Regi Zolkievius

et nonnulla ab eo petit.

In traiectu

[1]) Veram huius defectionis causam ignorasse videtur noster Wielewicki. Paulo ante enim venerat in Rutheniam Graecus quidam, nomine Theophanes, qui a Turcis Moscoviam missus erat ad foedus cum duce Moscoviae contra Polonos componendum. Hic Kijoviae commorans Kozakorum animos, praesertim ipsorum praefecti Konaszewicz, contra Polonos incitavit. Cum enim episcopi rutheni s. Unionem cum s. Sede apostolica (1596) iniissent, religionem graecam a Polonis oppressam esse, praetendebat. Ad renovandum schisma consecravit Theophanes, qui episcopum prae se ferebat, inscio rege nostro Sigismundo III octo episcopos, quamvis nulla sedes episcopalis in Ruthenia vacabat. Qua re factum est, ut Kozakorum paucus tantam numerus ad propugnandos Turcas Zolkievio progredienti obviam venerit.

nostrorum per Tyram fluvium mala omina.

ram fluvium 3ª et 4ª Septembris traiicit; in quo traiectu tum nitratus pulvis, qui vehebatur, in profluentem demersus, tum cum moveretur agmen, signum Supremi exercituum ducis sine violentia ulla adhibita fractum, mala omina multis visa.

Salutatur a nostris novus Palatinus Cracoviensis.

Eadem 3ª Septembris novum Palatinum Cracoviensem, Joannem Comitem a Tęczyn, Domus Superior cum Patre Alberto Czerniakowski, suo Antecessore, Moravicis invisit, adeptum Palatinatum gratulatus est et sua obsequia religiosa obtulit. Humanissime nostros excepit Palatinus omnemque suam benevolentiam ostendit et brevi post stipendium salis Vielicensis, illi tanquam Palatino debitum, nobis ad vitam usque suam donavit, quod et Antecessor eius fecerat. Constat

Solvimus debitum Dº Rabo.

id annuis florenis fere 111. Restituimus Dº Stanislao Rabo Consulari florenos mille (quos nobis in Maio mutuos dederat) 4ª huius mensis, acceptamque ab eo recognitionem laceravimus. Sed iam ad nostros in Valachiam redeamus.

21. Gratianus Agam Turcicum in vincula coniicit.

Vix nostri Tyram traiecerant, cum undique rumores per Valachiam sparsi sunt, Polonos iam terra potiri, ingentem eos habere exercitum, quos Gratianus ipse mirum in modum exaggerabat. Interim Turca suspectum iam habens Gratianum, Ali Agam cum nonnullis Turcis ac Tartaris, qui clam fere mille in Valachiam sese insinuarant, submiserat, ut Gratianus vinctus Constantinopolim deduceretur. Habens eam rem perspectam Gratianus et nostrorum, qui iam Tyram traicerunt, spe fultus, prodiit in campum, in quo erant posita tentoria. 5ª huius ibi dum sedet, advertit Agam in suo tentorio suum locum occupantem, qui etiam illi nomine Imperatoris denunciat, eum esse vinctum et captivum, in signumque eius rei strophiolum manibus Gratiani imposuit. Gratianus clava militari, quam manu tenuit, Agam percutit, eundem catenis cingit ac incarcerat cum nonnullis

Alios Turcas mactat.

aliis. Reliquos, qui penes Agam erant Turcas cum aliis, qui erant in civitate, perimit. Pauci Turcarum fuga elapsi Skinder Bassae, iam Valachiae apropinquanti, occurrunt et omnia nuntiant. Cognita strage Turcarum nostri coeperant esse securiores et ex disciplina militari nonnihil remittere. Valachi nostrorum perspecta paucitate, an nobis

Cognita nostrorum paucitate, fugam meditatur, sed eam impedit Zolkievius.

an Turcae adhaerere deberent, haerebant. Gratianus vero, nuntio certo accepto de minore spe exercitu nostro, fugam meditabatur et vitatis nostrorum castris, Chocimum venit, ut inde per Pocuciam in Germaniam evadere fuga posset. Sed eam fugam impedit Zolkievius et securioribus litteris, ut veniret in castra, admonet. Quibus ille territus, certo si abnuisset exitio, ultra nec fugendi nec manendi potens, pau-

Venit in castra.

cis suorum comitatus 7ª Septembris in castra venit. Cognoscebantur

a nostris Ducibus Zolkievio et Koniecpolscio et ab aliis tam Gratiani quam Valachorum artes; sed praemebantur ob militem, ut spe donativi a Gratiano promptior in officio esset et ut Valachi animos ad nostros facilius inclinarent. Benigne ergo et honorifice in castris habetur Gratianus, convivio etiam excipitur et per epulas ac vinolentiam consilia, copias, animum hostium ab eo nostri expiscantur. Sed cautus Gratianus numerum hostium extenuat et aperte non procedit. De sede belli interim Duces consilium habent et paucitatem militum videntes, ire versus oppidum Cecoram camposque et locum, quem olim Joannes Zamoscius insederat, occupare ipsis visum. Aggregabantur sub id tempus ad Skinder Bassam magnae Turcarum et auxiliariorum copiae. Aderat Galga, Chani frater, et Kantimir cum ingenti Tartarorum exercitu. Aliquod etiam Primores Valachi ad Turcas profugiunt. Gratianus vero militem ad praelium et festinatos casus continuo impellebat, ut Skinder Bassa, antequam illi Tartari iungerentur (ita enim aiebat), longinquitate itineris fessus facilius opprimeretur. Sed ille forsan hoc modo aut nostros prodere et meritum aliquod apud Turcam obtinere, aut ipse fuga sibi consulere meditabatur. Ventum ad Cecoram oppidum 12ª huius mensis et ibidem castra metantur, missusque cum expedita manu Odrzivolscius speculatum consilia, animum, itinera, copias hostium, brevi rediit, hostes adesse nuncians. Signum frumentatoribus tormento, ut redirent, datum. Pars regressi, plures onusti praeda aut palantes per agros in manus hostium circumventi venerunt. Orto die 18ª istius mensis hostes, compositi per vexilla, consistunt. Nostri etiam in campum prodeunt. Velitationes crebrae in longum diei productae, prospero nostrorum eventu. Tartari in velites incurrunt et eorum cohortes turbant, sed Dinophius cum suis erumpens ita pugnam restituit, ut velitibus iterum Tartari cederent, quanquam cedendo astum consuetum occultabant, ut videlicet fuga sua nostros ulterius evocarent. Nox interim imminebat, ideo Zolkievius receptui canere iubet. Accensi nostri summam certaminis in crastinum deposcunt a Ducibus, nec Duces abnuunt, ac de praelio crastino inter se conferunt. Cognoscitur interim a Tartaro captivo, hostium adesse 100 millia, unde de differendo certamine coeperunt Duces cogitare; sed miles in sua postulatione arciter perstitit. Itaque relicto valido a tergo castrorum, qua fluvio dividebatur, praesidio, 19ª huius mensis certamen in apertum producitur hoc ordine. Una et altera carrago, quas lixae agerent, ex centum circiter

Honorifice et benigne tractatur, licet suspectum Duces haberent.

De sede belli fit consilium.

Skinder Bassae multi aggregantur.

22. Castra metantur ad Ciecioram.

Hostes prodeunt in aciem.

Velitationibus, quae nostris feliciter cedebant, dies absumitur.

Instruitur a nostris sequenti die acies.

vehiculis conficitur, fimo ac terra repletis. Utrique a tergo, fronte, lateribus quatuor tormenta et aliquot bombardarum soraca adduntur. Inter haec facto spatio, pedites emittebantur duabus castrorum portis, addito praecepto, ut pariter procedentes eatenus ex aequo progrederentur, quoad relictus in medio campus succedentes sibi legiones totumque exercitum reciperet. Sed incassum data imperia. Nam cum Ducum alter gravi senecta vix omnia per se intervisere posset, alter autem emittendis cohortibus attenderet, sinistra carrago haud procul vallo substitit, dextra ultra quam satis progrediens frontem propriumque latus late et longe nudavit sicque acies, quae quadrata esse debuerat, in enormem et parum utilem mucronem porrigebatur. Hostes etiam suas acies instruunt et validissime in nostros incurrunt. Initio quidem nostri felicissime hostes reiiciunt, sed postea non parum turbatis aciebus, atrox commissum praelium illudque varium ac anceps ad noctem usque duravit per 6 horas, quae etiam pugnam diremit. Caesa hostium 3.500, maior numerus vulnerati. Ex nostris 350 desiderati. Inter hos ceciderunt Primipilarii Wrzescius, Goslicius, Kowalskovius. Duo iuvenes Zolkievii vulnerati et varii alii cohortium Praefecti, ut Dinophius, Strusius, Kasanovius, Almadi Hungarus, Praefectus peditum.

Quae tamen non eo ordine, qui praeceptus erat, processit.

Praelium atrox per 6 horas durat aequali Marte.

Caesorum et vulneratorum numerus.

23. In castris dum Duces deliberant de nostris liberandis ab hoste, tumultus ingens oritur, quem fuga multorum secuta.

Vix nostri sese in castra recipiunt, dum belli Duces praeclare advertentes in tanta nostrorum paucitate contra tantum exercitum aperto campo nullo modo pugnandum esse, de modis deliberant, quibus et per tractatus hostes aliquando tempore distineant et munimento currorum septos nostros per medios hostes ad fines Regni deducere possent; dum, inquam, haec Duces deliberant, ingens tumultus in castris oritur ingeminantium, in quanto fuissent omnes discrimine, a quo nec iam abessent undique clausi: superesse tantum mortem et aeternam oblivionem etc. Hinc secutus panicus terror, in quo ille se putabat felicissimum, qui primus ruebat ad exitium et ob summam confusionem sine consilio quilibet fugiebat et nesciebat, quo vel propter quid. Principium fere fugae erat a Gratiano, qui etiam illam aliis suadebat; metuebat enim, ne Skinder Bassae traderetur et supplicium lueret. Equo igitur in alteram ripam Pruti elatus, exitium, quod evaserat, ad breve tempus latebra distulit; exceptus enim unius Valachi tugurio, ab eodem Valacho trucidatur, qui tamen postea Valachus Alexandro, Principi Valachiae facto, cum caput Gratiani premium ab illo sperans attulisset, ab eodem peremptus est;

Gratianus fugit et occiditur.

solito Principibus metu, ne quis simili facinore paratum ex diverso apud alium praemium etiam ex se speraret aut peteret. Gratianum secutae plurimae cohortes etiam cum suis Praefectis lugubri spectaculo et obvia poena, dum alii vadorum ignari peralto et subdolo amne haurirentur, alios densi raperent traherentque vortices et si qui in alteram partem elati, statim a Scythis at Valachis in sylva ipsiusque latebris trucidabantur. Egressi Duces cum Centurionibus nec imperio et autoritate nec precibus evocare poterant fugientes et ne violenter retraherentur, tum fluvius tum hostium saevitia et proprium cuiusque periculum obstitit. Nec finis miseriarum; stationes et magna ex parte castra relicta videntes, obvia quaeque diripiunt et magnam castrorum partem accendunt lixae et calones, qui fortunam, ubicunque inveniunt, amant. Extincto tandem incendio redierunt in castra multi inviti, plures nocentes, qui more captivorum attoniti, ruinas et busta castrorum defixo vultu intuebantur. Nullus tunc in iudicium vocatus, dissimulantibus omnia Ducibus et adhuc incertis, periculosiorne foret severitas an clementia. Et nisi Duces cum Centurionibus salubri cum Skinder Bassa tractationum simulatione confusionem exemissent simulque vim hostium cohibuissent, omnes extremo exitio valde propinqui erant. Quanquam tunc Deus ipse nos tutatus est, qui Turcas et Tartaros tenuit, ne per octo dies castra nostra adirent. Confusione tanta utcunque sedata, Imperator Zolkievius omnes classico convocat. Cum frequentes convenissent, diu tacitus stetit; tandem gravissima oratione ostendit acerbitatem eorum, quae post conflictum generosum in castris contigerunt, ostendit et periculum ab hoste imminens a tot hostibus et denique hortatur, ut necessitate faciant virtutem, se praeeunte et caput primo suum in omnem aleam devovente, per medium hostis reditum in patriam tentent. Assenserunt sublato clamore milites et se ad resumendam militiam omniaque, quae iusserit, facienda obtulerunt maxima cum alacritate.

Gratianum variae nostrorum cohortes sequuntur et pereunt

24. Calones castra spoliant et incendunt magna ex parte.

Sopita confusione

Zolkievius oratione ad saniora reducit.

Sed redeamus nonnihil ex castris. Ante Generalia Comitia Regni, quae in 3am Novembris indicta erant, cum districtus Cracoviensis comitiola Prosovicis 21a huius mensis celebranda essent, constituerant Academici apud Nobilitatem efficere, ut unus inter articulos Varsaviae proponendos in facie Reipublicae esset: de nunquam admittendis Jesuitis ad docendum in Cracoviensi civitate. Scripserunt ea de

Ne Academici in comitiolis contra nostras scholas agant,

re nostri ad Episcopum Cracoviensem[1]), qui etiam ad comitiola Prosovicensia venerat. Statim hac re cognita Rectorem Academiae, qui Prosovicos ob hoc negocium accurrerat, ad se vocat et graviter interdicit, ne ullo modo aliquam huius rei mentionem faciat. Cumque ille obiiceret, se et suos metuere, ne Patres Societatis reditus Academiae usurpare vellent, iussit Episcopus eos esse securos et spopondit Patres, si scholas Cracoviae aliquando habuerint, non ab Academia sed aliunde reditus habituros. Addidit et illud, scholas Societatis non obfuturas Academiae, sed potius ornamento et auxilio futuras.

Episcopus efficit.

P. Vasarhelini cum socio ex carcere liberatur.

P. Daniel Vasarhelini cum Paulo Czomofai Adiutore venerunt Cracoviam 22ª istius mensis, liberati ex carcere Jasinensi, in quem a Gaborianis militibus erant coniecti et in quo sex fere menses detinebantur. Liberati autem erant precibus Palatini Hungariae Dⁱ Forgacz et eius coniugis et in domo S. Barbarae manebant, dispositionem Superiorum de se expectantes.

Litterae Zolkievii ad Regem et suam coniugem

Stanislaus Zolkievius ex castris Cieciorensibus 24ª Septembris et ad Regem Sigismundum III et ad suam coniugem Zolkvam misit litteras de iis significans, quae cum hoste intercesserant ac nostris, et de eo statu, in quo iam ipse esset cum reliquis, qui supererant. Nullum tamen nominavit ex iis, qui ex castris profugerant; tantum eos in communi accusavit, quod totum exercitum conturbaverint et confuderint. Et simul suadet, ut sua Maiestas de subsidiis ac supplementis cogitet, quorum necessitatem maximam ipsa res ostendit. Extant apud varios istarum literarum copiae.

25. Nostros Cieciora egressos hostes aggrediuntur irrito conatu.

Nostri Cieciorensia castra relinquentes 29ª huius mensis circa vesperam, instructa acie et bene munita a fronte et a tergo tormentis, in medio curribus ac vehiculis, quae septem ordinibus incedebant et quae antepositus propriis signis cingebat miles, introrsus impedimentis et equis receptis, itineri se dare coeperunt. Nihil minus hostes expectabant ideoque subito accurrerunt et tota nocte nostros persequebantur, sed irrito conatu. Sub ortum solis 30ª Septembris toto impetu in nostros irruerunt, ideoque consistendum nostris erat et cum hoste confligendum. Duabus fere horis et tormentis bellicis et Janiczeri sclopis nostros graviter impetebant; divino tamen auxilio ita reiecti sunt, ut abscedere cogerentur, unde etiam aliquid quietis habuerunt et transferre castra in tutiorem locum nostri potuerunt. Coeptum iterum primis tenebris iter, undique cingente hoste, et nocturna ignoratio ictus, sonitus bellantium, accurrentium, euntium, a

Iterum irruunt, sed repelluntur.

Noctu similiter.

[1]) Martinus Szyszkowski.

tergo, a fronte repercussae voces, huc illuc distrahebant turbidis clamoribus. Et cum eadem continuo accederent, tamen velut assueti malis obstinato ad mortem aut victoriam animo constanti gradu ad lucem prosequebantur iter et proelium.

Per mensem Septembrem eleaemosynae pecuniariae accepimus florenos 47. Res vero datae constabant florenis 25. Nempe siliginis metretae 5 et tritici aliae a D. Hieronymo Szembek. Butyrum, lardum et alia minoris momenti ab aliis. Eleaemosyna Septembris.

Sed ad nostros in fine mensis superioris ex Cieciora egressos revertamur. Prima ergo Octobris post ortum solis, nostris profundam vallem intrantibus, vix spatio consistendi dato, quietem rursus eximit Skinder Bassa nostros fessos omni ex parte aggressus. Sed nostri nihil territi ac in orbem se colligentes ad omnes partes pugnae attendunt, donec fortiter superato impetu, mox etiam ingenti strage subeuntes pellerent funderentque. Cum ergo vis a nostris negligeretur, ad dolos Skinder Bassa convertitur. Mittit ad nostros Duces significans, posse de reditu nostrorum transigi conditionibus, ne adeo multi fortissimi milites pereant etc. Non latebat Zolkievium astus; ob nonnullam quiescendi necessitatem exercitus prope fatiscentis, Christophorum Druzbicium, linguae Turcicae gnarum simulque fraudes hostium perspectas habentem, ad eum mittit. Hostes diem tantum illam noctemque morati detento Druzbicio, dum novae copiae, quae ab ipsis iugiter accersebantur, advenirent, 2ª Octobris post ortum solis ingenti mole oppugnatum nostra castra subeunt, in eaque oppugnatione usque ad meridiem perdurarunt. Sed et tunc Deus nostris benedixit; cum maximo enim dedecore et damno reiecti ac repulsi hostes. Aliqua sumpta requie, Zolkievius suos iterum simulque hostes movet ac tota nocte cum suis in itinere pergit, licet hostes perpetuo concursationibus nostros magis fatigarent, quam pugnarent. Constiterunt nostri 3ª Octobris in valle penes quemdam pagum exustum, sed et hic hostes iaculationibus e monte nostros lacescebant. Sed nostris tantum iam animorum aderat, ut ipsi calones, cursu in summum montis enixi, primo impetu peneque uno agmine effusos hostes pellerent. Proxima nocte prosequebantur nostri iter et simul etiam hostes nos prosequebantur. Sequens dies 4ta Octobris immensam vim hostium euntibus nostris aperuit. Undique pleni hostium campi, incessus ab iisdem praeterfluens amnis, quo potus et aquatio prohiberetur. Consistendum erat nostris in campo sine gramine, in aestu, in fumo ex tot incendiis circumquaque factis; pulvis etiam ipse motu

26
Iterat fortiter Skinder Bassa impressionem, sed reiicitur.

Mittit ad nostros ficte de conditionibus,

sed detento nostro,

per mediam diem nos oppugnant ac reiiciuntur.

E monte iacula contra nos mittentes a lixis depelluntur.

Horrendum insultum contra nostros faciunt, sed coacti retrocedere

gradientium et progressu solem eripiebat. Horrendum insultum contra nostros Turcae tunc instruxerunt et plane in nostros irruerunt; sed cum in confertos propeque subeuntes tormentorum hiatu magna vis plumbearum glandium effunderetur, cum ingenti suorum clade retrocedere sunt coacti. Nostrorum tantum sex pedites audentius fugientes secuti, circumventi sagittisque confixi, caeteros ad obsequium exemplo firmarunt. Exhausta sic die nox deinde quietum iter dedit.

mitius agere coeperunt.

5ª Octobris prope fluvium Kobiltam [1]) nostri consederunt intenti paratique, si quid hostes moverent, sed circa vesperam hostes a valida oppugnatione abstinuerunt, concursationes tantum erant, quibus nostros noctu iter prosequentes valde fessos et insomniis nonnullos ad insaniam reductos turbabant fatigabantque. Non deerant varii ex nostris, quos in terram decidentes et dormientes hostes caperent. 6ª Octobris circa horam 10ᵃᵐ iterum impetus in nostros tantus factus, ut iis necessario consistendum esset. Insultum vehementem instruxerunt contra nostros Tartarorum legiones, sed Deo iuvante post primam impressionem reiecti sunt, et reliquerunt impressiones; tormentis tantum et sclopis contra nostros explodebant.

Tartari impressionem contra nostros faciunt, sed reiecti sunt.

Haec omnia Skinder Bassa cum Galga considerantes de victoria desperarunt et maesti manserunt. Kantimiro tantum cum parva parte copiarum a tergo instare iusserunt, simul cum recentibus cohortibus Valachorum satis multorum, quae hac primum die comparuerunt. Nostri, utcumque iam ab hostibus liberi, cum intellexissent Duces velle eodem ordine, quo hactenus iter peragebatur, ad Tyram fluvium ut idem iter continuaretur, quod iam aliquot tantum horarum erat, plurimi, maxime calones et Kosaci, saluberrimum Ducum consilium in pessimam partem interpretari, vel certe conscii praeteritorum scelerum, ut sibi consulerent, novas res machinari aggrediuntur. Praedicti enim calones remedium praeteritorum et retinendae praedae solam fugam rati, quamprimum subtrahere se e castris parabant. Et dum nonnulli etiam turbulenti consilia Ducum mutare conantur suadentque alio modo castra collocare et disponere, alii ad mediam noctem vel ad crastinam diem quiescere, illi partim conscensis equis, partim pedites plurimi congregati vociferationes ingentes faciunt contra Duces, quod exercitum deserere, quod eum fame conficere velint et alias plurimas contumelias contra eos iactant; alii

27. Calones cum multis aliis in nostris castris tumultum incipiunt.

Contra Duces consurgunt.

[1]) Kobolta.

eorum socii postquam stationes deseruissent, imperium exuissent, nec fas, nec fidem, nec periculum pensi habentes, data tessera et numero validiores currus onerarios ac reliqua quae supererant diripiunt, nec vel a Ducibus vel a Centurionibus in ordinem redigi poterant; etiamsi omnia Duces tentaverint ad eos ad meliorem frugem reducendos, et iam sine castris sive equites sive pedites cum illis ire sese obtulerint. Kantimir interea tumultuari in castris omniaque misceri a transfuga cum intellexisset, accersitis Skinder Bassae, Galgae et Valachorum cohortibus, disiunctos animis viribusque aggreditur nocte illa. Depellebatur utcunque a nostris prima vis, sed aliis irruentem vim hostium non sustinentibus, pars catervatim pars disiunctim fugiunt et tenente circum omnia hoste perimuntur aut capiuntur, maxime circa ripam Nestri, ubi ii, qui hostis manum evaserant, profunda hauriebantur aqua, paucis tantum scientia vel audacia auxiliante.

Omnia quae restabant diripiunt.

Hostes cognito tumultu irruunt.

Et tandem vincunt nostros.

Zolkievius ubi rem perditam videt, immemor sui, memor gloriae, ubi densissimae erant hostium manus contendens, eorum telis cadit, praecisa etiam vixque cuti adhaerente dextera et ignorantia nocturna opprimitur. Antequam se in hostes inferret, obtulerat ei Centurio equum, sed ille districto acinace transverberare equum volens, levi tantum per aetatem ictu vulneratum repulit. Koniecpolscius casum Collegae sui sentiens, extrema quaeque cum iis, qui adhaerebant, contra hostes tentat, sed tandem ipse, interfecto Dinophio, fraude cuiusdam hostibus traditur, sicque cum filio Zolkievii et multis aliis in captivitatem hostium venit.

Zolkievius occiditur et Denophius.

Reliqui capiuntur.

Postero die, ubi primum illuxit, ad legenda spolia stragemque suorum et nostrorum visendam hostes insistunt, ubi Zolkievio inter promiscuas cadaverum strues reperto et agnito, caput amputatur et ad Skinder Bassam defertur, quod ille antequam Bizantium mitteret, fixis et attentis oculis diutissime lustrabat.

Caput Zolkievii considerat Skinder Bassa.

28. Quantus Societatis nostrae Benefactor fuerit Zolkievius

Haec fuit insignis atque inter paucas memorata Polonorum fortitudo et clades, quae propter discordiam ac Ducum irreverentiam perditorumque calonum rebellionem illata est. Atque ita occubuit Zolkievius, Supremus militiae Praefectus, Regni Cancellarius, in bello ac pace Senator sapientissimus, tot annis in tot proeliis victor et immortali memoria dignissimus. Erat etiam Societatis nostrae Benefactor, Promotor, Defensor maximus. Nam et Barensem nostram Residentiam septem millibus datis et pluribus promissis fundare voluit, Collegii Camenecensis fundationem auxit, Leopoliense etiam magna

munificentia promovit et contra nostros varios hostes tam in Comitiis Regni Generalibus, quam alibi acerrimum sese defensorem exhibuit. Occisi caput, uti dicimus, amputatum per castra Turcica et Tartarica in hasta pro triumpho circumlatum dicitur, antequam cutis ex eo et ex facie detracta certaque materia impleta Constantinopolim transmitteretur. Truncus eius corporis primo Barum, postea Zolkuam delatus et a Regina Herburtea moestissima coniuge per cicatricem vulneris ad Bycinam inflicti cognitus. Portatus deinde militum humeris monumento civitateque, quam vivens cognomento suo condiderat, sepultus est. Excesserat aetas eius annum septuagesimum.

Sepultura eius.

Honores privatos publicosque miles primum sub Ioanne Zamoscio, deinde equestrium copiarum Praefectus meruerat. Defuncto Zamoscio Generalis Dux exercituum pro eo factus et postea etiam Regni Cancellarius multorum inimicitias expertus, propensiore Regis quam civium favore fuit, quamvis ab iis, qui bonarum erant partium, amabatur et Pater Patriae vocabatur. Variis expeditionibus clarus, sed maxime Moschoviticis; ubi hostilibus armis captorumque Principum catenis, Basilii Suiscii Imperatoris Moschoviae, Ioannisque et Demetrii fratrum suorum, magnum Sigismundo III triumphum paravit; nec minor ex eo gloria, quod incursionibus Kosacorum saepius turbatam pacem mire cum Turca temperavit.

Eius de Republica merita varia.

Interea per Poloniam nondum cognito, qui fuisset rerum exitus in Valachia, mirum dictu, quam varia a variis perscribebantur et narrabantur. Multi hanc nostrorum cladem in dubium longo tempore revocabant et iam tristia, iam laeta spargebant. Sed tandem compertum, eo modo rem procesisse, quo iam perscripta est. Et omnia confirmarunt, Tartari, qui victoria usi in varias Regni partes irruperant et circa Camenecum, Haliciam, Rohatinum, Leopolim, Luceoriam ferro ac igne omnia vastarunt, ingentem hominum numerum partim trucidantes partim in captivitatem ducentes.

Rumores varii de nostris in Valachia solvuntur Tartarorum irruptione.

29.

Quia multi nostri in variis negociis ad Admodum R. P. Nostrum scribentes eum ad aliorum litteras et relationem remittebant, unde non parva incommoda sequebantur, ideo datis 10 huius ad Provincias litteris monuit, ne amplius id fiat.

Ad litteras aliorum non remittendus P. Generalis.

Modum unionis nostrarum Scholarum Cracoviensium cum Academia miserat 15ª huius mensis Martinus Szyskowski, Episcopus Cracoviensis ad Jacobum Janidlovium, Rectorem Academiae, ut eum privatim consideraret et postea toti Academiae proponeret. Sed res

Unio cum Academia scholarum nostrarum differtur in

haec tota praetextu turbati sub id tempus Regni in aliud tempus reiecta fuit. An veram ob causam haec reiectio fuerit, viderint alii, nam haec unio turbatissimo etiam Regno nihil obfuisset. aliud tempus.

Dum circa Leopolim Tartari omnia vastarent, uti supra diximus, duos etiam ex nostris, qui ex praedio Zimnowodensi ad Collegium redibant, Martinum Podlescensem et Augustinum Bargel, 17ª huius mensis assecuti sunt eosque occiderunt ac spoliarunt, nudosque in campis reliquerunt. Quorum postea corpora, postquam de caede eorum fuisset cognitum, ad Collegium devecta sunt et sepulta. Alios etiam nostrorum aliquot haec clades involvit; nam et P. Simonem Wybierek cum P. Praeslao Szumowski, qui in castris nostrorum in Valachia penes Zolkievium manebant, Tartari captivos duxerunt, priorque apud eos mortuus est; et circa Leopolim Martinus Mieraszewic ac Eustachius Piotrowicz ab iisdem capti, sicut alio in loco sub idem tempus P. Joannes Turowski et P. Bartholomaeus Volberius, qui omnes in captivitate sunt mortui. Occisi nostri a Tartaris duo. Alii etiam capti et fere omnes in captivitate mortui.

In tantis Regni calamitatibus ab initio huius mensis ad finem Decembris Cracoviae, praeter ieiunia et varias alias supplicationes, institutae erant 40 horarum Orationes hoc ordine, ut qualibet septimana in aliquo templo ex designatis (inter quae etiam templum S. Barbarae erat) peragerentur. Insuper singulis diebus duarum horarum Oratio pomeridiana coram Sanctissimo Sacramento in pixide exposito, non sine brevi exhortatione, apud varios religiosos erat indicta ab Episcopo Cracoviensi. Nobis feria quarta obierat, qua non sine fructu et frequentia haec supplicatio per tres menses expediebatur. Alii etiam Episcopi per suas dioeceses pro iisdem necessitatibus varias orationes instituerunt, quibus acceptum multi illud divinum beneficium arbitrabantur, quod barbari terris nostris abscesserint et ulterius, ut praeclare poterant, victoria usi non fuerint. Supplicationes variae Cracoviae pro Regni necessitatibus tres menses.

Eleaemosyna Octobris in pecunia erat florenorum 239, nempe A Dª Gutteterowa ratione reparationis horti floreni 100. Ab Episcopo Cracoviensi floreni 25. A Dº Amando floreni 26. A R. Dº Bobola floreni 14. A variis aliis 76. Res constiterunt florenis 93; nempe quatuor equi a Dº Floriano Zostaiski, ex quibus tres erant venditi. Vas vini a R. Dº Moiecki ante mortem datum. Frumentum a Dº Bobrownicki. Aromata et condimenta a quadam virgine. Vasa butyri duo et caseorum sesquisexagena ab Abbatissa S. Andreae et a Mfca Dª Gawrońska et alia minutiora ab aliis. Eleaemosyna Octobris.

Tam initio mensis Novembris, quam etiam aliis eiusdem diebus plurimos hospites nostros: Jaroslavia, Leopoli, Baro, qui propter Tartarorum depopulationem in Minorem et Maiorem Poloniam a Superioribus suis erant dimissi, Domus S. Barbarae habuit. 30. Nostri Tartaros fugientes ex Russia multi discedunt.

Datum initium Comitiis Regni generalibus Varsaviae, 3ª huius mensis, quae more solito per 6 continuabantur hebdomadas. In his

In Comitiis Regni novus Generalis Exercituum Carolus Chotkievicius designatur, adiuncto Collega Stanislao Lubomirscio.

de bello Turcico potissimum senatusconsulta fiebant. In locum absumpti recenti clade Zolkievii Carolus Chodkievicius[1]), Palatinus Vilnensis, idemque Generalis exercituum per Lituaniam Dux, vir antiquae probitatis et in militia prospera hucusque utens fortuna ac disciplinae militaris tenacissimus, substituitur. Huic Stanislaus Lubomirscius, Comes in Visnic, collega adscitus, aliquod expeditionibus experti in patriam amoris miro quoque civium favore, modica severitate et exercitui comitate non ingrata. Designati insuper, quorum consiliis conditiones pacis et arbitria belli tractarentur. Actum praeterea, ut Legati ad externos Principes petitum auxilia mitterentur: et

Varii legati ad externos principes ob petenda auxilia.

brevi post Achacius Grochowski, Secretarius Regis, ad Pontificem Maximum Romam; ad Imperatorem Ferdinandum Maximilianus Przerembscius, Castellanus Siradiensis; Georgius Osolinski, Palatinides Sendomiriensis, in Angliam; ad Status Holandiae Petrus Zeronscius, Secretarius Regius, missi. Nulla tamen auxilia Polonis sub hoc tempus ab externis Principibus missa, excepto Rege Angliae, qui aliquas copias submiserat, sed iam transacto bello; proinde statim in Angliam redire debebant.

Zolkievii clavam et annulum Regni in Senatu Thomas Zamoscius Regi reddit.

Circa idem tempus honorum insignia Zolkievii: clava annulusque Regni (qui discedens in Valachiam et se amplius in patriam non rediturum putans, Bari penes P. Andream Lavicium, Residentiae Barensis tunc superiorem, reliquerat, ut post mortem suam alicui ex Regni Proceribus ad Regem deferenda darentur), per Thomam Zamoscium, Palatinum Kioviae, Varsaviam allata sunt et in frequenti Senatorum ac Terrestrium Nunciorum corona Regi reddita, adiuncta oratione egregie culta, qua laudatis Brutorum, Deciorum, Marcellorum penes suos milites mortibus, parem Paulo Aemilio, Romano ad Cannas imperatori, Zolkievii exitum memoravit. Clava Chodkievicius, annulo publico supremoque Cancellariatu Andreas Lipscius, Episcopus Luceoriensis, honoratur, vir iudicio, calamo, ore magnus et pro veritate firmissimus.

31. Victoria Ferdinandi ex rebellibus haereticis.

Hoc eodem mense diu expectatus et desideratus nuncius de victoria Ferdinandi II Imperatoris ex haereticis rebellibus reportata et de Praga iis erepta, ac de fuga ficti Regis Friderici cum sua

[1]) Rationem scribendi hoc nomen »Chotkiewicius«, quam Wielewicki semper observat, praecedentibus fasciculis emendabamus, et nunc etiam emendamus.

niuge ac liberis Cracoviam venit omnesque Catholicos mirifice re- Et Praga recepta.
avit. Praeclare enim omnes advertebant, quanti momenti res ista
erit ad totam Bohemiam, Moraviam, Silesiam in ordinem redigen-
am. Ideo etiam publicae gratiarum actiones in praecipius Craco-
usibus templis peractae, Hymno »Te Deum laudamus« decantato.

Moritur Domi nostrae P. Petrus Vilcusius 10a huius, cum antea per ses- Mors P. Petri Vilcusii.
iennium perpetuo fere esset valetudinarius et in hanc Provinciam ex Austria Eius aetas et patria.
m aliis ob belli tumultus ab haereticis excitatos profugisset. Vixit annis 61,
quibus 36 in Societate consumpsit. Natus erat in Russia, Provincia Regno
oloniae subiecta, in oppido Novomiasto ad Praemisliensem districtum perti-
ente. Iuvenis cum antea et Leopoli apud externos et Jaroslaviae apud Nostros
aliis humanioribus operam dedisset, contulit se in Austriam, ibique anno Dni
573, 10 Augusti, Societatem est ingressus. Coadiutor spiritualis formatus anno Ingressus in Societatem.
97, 25a Martii. Docuit Grammaticam et Syntaxim duos annos cum dimidio, Varia in Societate munia obita.
esim 4 annos et sex menses. Varia postea obibat munera, ut Praefecti Con-
ctorum et Alumnorum 5 annis, Regentis annis duobus. Procuratoris variorum
ollegiorum et maxime Pragensis et Viennensis annis aliquot. Sed potissimum
aefectum et Confessarium templi et Collegii diutius egit, nempe per annos 15.
reter latinam linguam calebat etiam Polonicam, Bohemicam, Russicam, Scla-
nicam et aliqua ex parte Italicam et Germanicam. Moribus erat placidis, re-
ossae etiam disciplinae tenax, unde optime Pis Spiritualis et Confessarii dome-
ici officiis fungebatur. Sepultus est in templo S. Barbarae sub altari maiori, Sepultura.
e 12a huius mensis, cum ad mortem consuetis Ecclesiae Sacramentis sese
mparasset.

Instituta per 14am et 15am istius mensis in templo nostro S. Barbarae Oratio 40 horarum in nostro templo.
horarum supplicatio pro necessitatibus publicis cum magna eorum, qui Sa-
amenta Poenitentiae et Eucharistiae adierunt, frequentia. Noctu ianuis clau-
nostri terni sibi succedentes orabant. Sabbatho conciones duae. Dominico
ro die, in quem festum dedicationis nostri templi inciderat, tres erant factae
r nostros. Conclusit orationem pontificaliter Rmus D. Thomas Oborski, Suffra-
neus.

Eadem 15a die Novembris Varsaviae atrox facinus et vix an- 32. Parricidium Piekarski contra Regem, quem necare constituerat in templum ingredientem.
in Polonia auditum contra pientissimum Regem Sigismundum III
rantibus comitiis commissum. Intrabat ex more templum Rex,
ecedentibus multis Senatoribus; et ecce insanus quidam Michael
karski foribus abditus prorumpit, rostratam clavam attolit et ne-
n inferre volens in capite, facie ac humero Regem vulnerat et in
ram deiicit; dumque adhuc ictum repetere tentat, a Marsalco cu-
e, qui tunc Lucas Opalinscius erat, prohibitur et capitur, omni-
sque, postquam ex attonito casu, et qui in templo nunquam ex-
tabatur, sese collegissent et maxime Vladislao Principe, qui Re-

gem Parentem comitabatur et tunc nonnihil ad limen portae quaedam affixa legens obiter constiterat, contra parricidam sese propri-

Capitur Piekarski.

pientibus. Cui etiam pietate ac dolore exardescens vulnus idem Princeps inflixit, et discerpsisset quidem statim nefarium cum aliis, sed vivum ad aliquod tempus servare expediebat, ut conscii, si aliqui essent,

Levatur Rex e terra.

sceleris et causa simul tanti facinoris investigarentur. Iacentem humi Regem Joannes Kalinscius, adiuvante per manus Bonaventura Rogascio, e terra levant et cum aliis, qui accurrerant, manibus gladiisque Regem opertum ad Martinum Szyskowski, qui tunc peracto sacrificio, inscius omnium, in occursum Regis sacello prodibat, deducunt.

Ob Regis tantum periculum omnia tumultu Varsaviae plena.

Nondum vero plane vulgato Regis periculo, paventia fora templaque et tumultu plenissima omnia Varsaviae erant. Clamor ubique diversa rogantium, incerta respondentium et conversatio incidentium aliorum in alios, quasi hostis urbem teneret, populum affecerat (de Tartaris enim tunc eorumque irruptione rumores spargebantur), quousque

Sedatur tumultus.

attentatum Regem parricidio, sed incolumem permanere tum rumore tum etiam aspectu (nam ad sedandos hos motus videndum se Rex praebuerat) innotuisset. Dona ob haec templis decreta gratesque Deo.

Praemium Kalinscio Regem levanti e terra.

Sublevanti e terra Regem Kalinscio torques aureus a Regina missus, eidem postea bona percussoris non paucorum millium data. Rex

Rex clementissimus paratus erat parcere percussori.

clementissimus tam atrocem casum aequo animo ferebat, nec quidquam acerbum vel indignum locutus, imo pro sua parte veniam percussori dare paratus erat. Omnes tamen Regi contradixerunt hac in re et quamvis nefarium palam mente captum constaret, hoc tamen illi omnem veniam ac misericordiam exemerat. Postquam vero maximis poenis adhibitis nullus conscius eius sceleris praeter ipsum inventus fuisset, iudicio publico primo nobilitate, qua se indignum reddiderat, spoliatus, ad publicum damnatus est supplicium. Arreptum

Supplicium de Piekarski sumptum.

itaque lictores candentibus hinc inde forcipibus lacerantes extra urbem deducunt, ibi eminenti ad id facto theatro, aptatam maleo rostrato dexteram flammis adurunt nudisque iam fluentem ossibus cum laeva amputant, postea admotis quadrigis distentum illigant equisque in diversum concitatis lacerum corpus laniatasque partes ad cineres usque exurunt et ipsos cineres disiiciunt.

33. Liber P. Joannis Argenti auctus imprimitur.

Prodiit Cracoviae liber P. Joannis Argenti Provincialis Poloniae in 8°, 16ª istius mensis editus tali titulo: »De rebus Societatis Jesu in Regno Poloniae ad Serenissimum Sigismundum III Poloniae et Svetiae Regem potentissimum, Magni Ducatus Lituaniae Ducem etc. etc. Auctore Joanne Argento eiusdem Socie-

Provincia Poloniae Praeposito Provinciali. Editio tertia aucta recenti
Societatis ex Regno Bohemiae, Moraviae, Silesiae et Hungariae proscri-
Duabus item actionibus ab eodem auctore in Transylvania in ipso ge-
omnium ordinum conventu habitis«. Hucusque titulus. Editus erat in
liber Cracoviae Anno Dni 1615, et postea in Germania idem liber re-
Anno 1616; sed in hac postrema editione multa sunt addita, quae postea
unt.

Discedit in Hungariam Episcopus Sirmiensis, deposito quodam relicto.

R^mus Episcopus Sirmiensis, Ladislaus Maithimi[1]), qui Cracoviae per 15
morabatur, 17^a huius a suis cognatis, qui ad eum in hoc negocio Cra-
venerant, (a quibus tamen postea, ut ab haereticis, eum veneno subla-
mor erat) invitatus, rediit in Hungariam, relictis apud nos duabus cistis
vestibus plenis et duabus culcitris, quas suo tempore repetere constitu-
quidem huic viro, ut depositum tale apud nos servaret, ad breve tem-
tanter petenti et quod alibi tuto relinquere non possit ostendenti, non
ur denegandum.

34.

Mors P. Valentini Mathiae. Patria eius, aetas, ingressus in Societatem.

Circa finem huius mensis, nempe 27^a eiusdem, hora septima pomeridiana
s est optimus senex P. Valentinus Mathiae, ab annis plusquam 30 Cra-
is insignis operarius. Natus est in oppido Minoris Poloniae Końska wola
rope Lublinum sito. Vixit annos 70, in Societate autem 32, ad quam
iam actu Presbyter et Parochus Niesvisensis Anno 1588, 26^a Julii, post-
extra religionem manens, tum humanioribus litteris tum Casibus Con-
e et Controversiis vacuisset in iisque mediocriter profecisset. Exacto No-

Munia in Societate peracta.

quem partim sub P. Fabricio Pallavicino, partim sub P. Gaspare Sawi-
mus Probationis Cracoviensis Magistris ac Rectoribus, transegit, ad finem
vitae Cracoviae mansit et praeter officia Ministri Domestici ac Praefecti
quae tam apud S. Stephanum quam apud S. Barbaram identidem obi-

Virtutes variae.

rpetuus erat templi Confessarius et infatigabilis, in eoque munere singu-
experientiam habebat, et ob perpetuam praxim et ob diligentem Autho-
estiones conscientiae explicantium lectionem. Hinc factum erat, ut apud
enses maximum amorem et simul maximam authoritatem haberet. Fa-
adiutor Spiritualis Anno 1597, 8^a Junii. Vir erat suavissimis moribus et
e orationis coniunctionisque cum Deo. In conversatione gravis ac mo-

Visus mortem praesensisse.

mortificationis externae ac internae amantissimus. Visus mortem suam
praesensisse. Nam ante septemdecim dies mortuo P. Petro Vilcusio pe-
ixe a Superiore, ut in illud cubiculum, in quo P. Petrus manebat, com-
possit. Cum autem illud cubiculum nihil haberet peculiare prae illo, in
nebat, quaesivit Superior, quamnam ob causam id postularet. Respon-
nullam aliam ob causam id se velle, nisi ut ante mortem, brevi instan-
loco recens mortui se comparare posset. Itaque consuetis munitus Sa-

Maximum sui reliquit desiderium.

is 17° post die secutus est P. Vilcusium. Quantum sui desiderium reli-
et ipsa comploratio tunc, dum in sepulchrum corpus eius esset inferen-
b hominibus variae conditionis facta, et conserta multitudo corpus eius
m libris globulisque precariis attingentium, sufficienter ostendebat. Adiun-

[1]) Majthenyi.

Apparitio eius post mortem virgini Langowna suae olim poenitenti.

git P. Petrus Kamocki in sua templi S. Barbarae historia eum proximo die D minico a morte (nam feria 6ª vesperi est mortuus) poenitenti suae Barb Langowna, virgini pientissimae, post communionem ab ea sumptam apparu cum illis verbis, quod iam vicerit. Eidem virgini, pro eo tertia die a communio supplicanti et tricesimam pro eius anima per varios Sacerdotes offerenti, v in auribus insonuit, illum iam precibus non indigere et iterum eadem vox cl rius fuit repetita. Haec ex ore ipsius virginis Langownae se accepisse P. K mocki testatur.

Eleaemosyna Novembris et in pecunia et in rebus.

Per mensem Novembrem accepta eleaemosyna pecuniaria floreni 263 A Dº Palatino Brestensi Dº Gostomski floreni 131. A Palatino Cracoviensi[1]) floreni 28. Legatum R. D. Bucki floreni 40. Ab aliis reliqua. Res constiterunt florenis 156, nempe: a Palatino Brestensi[2]) caseorum 5 sexagenae et una media butyri vasa 6, millii modii 5, pultium hordeacearum modii 5, lardi partes 4. A Dno Magno Oeconomo[3]) acervus foeni. A Dª Plazina alius acervus. A Rmo Praeposito Miechoviensi[4]) siliginis metretae 3. A Rmo Abbate Tinecensi[5]) tritici metretae 10, hordei metretae 10, pisces. A Dno Eremus tritici metretae 8. A Monialibus Staniątecensibus tritici metretae 10, pisorum metretae duae, caules, rapae. A Dna Maciejewska vas butyri et sexagena casei. A Dna Gortacka et a Dna Pipanowa prandium solemne et alia minutiora ab aliis.

35. Solennitas B. Francisci Xaverii

Quia superiori anno literae Beatificationis B. Francisci Xaverii tardius in Provinciam venerant, uti suo loco annotavimus, ideo hoc primum anno 2ª Decembris magna celebritate festum huius Beati Cracoviae peractum, cantant Summum Sacrum Suffraganeo Cracoviensi, Rmo Dº Thoma Oborski, et doctam ac devotam concionem habente R. D. Andrea Łukomski, Doctore Theologo a Praelato Canonicoque Cracoviensi.

et S. Barbarae.

Non minor etiam solennitas successit biduo post S. Barbarae Virginis, a quam magna devotione tum in tota Polonia tum potissimum Cracoviae homines feruntur.

Ob Pragam captam actae Deo gratiae.

Ob Pragam superiori mense ab exercitu Imperatoris receptam, sicuti pe praecipua templa Cracoviensia, ita in nostro S. Barbarae cantatus hymnus »T Deum laudamus«, 6ª huius mensis.

Redit P. Gladissius ex Hungaria.

Rediit P. Lucas Gladissius cum P. Joanne Urbani ex finibus Hungariae 8ª istius mensis, quo vini emendi causa 24ª Novembris iverant. Sed vinum se tis vile et magno precio emptum est; ita enim sub hoc tempus precium eiu ascenderat. Itaque 5 tunnae mediocres florenis 225 constiterunt cum itinere v delicet et cum telonio, quaelibet nimirum tunna 45 florenis.

Novum Capitaneum Cracoviensem

Postquam Gabriel Comes a Tarnow Capitaneus Generalis Cracoviensi renuntiatus esset superiori mense, domus huius Superior 13ª huius mensis a eum Zborowum, quod 12 milliaribus Cracovia distat, contulit sese; ibi eni

---

[1]) Joannes Comes a Tęczyn.
[2]) Joannes Gostomski.
[3]) Witkowski.
[4]) Mathias Lubinski.
[5]) Stanislaus Lubinski.

tunc morabatur; ut ei gratularetur et Societatis obsequia religiosa offerret. Rem sibi gratissimam ostendit Comes, et fere per octiduum detento ibi Superiore, tum de rebus Societatis, tum potissimum de fundatione Collegii Cracoviensis ad S. Petri Basilicam a Serenissimo extructam multa contulit, quae etiam initio sequentis anni statim executus est, ut suo loco videbimus. Dederat etiam pro cassula ad S. Petri aedem tunc vestem suam purpuream preciosam materia persica subductam, ut ex praedicta materia cassula fieret et pannus purpureus venditus in necessaria ad eandem cassulam converterentur, quod et factum est. Comitem a Tarnow invisit Superior domus et varia cum eo confert.

Misit 19a huius mensis R. P. Noster admonitionem de Litaniis, mensae benedictione et gratiarum actione post Missam non celeriter expediendis. Misit idem ordinationem per Provincias, ut ii, qui pares sunt vocatione, simul ad gradum promoveantur, iuxta decretum 75 Congregationis 7ae Generalis et ut in executione huius decreti omnes difficultates superentur. Missa autem haec ordinatio Roma 26a istius mensis, quae cum 1a monitione in libros Ordinationum est relata. **36.** Ordinationes Patris Nostri duae 1a 2a

Eleaemosyna mensis Decembris pecuniaria erat florenorum 184. Nempe a Mco Do Jordan, Succamerario, floreni 60 legati, quod illi, ut ad pias causas converteret, iuxta suum arbitrium datum erat. A virgine Langowna floreni 39. A Comite a Tarnow floreni 20. A Dno Rab floreni 11. A R. D. Bobola floreni 13. A quadam floreni 10. Ab aliis floreni 30. Res submissae florenis 158 sunt aestimatae. A Capitaneo Sendomiriensi [1]) duo vasa vini, hordei metretae 10, tritici aliae 10. Ab Abbate Tinecensi carpionum duae sexagenae. A R. D. Archipresbytero [2]) siliginis metretae 5. A Parocho S. Stephani modii 20 tritici. A Castellano Sendomiriensi butyri vas et caseorum sexagena. A Do Gabriele Szembek siliginis metretae 8. A Dno Szydłowski siliginis metretae 5. A Da Rabowa capones 20, anseres 6, porcelli 3, vitulus. A coniuge Dl Oeconomi Magni caseorum sexagenae duae et vasa butyri duo. A variis aliis varia minutiora. Eleaemosyna Decembris.

Templo etiam per hunc annum in pecunia dati floreni 700 et nonnulla ornamenta argentea, marcas 5 argenti continentia, cum varia linea suppelectili aestimatione florenorum 200. Annua templi eleaemosyna.

Ex iis, quae ad certos dies mensis reduci non poterant, haec sunt. Reconciliati Ecclesiae schismatici 5, haeretici 54. Inter hos unus erat septuagenarius in extremo morbo hora 11a vocatus. Alter miles, qui gravi vulnere in corpore suscepto, vulnus animi longe gravius per haeresim illatum ei sanare permitteret, adductus est. Civis etiam opulentus haereticus, uxore catholica, cum qua 27 annis vixit, ad eum in Ecclesiam catholicam adducendum plurimos modos frustra adhibente, tandem unius nostri opera errorem gemebundus agnovit. Non iniucundum in hoc genere et illud contigit. Germani Catholici, in hac civitate degentes, instituerunt supplicationem ad locum Calvariae, 5 milliaribus polonicis Cracovia distantem, in qua varia sacella extructa ad varia Passionis Christi mysteria representanda et dimensiones urbis Hierosolymae propter ea loca, quae Christus sua passione consecravit, adum- **37.** Schismatici 5, haeretici 54 conversi. Quidam irridens Processiones in Calvaria

[1]) Nicolaus Spytek Ligęza.
[2]) R. D. Christophorus Trzcinski.

bratae. Eo igitur dum praedicti Catholici, nostris comitantibus, magna cum devotione et cantu alternante pergunt, unus haereticus Germanus, sive curiositate sive deambulationis causa ductus (tempus enim serenum erat), sese illis adiunxit, omnia fere initio risu excipiens. Postquam ad locum ipsum deveniunt, dum audit in singulis sacellis, quae Catholici obibant, pias de singulis Passionis Christi mysteriis exhortationes, dum advertit ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae devotissime accedentes, insiliente in eum Spiritu Domini mutatus est in virum alterum et provolutus in genua coram uno ex nostris abiurata haeresi, non sine lachrymis peccata confessus, Eucharistiaque Sanctissima refectus est. Tres denique impium Machumetem detestati, Turcica perfidia abiecta, salutari fonte sunt abluti. Monachus sacro habitu abiecto et in haeresim et in scelera ingentia incidens, nostri unius industria ad fidem Catholicam et suum ordinem, praemissa publica satisfactione, est reductus.

auditis piis exhortationibus et visis poenitentibus ac ad Eucharistiam accedentibus, convertitur. Tres Turcae conversi et Monachus perditus

ac femina sacrilega.

Auditae per hunc annum totius vitae Confessiones trecentae. Femina Poenitentiae Eucharistiaeque Sacramentis sacrilege abusa, in somnis sensit se ad severissimum quendam iudicem deductam, a quo postquam enormia sua peccata, quae celaverat, enumerata audisset, contra se suplicii latam sententiam excepit. Expergefacta ingenti cum dolore animi, corporis, membrorum, nulla mora confessarium adit, totius vitae delicta fideliter aperit et seriam poenitentiam ac emendationem hactenus reipsa ostendit.

Sclopo traiectus ante mortem munitus Sacramentis intercessione S. Barbarae.

Sclopo unus traiectus statim moriturus putabatur, sed quia a Beatissima Virgine et a S. Barbara obnixe petebat, ne sine Sacramentis moreretur, tanto tempore supervixit, quantum Confessioni Sacramentali, Corporis Christi sacro epulo extremaeque unctioni sufficiebat.

38. Varia alia pia opera.

Adducti ad restitutionem maioris momenti quatuor et totidem ad rescindendos iniustos contractus. A concubinatu 20 abducti et decem ex iis in honesto matrimonio collocati. Duobus viris persuasus ad uxores, quas deseruerant, reditus. Maleficiis liberatae duae per Sacramenta et Ecclesiae orationes. Incubi etiam infestatio expulsa ab una. Septem a proximis periculis virginitatis amittendae et aliis ereptae. Ab angoribus conscientiae liberi facti quatuor. Pax inter quatuor paria coniugum gravissime dissidentium procurata. Alii septem hostili odio inter se dissidentes ad mutuam rediere concordiam. Sex nostrae Societatis ignari, eam fide aliorum suspectam habuere, at ubi manifeste falsitas malevolentiae per unum ex nostris detecta est, et intellectum mutarunt et nostros, quos antea oderunt, amore prosequuntur. Mitto curam carcerum et hospitalium et iis, qui ad supplicia ducuntur, navatam operam, quae ordinata per nostros in hac tam ampla civitate fiunt. Instituta duplex missio ad duo Monasteria Virginum, quibus per Confessiones Generales illorumque instituto servientes exhortationes servitum est. Exercitiis spiritualibus exculti domi nostrae decem.

Variae reconciliationes.

Duplex missio.

Ornatus templi S. Petri.

Templum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum iam perfectum non cessat difficillimis temporibus Serenissimus Rex noster foris et intus exornare, missis hoc anno eam in rem aliquot florenorum millibus. Unde etiam usibus eius sequenti anno, ubi videbimus, datum est initium.

Subornarant Academici Seniorem Scholae Parochialis B^mae^ Vir- iis, ut litem intenderet Cantori nostri templi et efficeret apud ctorem Academiae, ne illos pueros liceret nostro Cantori docere portula templi. Sed per nostros modeste ostensum est Seniori, m germanicam linguam quam rudimenta Grammatices doceri pri- m solitos pueros in praedicto loco, et eos ut plurimum non nisi) admitti eosque inferioris conditionis, nec doceri nisi in ordine ad ntum templi nostri; sicque Senior a lite supersedit.

Senior Scholae Parochialis convenit cum Cantore Templi S. Barbarae.

Annotat in historia templi huius anni P. Petrus Kamocki, Praefectum tem- i, ne domus gravaretur, singulis mensibus dari solitum 5 florenos pro vino; d addit hoc tantum aliquot mensibus factitatum et domui postea totum nego- m vini relictum.

Vinum pro templo Domus procurat.

Annus Domini 1621.

tio Vitellesco Societatis Jesu Praeposito Generali, Joanne Argento r Regnum Poloniae Praeposito Provinciali, Joanne Wielewicki Domus Professae Cracoviensis Praeposito.

Numerus nostrorum in Domo S. Barbarae varius erat. Nam cum primo estri 34 morarentur, dimissis iis in Austriae Provinciam, qui inde ad nos erant, et aliis, qui ad templi SS. Petri et Pauli Apostolorum Basilicam sta- m commorationem hoc anno habere coeperunt, tantum 26 semestri altero nerabantur. Sacerdotes videlicet 15, Scholastici Lectores ad mensam duo et tres Adjutores 9.

I. Numerus nostrorum in Domo S. Barbarae.

Solennitas Circumcisionis Domini consueta celebritate et animarum fructu sacta. Utraeque vesperae et Sacrum cantata a R. D° Kretkowski, Canonico coviensi; qui etiam nobiscum prandium sumpsit cum Castellano Sendomi- si D° Ligęza, D° Malachowski Regio aulico, D° Tyszkiewicz Palatinide Bre- si. R. D° Bobola, R. D. Archipresbytero, D° Szydłowski, D° Robakowski, DD. sularibus 4 et aliis.

Festum Circumcisionis Domini.

Eodem die ab Episcopo Cracoviensi evocatus P. Fredericus Szembek Wa- yncicos[1]) effecerat apud eundem sequenti die, ut inter 7 Ecclesias, quae more nano pro indulgentiis designandae erant, poneretur etiam templum S. Annae, ali modo et devinciret sibi magis Episcopus Academicos et nos templo SS.

Templum S. Annae inter 7 templa ponitur.

[1] Wawrzyńczyce in archidiaconatu quondam cracoviensi, decanatu pro- cesi. ubi episcopi cracovienses aulam habuerunt. Fundus Wawrzyńczyce ebat ad bona episcopalia.

Petri et Pauli magis addictos redderemur, sed neutrum secutum est, locis palam fiet.

Frustatim dissecta corpora humana sparsa.

Dissectum sive unius sive duorum hominum corpus in plurimas 9ª huius mensis, sparsum erat in suburbiis in foro et in aliquot plateis e plusquam 70 collecta ac in Coemeterium Bmae Virginis erant delata. tum diligenter a Magistratu civili in authorem tam atrocis ac barbari fa sed nihil cognitum. Quidam tamen suspicabant adulterum cum adultera statim dissectos.

Ingressus in Capitaneatum Cracoviensem Comitis a Tarnow.

Ingressus Cracoviam maximo comitatu novus Capitaneus et G Cracoviensis Gabriel Comes a Tarnow 13ª istius mensis, qua etiam die iudiciis more consueto ab illo datum. Adiit eum Superior Domus S. B cum P. Friderico post duos dies, quos ille humanissime excepit et prom de fundatione Collegii Cracoviensis ante facta statim exequi coepit. An enim bona stabilia in eam rem conferret (ob certas enim causas stati

Iuvat Collegium S. Petri.

non poterant). quolibet anno 1200 florenos Collegio nostro ad S. Petru gnavit et eosdem pro hoc anno non multis post diebus numerari iussit

2.

Nostri in Provinciam Austriae discedere incipiunt.

Postquam res in Moravia pacatiores esse coepissent, tres ex iis, Austriae Provincia apud nos erant, nempe P. Jonas Ladnicerus, P. Joan bani et Melchior Hagen, Coadiutor, Olomutium Cracovia discesserunt 19 mensis, feliciterque eo pervenerunt, ut postea nobis scriptum erat. Reli tinebantur adhuc tum Cracoviae tum in aliis nostrae Provinciae locis, magna ex parte nostrorum domicilia per Austriae Provinciam aut vast spoliata accomodanda essent.

Eleaemosyna pro Collegio S. Petri.

Misit pro Collegio S. Petri Gabriel Comes a Tarnow florenos 12 istius mensis, sicuti erat pollicitus. Eadem die prandium nobis dedit R mon Bmae Virginis Sacristianus [1]) ac ipse simul nobiscum sumpsit cibu

Votorum Renovatio

Expedita votorum Renovatio, 24ª huius mensis, praemissis iis, qu Societatis praemitti solent.

De non multiplicandis litteris: Soli, Patris Nostri Ordinatio.

Quia litterae ad Admodum R. P. Nrum inscriptae illa vocula: »S sine necessitate et cum impedimento negociorum multiplicari nimium co ideo praedictus P. Noster, 30ª huius mensis, literis Roma datis ordinavi tam frequenter fieret, maxime cum ea quae literis committuntur eius sint, quae secreto opus habeant, nec cum aliis, ad quos id non specta municari postulent. In iisdem litteris ostendit, se omnes literas ad se da sint cum illa particula inscriptae sive non, hucusque semper legere et p nusquam sibi cuiusquam literas fore onerosas.

Depositum Dorotheae Rosianka.

Quaedam virgo Dorothea Rosianka, ultima huius mensis, tulit 2 renos clausos ad nos hac conditione, ut illa vivente apud nos servarentur rum usum eorum habere posset, post mortem autem suam domui S. B cederent; et satisfactum eius petitioni, quia in bonum huius domus

Eleaemo-

Submissa per Januarium eleaemosyna pecuniaria florenorum 400. Ne

---

[1]) Gierlakowski † 1622.

Episcopo Cracoviensi [1]) 141. A Cuiaviensi [2]) floreni 100. A Palatina Cracoviensi Firleiowa floreni 50. A Palatino Cracoviensi [3]) floreni 28. A Castellano Sandecensi [4]) floreni 12. A R. D. Nucerino floreni 10. Ab Agnete Skopkowna et Paluszczanka floreni 10. A virginibus pro nobis mendicantibus floreni 12. A variis aliis 3½. Res datae constiterunt florenis 38, nempe a Parocho Bolechovicensi duae metrete siliginis et 3ª ciceris. Ab Abbate Tinecensi [5]) siliginis metretae 10. Ab Episcopo Praemisliensi [6]) acervus foeni et ab aliis reliqua minutiora.

Prima Februarii ad Provinciales scribit Admodum R. P. Noster, indicens orationes et Sacra tum pro mortuo Pontifice Paulo Vº 23ª superioris mensis, tum pro felici successu electionis pro futuro Pontifice instituendae. Et quidem Paulo Vº non parum debebat Societas, tum ob Divinum officium et litteras remissoriales in ordine ad canonizationem trium nostrorum Beatorum concessas, tum ob confirmationem instituti et ob concessionem indulgentiarum missionum ac menstruae communionis et alia. Cur autem in illo dissidio, quod illi cum Venetis intercesserat, Patres ex dominio Veneto ob authoritatem et mandatum Pontificis discedentibus, secundeinde pace aliis revocatis religiosis, nos non fuerimus revocati, diximus aliqua Anno Dni 1606, n. 48. Certe apud multos pios et prudentes tam saeculares tum Ecclesiasticos hoc nomine Paulus Vˢ non bene audivit, quod pacem cum Venetis sine Societatis restitutione concluserit, cum pure ob eius peculiare mandatum tempore interdicti eadem Societas dominium Venetum reliquisset. De ortu et gestis huius Pontificis vide multa apud modernos scriptores.

Indicuntur orationes pro mortuo Paulo Vº et pro electione novi Pontificis.

Ob Societatem in dominium Venetum non restitutam non bene audivit Paulus V.

Venit R. D. Provincialis cum P. Henrico Picherto et Alberto Voinicensi 3. huius mensis et ad 15ªm eiusdem nobiscum commoratur, totum tempus in variis consultationibus de rebus Provinciae et huius domus consumens.

3. Adventus R. P. Provincialis.

Datum eadem die initium Synodo Dioecesanae, convenientibus eam fere 1200ⁱˢ Parochis praeter alios plurimos Praelatos. Continuata post Synodus per 5 dies, quibus varia, iam antea ab Episcopo ab eius Auditore conscripta et statuta, quae etiam brevi post sunt impressa, legebantur. Plurima tunc contra Religiosos mendicantes decreta erant, quorum tamen non omnia a Pontifice Maximo erant confirmata. Omnia fere attribuebantur R. D. Zaierski Auditori, qui postea Suffraganeus Luceoriensis mortuus erat et qui parum affectus Religiosis ac Religionibus putabatur.

Initium Synodi Dioecesanae, in qua multa contra Religiosos.

Sub idem tempus venit rumor, qui brevi post confirmatus erat, de morte Skinder Bassae, qui in Octobre anni superioris auxilio Sultani Galgae aliorumque Tartarorum exercitum nostrum in Valachia, ipso supremo militiae Praefecto occiso, profligaverat. Et quidem initio spargebatur, Skinderum ab ipso Galga

Mors Skinder Bassae per morbum

[1]) Martinus Szyszkowski.
[2]) Paulus Wołucki † 1622.
[3]) Joannes Comes a Tenczyn.
[4]) Sigismundus Tarło † 1628.
[5]) Stanislaus Lubieński.
[6]) Joannes Wężyk.

occisum contentione orta ob praecipuos captivos, quos uterque lucri causa penes se detinere conabatur. Postea tamen certo cognitum eum morte naturali obiisse, quam morbus antecesserat ex melancholia accersitus. Intellexerat enim Imperator Turcicus, victoriam ex nostris relatam nimio suoram sanguine constitisse. Deinde valde moleste ferebat, Skinderum cum Galga non usos victoria et in viscera Regni non penetrasse, indeque Skinder Bassae vehementer iratus ferebatur. Quidquid tandem sit ea de re, illud certum erit, morte Skinderi, quae superiori mense contigit, res in castris Turcicis ac Tartaricis ad Bialogrodum constitutis perturbatas non parum fuisse et nostris tempus datum bellico apparatui comparando non sine manifesto Divinae providentiae clementiaeque in hoc Regnum argumento.

ex melancholia contractum.

Transferre debebat corpus mortuae suae coniugis Sophiae Tęczyniae Joannes Gostomski, Palatinus Calissiensis, 11ª huius mensis ad Domus Professae Varsaviensis templum novum. Itaque hac die sicut in omnibus locis nostrorum per hanc Provinciam (id enim impetraverat a R. P. Provinciali praedictus Palatinus), ita in templo nostro omnes Patres Sacrum funebre pro anima praedictae mortuae habebant et Fratres Coronas recitabant.

In translatione funeris Palatinae Calissiensis Sacra et Orationes indictae.

R. D. Nicolaus Taranowski in dies magis deficiens et se morti proximum videns 500 florenos, quos nostrae domui testamento legaverat, maluit adhuc vivens nobis dare. Itaque eos 12ª huius mensis nobis misit et se nostrorum Sacrificiis orationibusque diligenter commendavit.

Legatum ante mortem R. D. Taranowski nobis misit.

Missi iterum 4 Sacerdotes, qui nobiscum manebant, Olomutium 13ª istius mensis, nempe P. Daniel Vasarhelini, P. Joannes Pozdzieracki, P. Joannes Bystricensis, P. Franciscus Kazhemeli; et feliciter eo pervenerant, licet plurimas militum cohortes transire necessum esset.

Missi alii in Austriam.

4. Promulgatio Stationum Cracoviae.

Dies decimus quartus huius mensis memorabilis erat Civitati Cracoviensi solenni promulgatione Stationum septem Ecclesiarum ad instar Romanae urbis, quas ante annum a Sede Apostolica Martinus Szyskowski, Episcopus Cracoviensis, impetraverat et promulgationem ob varia quae intercesserant impedimenta in diem istum distulerat. Secundum Romanas igitur 7 ecclesias Cracoviae 7 ecclesiae sunt designatae hac die, ut sibi et in titulis et in altarium numero, ad quae pro Indulgentiis orandum esset, corresponderent. Itaque ecclesia Cathedralis ecclesiae S. Joannis Lateranensis, ecclesia SS. Petri et Pauli Apostolorum ecclesiae Sancti Petri in Vaticano, ecclesia SS^mae Trinitatis Ordinis Praedicatorum ecclesiae S. Pauli in via Ostiensi, ecclesia Parochialis B^mae Virginis in circulo Cracoviensi ecclesiae S. Mariae Maioris, ecclesia S. Annae ecclesiae S. Crucis in Hierusalem, ecclesia S. Francisci ecclesiae S. Laurentii extra muros, denique ecclesia S. Bernardini Patrum de Observantia ecclesiae S. Sebastiani ad Catacumbas, ut sibi corresponderent indulgentiasque simi-

Templa 7 proiis assignata correspondentia Romanis.

bis haberent, declaratum. Additus et aequalis numerus altarium stationum tabulis affixis, nempe in ecclesia Cathedrali altaria tria, in ecclesia SS. Petri et Pauli Apostolorum septem, in Ecclesia S. Trinitatis 7, in Parochiali B^mae^ Virginis 3, in ecclesia S. Annae 3, in ecclesia S. Francisci 7, in ecclesia S. Bernardini 5. Haec autem omnia promulgabantur in templis praedictis Processionibus ad eadem factis Venerabilis Capituli cum ipso Episcopo, Cleri numerosissimi et praeter alios 1200 Parochorum aliorumque Praelatorum, qui ad Synodum convenerant, omnium Religiosorum et Confraternitatum. Ut autem visitationes harum Ecclesiarum facilius et sine errore frequentarentur, edita de iis erat iussu Episcopi instructio et latina et polonica ab uno e nostris, nempe P. Friderico Szembek. Et quidem in polonica instructione, ut altiores ea devotio ageret radices, in visitatione cuiuslibet ecclesiae certum passionis mysterium recolendum assignatum erat: nempe in aede B^mae^ Virginis valedictio Christi facta Matri suae; in Sanctae Trinitatis gesta Christi in horto; apud SS. Petrum et Paulum ea, quae Christus in domo Annae et Caiphae est passus; apud PP. Bernardinos de Christo deriso in aula Herodis; in templo arcensi Flagellatio Coronatio Condemnatio; apud PP. Franciscanos Christi Crucifixio; in templo denique S. Annae Christi Sepultura. Porro ex voluntate eiusdem Episcopi in visitatione harum 7 Ecclesiarum per quandam extensionem, ut duarum aliarum, non ex obligatione, sed ex devotione fieret, nempe S. Barbarae in memoriam Coenae Christi postremae et Ecclesiae PP. Carmelitarum discalceatorum in memoriam Baiulationis Crucis, admonitio facta in polonica instructione.

Altarium numerus in singulis assignatus.

Instructio edita visitationibus templorum.

Varia Passionis mysteria singulis templis assignantur.

Cum extensione ad 2 templa.

Cur autem non templum S. Barbarae, ad domum Professam spectans, sed templum novum SS. Petri et Pauli Apostolorum inter ecclesias stationum sit relatum, ista est ratio. Scripserat Episcopus Praeposito Domus S. Barbarae, se inter 7 ecclesias unam ex iis, quas Cracoviae Societas habet, assignaturum et simul postulabat, quam nos cuperemus, ut assignaret. Responsum illi erat, in omnibus locis, in quibus cum domo Professa Societas alia domicilia habet, semper templum Domus Professae prae aliis eminere ratione variorum privilegiorum. Petiit igitur ab eo Superior, ut templum S. Barbarae ad has stationum indulgentias destinaret. Acquieverat Episcopus huic postulationi et se non aliter facturum datis ad Superiorem literis significaverat. Quia tamen postea verebatur, ne moleste ferret Serenissimus, si templum SS. Petri et Pauli a se extructum in hoc privilegio praetermitteretur, innuerat nobis, expedire, ut per nostros, qui in aula tunc versabantur, voluntatem Serenissimi exquireremus. Hoc

5. Templum S. Barbarae inter 7 Ecclesias non est relatum.

Quia voluntas Regis erat, ut tem-

plum SS. Petri et Pauli hoc privilegium haberet.

dum nostri faciunt, intelligunt Serenissimum eo inclinare, ut templum SS. Petri et Pauli praedictam indulgentiam habeat. Itaque voluntatem Regiam nostro desiderio libenter, uti decuit, anteposuimus.

Contra P. Szembek Praelati ad Episcopum scribunt

In hoc promulgandarum stationum processu non deerant contradictiones contra P. Fridericum Szembek. Cum enim ille latinam instructionem de modo expediendarum stationum iussu Episcopi edidisset et Episcopus nihil antea de eo negocio cum Praelatis Capituli Cracoviensis constulisset, moleste id Praelati tulerunt et decem fere capita, tum in praeiudicium suum tum contra dignitatem Basilicae Cathedralis in praedicta instructione facta, Episcopo in scripto miserant, non sine acerba reprehensione P^is^ Szembek, a quo Episcopum ad illa omnia inductum arbitrabantur. Res tamen postea ita composita fuit, ut ob postulata Praelatorum aliqua in Instructione impressa immutata essent, aliqua eaque non pauca omissa. Ipse etiam P. Szembek sub tempus praedictorum Processionum in templo SS. Petri et Pauli Apostolorum iussu Episcopi ad confertissimam multitudinem concionem habens et Processionum ac Stationum intentionem indulgentiamque explicans, aliqua ex parte satisfecerat Praelatis.

sed res componitur postea.

6. Residentiae Faustoviensis initium.

Discessit Cracovia R. P. Provincialis 15^a^ huius mensis accepto ex hac domo P. Bartholomaeo Obornicensi, ut eum Residentiae Faustoviensi, quae isto anno liberalitate Episcopi Kioviensis [1]) habuit initium, Superiorem constitueret; quod et brevi post factum erat.

Communicatio meritorum.

Communicationem meritorum Societatis Roma missum detulit Superior Domus 16^a^ istius mensis duabus viduis, nostris Benefactricibus, Mfcae D^ae^ Dorotheae Czarnkowska, Succamerarie Posnaniensi, et Mfcae D^ae^ Sophiae Czeska.

Triduana Oratio.

21^a^ Februarii ad 23^am^ inclusive triduana Oratio more consueto peracta, magna Eucharistie ac Poenitentiae Sacramenta usurpantium frequentia. Conclusit eam ipsemet Episcopus Cracoviensis, qui etiam eo die Sacrum apud nos habuit lectum et nos omnes suo prandio domi nostrae excepit ac ipse nobiscum pransus est ieiunans. Hoc enim anno in feriam tertiam post Quinquagesimam Vigilia S. Matthiae inciderat, quae rigide observata est.

Ieiunium feriae 3^ae^ Quinquagesimae.

Compositio amicabilis inter Domum probationis et D^um^ Grodecki.

Eadem 21^a^ compositio amicabilis domi nostrae facta est inter Domum Probationis eiusque Rectorem P. Andream Vachocium et inter D. Adrianum Grodecki, superiori anno dimissum 7^a^ Julii. Et quidem 15^a^ huius, antequam R. P. Provincialis currum conscendisset, venerant arbitri huius negocii ipsimetque sunt fassi palam, nostros nihil iure debere D^o^ Grodecki. Ut autem aliquid illi per compositionem demus, in aliud tempus distulerant. Itaque praedicta Dominica Quinquagesimae ita conventum erat, ut 1300 florenos a domo probationis D^us^ Grodecki accipiat, quod non multum post factum est.

Professio P^is^ Surligae et aliorum gradus.

Conclusus mensis hic solenni 4 votorum professione P^is^ Laurentii Surligae, cum quo simul P. Josue Bruno Formatus Coadiutor Spiritualis et Martinus Ignatius Formatus Coadiutor Temporalis facti sunt 28^a^ Februarii in manu P. Joannis Wielewicki Domus Praepositi.

Eodem mense Bolechowicos [2]) duo nostri missi, ut circa primam Domini-

---

[1]) Bogusław Radoszecki. [2]) Bolechowice pagus in Archidiaconatu cracoviensi decanatu scalensi, nunc vero decanatu bolechovicensi.

m Quadragesimae poenitentibus aures darent; et per 9 dies 1200 confessiones hac missione exceperunt.

Eodem vero die Professionis Prīs Laurentii Primitiae in templo nostro ractae Magistri capellae Episcopi Cracoviensis.

Accepimus mense Martio in eleaemosyna pecuniaria florenos 342; nempe Dª Sophia Czeska florenos 112. A Virgine Anna florenos 100. A Parocho Czerensi florenos 30. A Palatino Cracoviensi florenos 28. A Dº Rab et eius coge florenos 23. A R. Dº Bobola floreni 12. A Dª Pipanowa alii 12. Quidam peres florenos 17. A variis aliis floreni 25. Res datae florenis 94 sunt aestitae: A Palatino Parnaviensi[1]) metretae tritici 10. A Capitaneo Cracoviensi pium 5 sexagenae. A Dº Klauznic Consulari medium vas piscium salitorum et nutiora ab aliis. Eleaemosyna Martii hic per errorem posita. Post sequentem mensem erit Februarii.

Rebus in Austria utcunque pacatis, coeperunt nostri ad illam Provinciam ctantes, qui ante duos fere annos expulsi ab haereticis huc confugerant, res isto mense eo mitti. Itaque 4ª Martii Cracovia Olomutium Georgius Slaus, P. Georgius Ferus, P. Leonardus Praesul, P. Venceslaus Wydra, P. Wenlaus Rauscher, P. Georgius Moses et cum iis Fratres nostri Georgius Leo, rgius Pieczynowski, Theodorus Szeflerus, Petrus Sterglerus, Georgius Cinitnai, spar Hopffenmiller. Alii post aliquot dies illos sunt secuti, ut suo loco videus. **7.** Nostri 12 mittuntur in Austriam.

Eadem 4ª Martii venit Varsavia Comes ab Althan. Legatus Imperatoris, quaedam negocia et ob visitanda 7 stationum templa, quae nobiscum pie it et bis domi nostrae, nempe 8ª et 10ª huius mensis, cum filio suo et cum cano Viennensi nonnulisque cognatis cibum sumpsit. Comes ab Althan,

Circa quod tempus, nempe 9ª istius, R. D. Stanislao Garwacki, Canonico coviensi, in sacello Congregationis Assumptae, quod penes nostrum S. Barae templum est, Ordinis Militaris, cuius ipse erat Institutor et ad quem non um secularibus, sed etiam ecclesiasticis patebat aditus, solenniter crucem de, postquam prius praedictus Canonicus Sacrum Missae officium coram illo solvisset. Discessit Cracovia Comes ab Althan in Austriam 10ª istius mensis ca vesperam. Et in eius comitatu abierunt nostri septem, nempe: P. Gallus rer, P. Michael Besco, P. Joannes Antali, Stanislaus Szydłowski, Petrus Ru-, Georgius Aquitanus, Christophorus Trzebnicki — pro quibus conducti erant tores a Praeposito domus. Ordinis sui crucem dat R. Dº Garwacki. Discessit in Austriam et cum eo nostri septem

Dum rediissent nonnulli vectores, qui pro nostris in Austriam devehenerant conducti, 13ª huius mensis Cracoviam, intelleximus, eos in reditu et is et pecunia a militibus haereticis spoliatos. Itaque statim et a civili et ab ensi Magistratu nostri literas efficaces impetrarunt, quas dum vectores Praeo illorum militum reddidissent, omnia illis sunt restituta. Spoliatis vectoribus Nostrorum causa sunt omnia restituta.

Ob hortum seu fundum, Cipsarensem dictum, pro domo S. Barbarae olim Admodum R. D. Taranowski parum caute, licet optima fide emptum (a nos vero neglectum, quia varii in eum ius praetendebant) suasu quorundam **8.** Ad Cipsarensem hortum

[1]) Joachim Comes a Tarnów, germanus Palatini cracoviensis.

adiit Praepositus domus Mfcum Dum Chełmski, Vexilliferum Cracoviensem, (cuius famulus tunc praedicto fundo utebatur) 29 huius mensis. Et inprimis authenticam emptionem R. D. Taranowski, deinde donationem ab eodem Domui nostrae factam Do Vexillifero ostendit multaque alia pro isto negocio in medium attulit.

cur nostri non pervenerint

Habuit alia iura antiquiora penes se Praepositus domus, sed ne illa ostenderet, unus Proconsul (quem consilii gratia prius adierat dictus Praepositus, antequam ad Vexilliferum iret) disuaserat; eam videlicet ob causam, ut postea cognitum est, ne vulgatis illis nonnullae controversiae inter Civitatem et Monasterium Zwierzynecense iam sopitae iterum excitarentur. Lecta emptione et donatione Dus Chełmski conabatur quidem ostendere, se in illum fundum antiquius ius habere, bona tamen fide pollicebatur suum hoc ius totum Societati dare velle et longe plura, sed simul petebat obnixe, ut famulus eius senex ad vitam suam

nec eius possesionem adierint.

eo uti posset. Dissimulavit totum Superior domus et in aliud tempus distulit. Sed interim cognitum erat Monasterii Zwierzynecensis illum fundum fuisse et Abbatissam, postquam iure cum violentis possessoribus egisset et causam lucrata fuisset, eundem fundum expulsis iis, qui eum occuparant, recepisse. Atque ita sicut nunquam in possessionem huius fundi veneramus, ita etiam, postquam cognovimus in eum ius habere praedictum monasterium, omnem de eo curam deposuimus.

Eleaemosyna Februarii.

Eleaemosyna Februarii (nam per errorem eleaemosynam Martii supra posuimus) pecuniaria erat florenorum 715. Nempe: a R. Do Taranowski floreni 500. A quadam paupere floreni 80. A Parocho Czerminensi floreni 10. Ab aliis variis 25. In rebus eleaemosyna constitit florenis 64. A Do Magno Oeconomo siliginis metretae 10 et tritici aliae 10. A Da Plazina acervi duo foeni. Minutiora alia ab aliis.

9. Festa Paschatis.

Sicut tota Quadragesima, ita longe magis circa festum Paschatis, quod in 11am Aprilis inciderat, apud nos frequentantium Poenitentiae ac Eucharistiae Sacramenta multitudo continua erat. Tribus etiam Missionibus circa eadem tempora factis, una Bolechovicensi, Wieclawicensi[1]) altera et postrema Niepolomicensi non pauci fructus in horreum Domini relati.

Lustratio Nobilitatis Cracoviensis.

Lustratio Nobilitatis Cracoviensis ob bella imminentia 19a huius mensis facta, presentibus Castellano[2]), Palatino[3]) et Generali Capitaneo[4]) Cracoviensibus, item Palatino Parnaviensi[5]), Castellanis Sądecensi[6]), Biecensi[7]) et aliis et praeter multorum opinionem magna cum pace transacta.

Seminarium Calissiense

Synodus Provincialis Gnesnensis sub Laurentio Gembicki, Archiepiscopo Gnesnensi et Primate Regni, 26a istius mensis inchoata

---

[1]) De Więclawice et Niepołomice cfr. ea, quae diximus in Wielewicki p. 264 et 314 fasciculi III.

[2]) Georgius dux Zbarascensis. [3]) Joannes comes a Tęczyn.

[4]) Gabriel Comes a Tarnow. [5]) Joachim Comes a Tarnow.

[6]) Sigismundus Tarło. [7]) Nicolaus Firlej.

et ad 1^am^ Maii est continuata. In hac Synodo, incitantibus contra nos multis Praelatis malevolis Archiepiscopum, decretum erat latum de transferendo Seminario Calissiensi (quod curae nostrae sanctae memoriae Stanislaus Karnkowski subiecerat et pro quo Calissii egregias aedes ex muro extruxerat aliosque clericos, ne aliquando Seminaristarum Calissiensium translatio esset, Gnesnae fundaverat) Gnesnam, quod postea executioni est mandatum. Ingentes inde tricae inter nostros et Archiepiscopum Gębicki intercesserunt et ad mortem usque durarunt; imo nec eius morte sunt sublatae, ut fusius in historia Collegii Calissiensis videre est. In eadem etiam Synodo renovata est postulatio de Canonizatione B. Stanislai Kostka, quae etiam in simili conventu sub Bernardo Macieiovio facta erat.

translatum Gnesnam sub Gębicki Archiepiscopo in Synodo,

unde variae tricae.

Postulatio Canonizationis B. Stanislai.

Gabriel Comes a Tarnow cum suo germano Joachimo Palatino Parnaviensi domum nostram 27^a^ huius mensis visitarunt et cibum nobiscum sumpserunt cum variis suis Comitibus.

Eleaemosyna mensis Aprilis erat florenorum 193 in pecunia. A D^o^ Petricovio J. U. D. floreni 60. A quodam paupere floreni 30. A D^o^ Bobrownicki floreni 20. A Virginibus pro nobis mendicantibus floreni 26. A D^o^ Magno Oeconomo floreni 10. Ab aliis variis 47. Si autem hic addantur 100 floreni a D^a^ Guttetorowa [1]) pro reparatione horti, iuxta contractum cum ea factum dati, erit percepta pecunia huius mensis florenorum 293. Res a variis submissae constiterunt florenis 17.

Eleaemosyna Aprilis.

Venerat Cracoviam Ducissa Ostrogiae Anna de Stemberg 4^a^ Maii, septem templorum stationibus insignium visitandorum causa; cum eaque venerant duo nostri, P. Georgius Tyszkiewicz et P. Paulus Zaborowski. Discedens autem 8^a^ huius Cracovia reliquerat apud Domus Praepositum Crucifixum succineum et cor aureum, Romam suo tempore per commodas occasiones transmittenda ad Admodum R. P. N^rum^ Generalem; et fidelissime postea erant remissa.

10. Ducissa Ostrogiae ob 7 templa visitanda venit Cracoviam.

Sepulta in templo nostro 6^a^ istius mensis Virgo Dorothea Słocianka. Haec admodum iuvenis adhaeserat Palatinae Cracoviensi Barzinae, eique fere 40 annis famulabatur et sicut in obsequiis eius erat fidelissima, ita devotionem raram Dnae suae aemulabatur egregie, cum ea totis fere diebus in orationibus perseverans. Inter caetera mirabilis erat nostrae Societatis propugnatrix contra detractores et malevolos et cum esset non vulgari prudentia praedita, non paucos Societati conciliabat. Quidquid vel piorum eleaemosyna vel propria industria acquirebat, ipsa enim paucis contenta, totum templo nostro largiebatur. Mortua in domo viduarum, cum se ad mortem omnibus Sacramentis munita comparasset, annos nata ultra 70. Sepulta sub cathedra concionatoria die qua diximus. Ad instantiam enim Palatinae Barzinae ius sepulturae in nostro templo erat illi concessum.

Dorotheae Słocianka sepultura.

Quantopere nostros defenderit et eleaemosynis iuverit.

[1]) Dobrodziejska.

Festum Pentecostes.

Dominica Pentecostes, quae in 30am huius mensis inciderat, Sacrum et utrasque vesperas in templo nostro cecinit R. D. Bobola, Canonicus Cracoviensis, qui etiam nobiscum prandium sumpsit.

Eleaemosyna Maii.

Eleaemosyna pecuniaria huius mensis erat florenorum 110. A R. D. Mosiążek floreni 40. A R. D. Bobola floreni 16. A Mfco Do Nicolao Porembski floreni 16. A Da Plazina floreni 16. A Do Jaskolski floreni 10. A variis aliis floreni 40. Res submissae constiterunt florenis 33, nempe: A Rmo Praeposito Miechoviensi lardi 4 partes et caseorum duae sexagenae. A Mfco Do Komorowski 3 vasa butyri. A Da Szelagowa vas butyri et caseorum sexagena. Ab aliis esculenta et poculenta minutiora varia.

Debitum 2000 restitutum Do Abrahamo Ronenbergo per pecuniam ab aliis mutuo acceptam.

Ipsa prima Junii die reddidit Superior domus Do Abrahamo Ronenbergo Proconsuli Cracoviensi 2 millia florenorum, quae ab illo mutuo acceperamus 23a Octobris Anni 1619 pro debito ex horti emptione contracto dissolvendo. Recognitio huius debiti, cum eam nobis Dus Abrahamus reddidisset, accepta et lacerata est. Porro haec 2 millia partim ex 800is florenis, quos domi habuimus, partim ex mille ducentis mutuo acceptis sunt congesta. Nam D. Paulus Celari 700os et D. Georgius Klauznic 500os dederant nobis mutuos florenos. Utrique recognitio debiti cum obligatione restituendi, Do quidem Celario pro 11a Novembris et Do Klauznicio pro 29a Septembris, data.

II. Direptio officinae in foro per studiosos Academicos.

Circa idem tempus Academici studiosi cuiusdam mercatoris haeretici officinam in foro invaserant et diripuerant, quae res magnorum tumultuum occasio fuit. Cum enim Generalis Capitaneus Cracoviensis[1]) rem tam atrocem impunitam esse nollet et suspectos de hoc crimine, qui antea a Rectore Academiae[2]) proscripti erant, ad publicos carceres ducere iussisset, varia per tumultum tentare conabantur reliqui studiosi, sed frustra. Nam 3a huius eiaculantibus peditibus Capitanei sclopos ad terrendos concurrentes, unus pauper studiosus remote satis stans casu est occisus seu globo traiectus. Et iterum sequenti die eodem modo perempta una foemina. Non pauci etiam ex studiosis erant vulnerati tunc temporis; atque ita metu Capitanei a tumultibus abstinuerunt.

Qui inde tumultus.

Mors P. Zorawski. Eius patria. Ingressus in Societatem. Studia.

Eadem 4a huius mensis circa vesperam mortuus est in domo S. Barbarae P. Nicolaus Żorawski. Natus is erat Posnaniae in Maiori Polonia circa annum Domini 1585. Ingressus Societatem nostram aetatis anno 17, cum antea in Posnaniensi Collegio humanioribus litteris operam dedisset, in iis non contemnendum profectum fecisset. Post biennium probationis votis emissis scholasticus approbatus factus, Rhetoricae uno, Philosophiae tribus, Theologiae qua-

[1]) Gabriel comes a Tarnow.

[2]) Jacobus Najman j. u. d. canonicus cracoviensis, archidiaconus pilicensis († 1631) de quo vide ap. Wielewicki plura tomo III et infra. Appelatur etiam Najmanowicz.

tuor annis operam dedit, in quibus omnibus supra mediocritatem profecerat. Docuit in Grammaticae secunda schola Calissii duobus annis, Leopoli per duos similiter annos quaestiones de iure conscientiae et nostris et externis magna satisfactione legit. Ad cursum philosophicum legendum Calissium vocatus, circa finem Logicae desinere debuit et Posnaniam ad nativum aerem ob morbos graves curandos sese conferre. Postquam utcunque convaluisse videretur, Jaroslaviam in Russiam missus erat, ibique et Concionatorem templi parochialis et Praefectum Scholarum per unum annum egit. Sed cum ibidem in Hecticam incidisset seu potius recidivam eius (nam pridem in eo vires sumpsisse putabatur) subiisset, misus Cracoviam ad domum Professam, ut commodius valetudinem praesentibus variis medicis curare posset; postquam quatuor fere mensibus decubuisset, die supra notato omnibus Sacramentis munitus pie obiit, cum annum aetatis 36 ingressus fuisset et in Societate 19um annum agere coepisset. Sepultus est sequenti die ad altare maius in sepulchro nostrorum.

Munia in Societate peracta

in variis locis.

Mors et sepultura.

12. Jacobus Naiman, Rector Academiae,

Post mortem Jacobi Janidlovii, viri prudentis et pacati, electus erat Academiae Rector Jacobus Naiman, Archidiaconus tunc Pilicensis Juris utriusque Doctor. Hic ob Comitem a Tarnow Gabrielem, Capitaneum Cracoviensem, Studiosis iratum ob excessum suprapositum, reconciliandum coepit 6^{a} huius mensis a variis studiosis iuramentum exigere et diligenter inquirere in conscios et complices direptionis publice in foro factae. Pro hostili autem animo, quem contra Societatem a multo tempore gessit et iam gerit (contra quam, uti notavimus suo loco, librum famosum »Cathedra« dictum ac eam ob causam iussu Episcopi Cracoviensis in indicem prohibitorum relatum, scripsit) nolebat actum inquisitionis sine gravissima contra Societatem contumelia expedire. Ad iuramentum enim Studiosis sese accingentibus aiebat, parum illud prodesse, cum Jesuitae doceant posse esse iuramentum verbale sine intentione etc; ideoque eos per eosdem Jesuitas nullo negocio a iuramento absolvendos. Et quidem absolutionem a iuramento falso nos posse dare, sicut et alios Religiosos, modis debitis non abnuimus, sed quod doceamus iuramentum verbale sine intentione, magnam ea in re nostris iniuriam faciebat. Quia vero praedictus Rector publice praesentibus plurimis ea contra nostros effutierat, putabant non pauci nostri, rem talem nullo modo dissimulandam. Idem suaserant nonnulli Praelati nostri amantes. Instante tamen adventu R. P. Provincialis ad eum res tota reiecta fuit, qui postea dissimulatione utendum censuit.

inquirens in petulantes Academicos,

nostros calumniatur.

Suadebant nonnulli, ut de calumnia cum eo ageremus, sed dissimulandum erat.

Anna Doctoris Mitkowski coniux, foemina admodum pia et Societatis nostrae perquam studiosa, sepulta est in sacello D^{i} Razik ad portam templi nostri sito, ut notat P. Kamocki in sua templi historia. Eadem die, ut idem annotat,

Exequiae in nostro templo

et exequiae. exequiae expeditae in nostro templo pro anima D^ae^ Danielicovae, Regni Thesaurariae, maximae nostrae Societatis per hanc Provinciam Benefactricis. Cantatum ab uno ex nostris Sacrum funebre. Reliqui Patres Sacra pro defuncta et Fratres Coronas dixerunt.

Discessus P. Josue in castra. Discessit P. Josue Bruno Pruthenus ex hac domo 10^a^ huius mensis ad castra Serenissimi Ladislai Principis, tunc cum exercitu contra Turcam proficiscentis, ut cum aliis nostris, quorum fere 10 paria ad castra Chocimensia erant destinata, ob auxilium spirituale Germanorum militum ibidem moraretur.

Adventus R. P. Provincialis. Venit R. P. Provincialis 12^a^ istius mensis et manens Cracoviae ad 16^am^ Julii utriusque domus visitationem expedivit, de variisque negociis cum Consultoribus Provinciae contulit.

Festum B^i^ Aloisii. Hoc anno primum solennis memoria in templo nostro B. Aloisii Gonzagae fieri coepta 21^a^ Junii, qua feliciter ex hac mortali ad illam immortalem vitam et gloriam transiit. Omnes nostri Sacrum de SS^ma^ Trinitate habebant, quia nondum de eo vel officium divinum vel Sacrum permissum erat. Imago eius exornata in altari fuit exposita. Fratres sacra Communione refecti.

13. Decretum Caesaris contra rebelles Pragae promulgatum illis praesentibus. Locus supplicii. Eadem die Pragae decretum Imperatoris, Vienna missum contra rebelles ibidem detentos, promulgatum fuit et supplicium singulis causaeque, ob quas illud incurrerant, declaratum. Longe tamen minus supplicium, quam meriti erant, etiam ipsorum reorum testimonio assignatum fuit. Post auditam sententiam reducti ad carceres, 2^a^ hora pomeridiana. Residua pars diei et nox subsequens concessa iis, ut se ad mortem compararent, concessum et illud, ut uxores, amici aliique illos adire possent. Paratum ante curiam veteris urbis theatrum amplissimum nigro panno vestitum et subsellia penes theatrum pro tribus judicibus caesareis trium civitatum. Nam alii viri senatorii ordinis in pergula proxima erant spectatores. Arx undique tormentis munita subiectae civitati minabatur. Postquam miles omnium trium civitatum in celebrioribus locis fuisset dispositus, 22^a^ istius mensis, octo fereis curribus rei adducti, praecedente turma equitum et altera subsequente, cum lugubri sono tubarum, qualis pro mortuis esse solet et latera cingentibus sclopetariis. Quando coeperant deduci ad supplicium, coeperant nonnulli cantitare germanice, sed imperatum erat a supremo militiae praefecto, ut toto tempore supplicii classicum perstreperet, ne circumstantes voces rebellium audirent. 1us productus Comes de Schlig et capite truncatur, manus deinde trunci abscinditur, cum capite suspendenda in turri pontis. Tum truncum aliquot vespillones panno involutum ex theatro abstulerunt. 2us erat Baro Budonetc, canicie et barba promissa venerandus; 3us Baro Harant; 4us D^us^ Czaplicz, eques octogenarius; 5us D. Dworzecki, eques canus; 6us D^us^ de Bila, eques 68 annorum; 7us Otta, eques grandaevus; 8us D. Kunesz Chluinski; omnes hi capite plexi, dum unus post alium educeretur et solus ex iis D^us^ Dworzecki ante ictum, frontem cruce munivit; 9us D^us^ Michalowicz capite et manu truncatus; 10us D. Czernin, eques catholicus, cum magna pietate ad mortem se comparans, capite plexus; 11us Kochan, civis, capite plexus; 12us Sstephhek Smirziczky, Regens, capite et manu truncatus; 13 D^us^ Khobez capite plexus; 14us Scholter civis Guttenbergensis capite plexus, quod caput palo affi-

Varii afficiuntur supplicio.

1us,

2us, 3us,
4us, 5us,
6us, 7us,
8us,
9us,
10us,
11us, 12us,
13us,
14us,

pradum Guttenbergii abstulit carnifex; 15 Hosstialek, Primas Ziatecensis, cui caput amputatum postea affigendum palo Ziatecii. 16us Doctor Gessenius, Rector Universitatis Carolinae; quem carnifex in theatrum venientem a tergo manibus attractavit et manus fortiter strinxit, plectenti linguam forcipe evulsit, capite post truncavit et truncum post prandium in quatuor partes divisum extra civitatem novam appendit, manum vero ad curiam veteris urbis affixit. 17us Doctor Ihnselt capite et manu truncatus; 18us Doctor Ripel eodem modo. 19us Dus Kuttnecz, civis Pragensis in trabe ex fenestra curiae protensa, privignus Sussicti, suspensus, eo quod admodum urserit cum suo concive Sussicki, ut omnes Pragae Catholici mactarentur; 20us Sussicki ibidem suspensus, qui Collegium Societatis Jesu, dum Pragae nostri pulsi essent, occupaverat. 21us Nathanael Wodnanski, civis in patibulo foris suspensus, 22us Mascherowski civis, 23us Henricus Rosel, 24us Kocaus, 25us Rzeczicki iunior, 26us Kobacznik, 27us Vokacz decollati, 28us Theodorus Sixtus civis Pragensis, cum flexis genibus ictum expectaret in theatro, a iudice beneficium vitae obtinuit Caesaris voluntate. Quod ubi intellexit, assurgens et ex theatro descendere festinans gradus, per quos descenderet, reperire non potuit. Postea tres Barones: Dus Poppelius, ex Directoribus unus, Dus Pietiperski, D. Rzeczan, ex gratia Caesaris pro supplicio capitis ad carceres perpetuos sunt damnati. Dus etiam Hozlauer eques, ad fossas laurinenses damnatus est. Post prandium huius diei capita duodecim cum magno militum et populi comitatu ad turrim pontis delata et sex ex una parte, ex altera etiam sex loco conspicuo affixa, spectaculum et terrorem toti urbi praebentia. Die sequenti Nicolaus Starssi lingua ad patibulum fori affixus per unam horam, mittendus deinde ad fossas laurinenses. Eodem die tres virgis caesi ex civitate ac Regno pulsi.

15us, 16us, 17us, 18us, 19us, 20us, 21us, 22us, 23us, 24us, 25us, 26us, 27us, 28us.

14. Tres Barones perpetuis carceribus addicti. Unus eques ad fodinas damnatur. Capita palis affixa. Lingua unus affixus. Pulsi tres ex Regno.

Renovatio votorum praesente et celebrante R. P. Provinciali 24a huius mensis more solito peracta.

Renovatio votorum.

Iam sequenti die missi in Austriam Martinus Ignatius, Ioannes Kesegi, Paulus Czomofai, Joannes Jaranowski, Stephanus Kerestei, quos antecesserant 15a huius P. Joannes Szelesi, P. Joannes Scutellanus, Vitus Mathiades, Daniel Berlicz, Zacharias Magnerus. Omnes per Dei gratiam in Austriam salvi pervenerunt, ut postea cognoveramus.

Missi in Austriam nostri.

Cum Pater Joannes Biesiekierski [1]) nonnulla adeo gravia et infamantia commisisset, ut nullo modo in Societate manere posset, postquam diligenti inquisitione ea, in quibus deliquerat, comperta fuissent et Admodum R. P. Nro Generali scripta ad dimissionem eius ex Societate, ut quamprimum remitetur, idem R. P. Generalis mandavit. Evocavit ergo illum Cracoviam R. P. Provincialis et Professum licet 4 Votorum ac 35 fere annis in Societate manentem, hoc modo dimisit, ut recta e domo nostra in religionem aliquam bene constitutam, quam eligeret (exceptis Militari et Hospitalari), sese conferret. Paruit ille videns aliter fieri non posse et 27a huius mensis ad Canonicos Regulares, apud aedem Corporis Christi Cracoviae manentes, transiit, attonitis ad id omnibus externis, qui

15. P. Joannis Biesiekierski ex Societate dimissio.

Elegit Religionem

[1]) Nomen hoc alio atramento quinquies deletum, in indice tamen, qui autographum, manu ipsius Wielewicki scriptus, praecedit, reperitur.

Canonicorum Regularium. Ex eius dimissione nulla externorum offensio. Quia primus Professus in hac Provincia est dimissus, ideo novo modo illi patentes litterae dimissionis datae, quae hic ad verbum ponuntur.

eum familiarissime noverant, variasque causas eius rei inquirentibus. Nam de vera causa, quae solis Superioribus iisque paucis erat nota, ne nostri aut discurrerent aut loquerentur, interdictum erat. Tantum vero abest, ut aliquid inde Societas in hac Provincia pateretur, ut potius prudentiores quique nos vehementer collaudarent, quod nullo personarum respectu in delicta Religioni noxia severe animadvertamus. Quia vero P. Biesiekierski primus ex Professis 4 Votorum in hac Provincia est dimissus, ideo etiam diversas longe ab aliis dimissionis litteras patentes habuit, quarum tenor erat talis: »Joannes Argentus Praepositus Provincialis Societatis Jesu in Provincia Poloniae omnibus, in quorum manus hae litterae venerint, salutem in eo, qui est vera Salus. Cum S. Sedis Apostolicae auctoritate, Societati nostrae a Summis Pontificibus concessa, possit eadem Societas suos Religiosos ad alios Religiosorum ordines, ut in iis secundum statum Religiosum religiose vivant, transmittere: Omnibus, quibus interest, testatum facimus, nos eadem auctoritate, nobis ab Admodum R. P. Nro Mutio Vitellesco Societatis Nrae Praeposito Generali communicata, iustas ob causas potestatem fecisse P. Joanni Biesiekierski, Sacerdoti legittime ordinato et eiusdem Societatis Professo, ut a nostra Societate ad alium Ordinem Regularem, in quo disciplina Regularis vigeat (non autem militarem aut hospitalarem) transeat et in eo Professionem faciat, perpetuoque maneat. Et quia Venerabilem Canonicorum Regularium Ordinem Cracoviae ad monasterium SS^{mi} Corporis Christi sibi delegit, ut illum quamprimum ingrediatur, cum Benedictione Domini potestatem facimus. Quodsi forte, quod absit, ex praedicto Ordine ante finitam probationem aut omissam professionem eum exire contingat, alium similem Religionem Regularem ingredi tenebitur statim absque ulla culpabili mora et sic deinceps, ut obligationi, quam tanquam Professus habet, religiose in Religione vivendi satisfaciat. Rogamus autem omnes illos R. R. Patres Religiosos, ad quos ipsum transire contingerit, ut dictum P. Joannem Biesiekierski tanquam Religiosum Dei servum benigne excipere et humaniter tractare velint. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et solito Societatis nostrae sigillo munitas dedimus Cracoviae 25^{a} Junii Anno 1621.

Exequiae pro mortuo anno praeterito Palatino.

Ad postulationem Mfci D^{i} Joannis Zebrzydowski anniversariae exequiae hoc mense in nostro templo peractae pro anima parentis eius, Nicolai Zebrzydowski ante annum defuncti. Sacra funebria ab omnibus nostris habita et cantatum unum. Fratres etiam nostri suas coronas recitarunt.

Eleaemosyna Junii.

Percepimus hoc mense eleaemosynae pecuniariae florenos 627. Applicati nimirum domui a R. P. Provinciali, ex summa eius dispositioni relicta, floreni 500. Ex quartali novi Palatini Cracoviensis floreni 28. Ab Episcopo Cracoviensi floreni 24. A Capitaneo Lanckoronensi [1]) floreni 17. A Virgine Langowna floreni 18. Ab aliis variis floreni 45. Res submissae constiterunt florenis 63, nempe: a D^{o} Borek tritici metretae 10. A D^{o} Bobrownicki eiusdem metretae 6. Ab Abbatissa S. Andreae eiusdem metretae 2. A D^{o} Paczek hordei metretae tres. — A D^{a} Popowska vas butyri. A D^{no} aliud vas eiusdem. A variis aliis maiorum et minorum caseorum sexagenae tres et alia esculenta et poculenta.

[1]) Joannes Zebrzydowski, palatini Nicolai filius.

Promulgatum Jubilaeum circa initium Julii seu 4ª eiusdem, quod postea duravit ad 18ᵃᵐ per 15 dies Cracoviae et postea in aliis parochiis eiusdem dioecesis, imo et per totum Regnum peragebatur pro necessitatibus Christianitatis a Novo Pontifice Gregorio XV concessum est pro felici eius gubernatione. Conditiones eius consequendi illae erant: visitatio templi cathedralis et parochialis Bᵐᵃᵉ Virginis in iisque oratio, ieiunium trium dierum in hebdomada, eleaemosynae largitio, confessio et communio. Jubilaeum celebratum et modi eius consequendi.

Expedita visitatione et domus S. Barbarae, quae a 12 Junii ad 5 huius duravit, et domus probationis, ad quam 5ª huius mensis sese contulerat, discessit Cracovia, 16ª eiusdem mensis, R. P. Provincialis, qui praeter eleaemosynam superiori mense applicatam domui S. Barbarae, viatica insuper, quae eadem domus Patribus et Fratribus nostris in Austriam pergentibus dederat, restituit et insuper 52 florenos eleaemosynae dedit. Discessus R. P. Provincialis.

Mortuus 17ª istius mensis R. D. Nicolaus Taranowski, Canonicus Cracoviensis, insignis Societatis Nostrae et Domus S. Barbarae amicus ac Benefactor, post longam eamque accuratam ad mortem praeparationem et post consueta Ecclesiae Sacramenta devotissime suscepta. Ex 80 suae aetatis annis 40 fere Cracoviae consumpsit in domo Confraternitatis Misericordiae, a P. Petro Skarga olim fundatae, cuius ipse per triginta aliquot annos Praefectus fuit et eiusdem Confundator habebatur. Toto hoc tempore, duobus fere extremae senectutis annis exceptis, quolibet die in templo S. Barbarae sacrosanctum Missae officium peragebat, raram vitae puritatem, quam frequenti poenitentiae usu fovebat, diligentissime conservans. Sicut autem tanto tempore Sodalitati Misericordiae praefuit, ita et in operibus misericordiae omnibus admirabili erat incitamento, tum ex illis bonis, quae ex canonicatu Cracoviensi illi obveniebant, tum ex his, quae a Sodalibus in commune conferebantur, pauperes cuiuscunque status liberalissime iuvans. Nostrorum etiam in domo S. Barbarae nesessitatibus toto tempore Cracoviensis suae commorationis et ordinariis quolibet mense et variis extraordinariis eleaemosynis ad mortem usque subveniebat, ut ex tot anteactis huius historiae annis satis superque constat. **16.** Mors pia et vita R. Dⁱ Nicolai Taranowski, magni Benefactoris Fraternitatis Misericordiae et Societatis.

Indixerat Serenissimus Rex ob Turcarum imperatorem, cum ingenti exercitu adventantem, Comitia Generalia Regni duarum hebdomadum sub hoc tempus, in quibus inter varios modos ad tanti hostis potentiam cohibendam, etiam expeditio generalis ordinum ac totius Nobilitatis indicta fuit, cum qua ipse Rex contra hostem procederet. Praemissi autem iam erant duo exercitus: unus cum Carolo Chodkievicio, Supremo Militiae constituto pro hoc bello Praefecto, alter cum Vladislao Principe. Quia vero ante haec Comitia, etiamsi adeo essent brevia, inter districtuum Comitiola etiam more recepto Prosoviensia erant, ideo Academici ad ea sese contulerant, ut per nobilitatem modis omnibus scholas nostras Cracovienses impedirent. Sed hac re cognita Martinus Szyskowski, Episcopus Cracoviensis, apud **17.** In Comitiis Generalibus ob Turcam indictis

Et in Comitiolis districtuum conantur Academici nostras scholas impedire

eos, qui ad Comitiola venerant, effecerat, ne quidquam ab Academicis proponeretur et ipsos etiam Academicos privatim vocatos graviter reprehendit, quod rem ad Episcopum pertinentem saecularibus tractandam committere vellent, cum sua opera non deesset ad omnia in hoc negocio accomodanda. Hinc in Comitiolis Prosoviensibus nulla re proposita Academici Cracoviam redierunt. In aliis etiam Comitiolis, maxime Opatoviensibus, illud tamen effecerant Academici, ut articulus scriberetur de non tollendis et violandis Academiae privilegiis. Id autem nobis nihil obfuit, qui de infringendis praedictis privilegiis nunquam cogitavimus. In generalibus autem Comitiis ob tot negocia magis urgentia nihil de his rebus tractari potuit, licet praecipui Academici Varsaviam in hoc negocio ivissent ac Senatores Nunciosque terrestres prensantes obivissent.

irrito conatu.

18. R. D. Lucae Raphalowicz datur communicatio meritorum Societatis.

Excurrerat Superior domus 21ª huius mensis Wielopolum[1]) ad Parochum eiusdem oppidi R. D. Lucam Raphalowicz invitatus tum ob labores Jubilaei sub hoc tempus ibidem indicti, tum ob reddendas patentes litteras communicationis meritorum totius Societatis, quas ille sicuti antea avidissime expetierat, ita tunc gratissimo suscepit animo.

Protestatio Academicorum contra scholas nostras.

Academici 24ª istius mensis, ne quid intentatum ad scholas nostras Cracoviae impediendas relinquerent, protestationem contra scholas futuras nostras nomine Rectoris et totius Universitatis tum ad aedem S. Barbarae in absentia Superioris, tum ad aedem S. Petri attulerunt. Utrobique eorum protestatio non est acceptata et reprotestatio contra eorum protestationem sequentis mensis initio facta.

In festo S. Patris Oratio 40 horarum.

Ultimo die Julii in festo B. Pⁱˢ Nostri instituta in templo S. Barbarae pro Regni necessitatibus supplicatio 40 horarum et sequenti die Dominico finita vesperis. Utroque die maxima frequentia ad Sacramenta Eucharistiae Poenitentiaeque accedentium. Concio insignis facta in laudem B. Pⁱˢ Nostri a R. D. Jacobo Ostrowski, S. Theologiae Doctore et Canonico Cracoviensi. Excepti prandio hoc die Gabriel Comes a Tarnow Capitaneus Cracoviensis cum aliquot Praelatis et civibus. Accepimus per mensem Julium in eleaemosyna pecuniaria florenos 377. Ab Episcopo Cuiaviensi[2]) floreni 100. Ex legato Dⁱ Zalaszewski mortui floreni 50. A R. P. Provinciali floreni 52. A quodam ignoto floreni 50. A Virginibus mendicantibus floreni 15. A Dº Archipresbytero[3]) floreni 10. Alii 10 a Virgine Langowna et a Virgine Szydłowski itidem 10. A Dº Succamerario Cracoviensi[4]) floreni 10. Pro victu Okrąglicki et Mathiae aurificis floreni 24. Ab aliis variis floreni 51. Res submissae computate sunt florenis 50, nempe: a Ca-

Eleaemosyna Julii.

[1]) Wielopole, in archidiaconatu sandecensi, decanatu ropczycensi.
[2]) Paulus Wołucki.
[3]) Christophorus Trzciński. [4]) D. Jordan.

neo Cracoviensi [1]) equus. A Capitaneo Sądecensi [2]) bos, vini ollae 10. A variis eorum sexagena et vas butyri, pisorum coretus unus et alia ab aliis miora.

Excepit nos prandio Spectabilis D^us^ Stanislaus Rab, Consularis Cracosis, 1^a^ Augusti, quia hoc die filius eius D^us^ Joannes coniugium inibat peteque a nobis hac eleaemosyna, ut benedictionem Domini novis coniugibus a peteremus, quod et factum est. Datum prandium a D^o^ Rab.

Contra protestationem Academicorum circa finem superioris nsis factam, 2^a^ huius mensis, coram testibus ad id vocatis, solenreprotestatio a Praeposito Domus est instituta et ostensae causae, quas DD. Academicorum protestatio non fuerit acceptata, nempe ae: 1^a^ quia id, quod per eam praetenditur, est contra publicum et mmune tum Ecclesiae Catholicae tum Reipublicae bonum. 2^a^ quia t contra Privilegium et iura Societatis Jesu a Summis Pontificis et maxime a Pio V et Gregorio XIII expresse concessa, quae ferebantur. 3^a^ quia erat contra intentionem Serenissimi Regis et N^ri^ Sigismundi III. 4^a^ quia est contra voluntatem et concessionem ^mi^ ac R^mi^ D^i^ Martini Szyskowski, Episcopi Cracoviensis et Cancelii Cracoviensis Universitatis. 5^a^ quia in supradicta protestatione nnulla posita sunt, quae vera esse aut teneri debere idem Praesitus Domus non agnoscit, nempe quod scholae Societatis sint apendae Cracoviae sine eorum scitu, ad quos erectiones et apertios studiorum in hoc Regno spectant, quod sint allaturae praeiudim, diminutionem, dilacerationem Universitatis, dissolutionem ac perbationem disciplinae, periculum pacis publicae et abolitionem vel minutionem Fundationum Serenissimae Domus Jagellonianae, cum nia contraria apertione scholarum Societatis sint futura. 6^a^ quia n credit Praepositus praedictus ex sensu Universitatis hanc protetionem profectam, tum quia Universitas ut prudens non se oppoisset scholis Societatis nondum erectis et inchoatis, tum quia eam Universitas, suarum virium optime conscia, non expavisset sui minutionem per scholas Societatis, si illae sunt inutiles et nullius nderis. Allata est haec reprotestatio et intimatio eiusdem facta Reori Universitatis R. D. Jacobo Naimanowicz 7^a^ huius mensis. 19. Reprotestationis nostrae contra Academicos causae. 1^a^ 2^a^ 3^a^ 4^a^ 5^a^ 6^a^

Missum Roma ab Admodum R. P. Nostro pro nostris impetratum Jubieum 8^a^ istius mensis pro commoditate expediendum. Cui postea in variis norum domiciliis varia tempora erant assignata. Jubilaeum pro nostris.

[1]) Gabriel Comes a Tarnow.
[2]) Sigismundus Tarlo.

R. Dus Christophorus Trcinski Praepositus. Misericordiae.

Eadem die in Confraternitate Misericordiae in locum Sae memoriae R. Di Nicolai Taranowski electus est Praefectus R. D. Christophorus Trcinski, Archipresbyter Parochiae Bmae Virginis.

Jussu Episcopi Cracoviensis Martini Szyskowski datum initium pulsui in templis praecipuis ob orationem pro mortuis circa primam horam noctis 9a istius mensis. Continuabatur praedictus pulsus per medium fere annum, postea remittere de eo coeperunt varii, ita ut in uno vel altero templo res permaneret. Nonnulli 6a Novembris sequentis editum hoc Episcopi de pulsu factum censent.

20. Gustavus in Livoniam venit.

Gustavus Adolphus de Riga capienda et tota Livonia Regno eripienda antiquas machinationes habens et praeclare advertens, ob bellum Turcicum nostros esse distractissimos, occasionem arripuit hoc tempore egregiam deducendi suos conatus ad effectum. Itaque 11a huius mensis comparuerant eius naves fere 50 et postea plures in ostio maris prope Dinamundum ac Rigam. Excensionem tamen ex navibus nullam fecerant Sueci usque ad 21am, quia Gustavi adventum expectabant, qui praedicta primum die classem praemissam subsecutus erat.

Mors Joannis Berchmani.

Mortuus Romae clarus sanctitate iuvenis Nostrae Societatis Joannes Berchmanus Flandrobelga 13a istius mensis. Cuius vita extat Antverpiae post impressa, nempe Anno Dni 1630[1]).

De parce procuranda communicatione meritorum. Episcopi Chelmensis Spiritualia exercitia.

Missa est per Provincias ab Admodum R. P. Nro nova ordinatio de communicatione meritorum totius Societatis caute et parce procuranda 14a eiusdem mensis.

Rus Dus Mathias Lubinski, Episcopus Chelmensis nuper creatus et Praepositus Miechoviensis, antequam sui Episcopatus possessionem aggrederetur, venit ad aedes S. Barbarae 18a huius mensis et per decem dies spiritualibus exercitiis vacuit. Adiuvit illum ea in re eius frater germanus R. D. Albertus Lubinski Canonicus Cracoviensis.

Jubilaeum a novo Pontifice.

A novo Pontifice Maximo Gregorio XV concessum Jubilaeum per duas hebdomadas 20a istius mensis. Sed tardius in Poloniam venerat et nonnisi in Novembri promulgatum erat.

Gustavus Rigam obsidet et ad deditionem compellit.

Postquam 21a huius Gustavus ad suos, quos Rigam praemiserat, venisset, statim sequenti die tubicinem cum litteris ad Rigenses misit sollicitans eos ad deditionem. Ab hac cum se Rigenses alienos ostendissent et se in fidelitate Regis Poloniae, sicuti probos subditos decet, permansuros asseruissent, sub ipsam Rigam cum toto suo milite 23a huius mensis venit, duplicia castra fixit, fossis propugnaculisque munivit atque a 24a Augusti usque ad 22am Septembris perpetuis fere eiaculationibus, insultibus, cuniculis aliisque id genus ad

[1]) Probatur iterum, historiam hanc scriptam esse post annum 1630.

deditionem Rigam adigebat et tandem adegit, ut sequenti mense videbimus.

Eadem 24a excepit nos omnes prandio Rmus Episcopus Chelmensis, Matthias Lubinski et ipse nobiscum pransus. — Prandium ab Episcopo Chelmensi.

Longissimum hac ipsa die institutum colloquium a P. Friderico Szembek cum Jacobo Naimanowicz, Rectore Universitatis, sed nullo operae precio. Nam quaecunque P. Szembek de scholis nostris Academiae non obfuturis sed profuturis ostendebat, quaecunque de Congregatione Bmae Virginis Academiae perutili adferebat, omnia in pessimam partem explicabat et sarcasmis perpetuis tum P. Szembek tum alios nostros perstringebat. Nullo modo conveniebat, uti nostri toties sunt experti, cum homine Societatis nostrae hosti iuratissimo et tum ex se tum ex instructione Georgii Ducis Zbarascensis, cum quo in ordine ad nostros vexandos summa erat coniunctio et consiliorum communicatio, omnibus nobis infensissimo, ita familiariter agere. Habebat quidem aliquam spem P. Szembek deducendi istum hominem ex praeconceptis iisque pessimis de nobis opinionibus, sed totam operam semper perdidit. Nam perditus iste homo nulla re magis crescere voluit quam mendaciis, calumniis, libellis famosis, contra nos scriptis, ut postea ostendemus, et hoc solo nomine apud praedictum Ducem Zbarascensem in summis erat deliciis. — 21. Colloquium Pis Szembek cum Naimano Rectore inutile ob hostilem Naimani contra nos animum.

Toto fere hoc mense extraordinaria Vistulae inundatione suburbia, horti, templa Casimiriensia et Stradomiensia cum ipsa Civitate Casimiriensi ingentia damna subierunt. Pagi plurimi Vistulae adiacentes obruti, omnia in campis vicinis vel iam demessa vel adhuc integra manentia absorpta et corrupta, unde ingens annonae caritas orta fuit plurimis aliis districtibus. — Inundatio Vistulae extraordinaria.

Cranium B. Stanislai Kostka ab Admodum R. P. Nostro a Sigismundo III Rege impetratur pro templo S. Petri, nostris et maxime P. Friderico Szembek instigantibus, quod molestum quidem fuit Admodum R. P. Nro, quia illud Cranium iam Domui Professae Romanae designaverat, missum tamen fuit cum Reliquiis B. Borgiae, B. Aloisii, B. Rodolphi Aquavivae, Jacobi Salesii et B. Magdalenae Japoniae, quae in arce Varsaviensi servantur. — 28a Augusti Cranium B. Stanislai Kostka in Poloniam missum

Hoc praeterea mense ultima indictio generalis expeditionis contra Turcas toti nobilitati promulgata eique mandatum, ut ad initium Septembris circa Leopolim sese sisterent, quod et factum erat; sed tum parum auxit annonae caritatem tantus militum, ubique omnia — Ultima indictio expeditionis totius Nobilitatis.

Castra nostrorum ad Chocimum.

diripientium, conventus. Iam etiam hoc mense Carolus Chodkievicius, Supremus militiae Praefectus, cum Stanislao Lubomierski, equestrium copiarum Supremo Ductore, ultra Tyram fluvium castra fixerat penes arcem Chocimensem. Ultima etiam huius mensis Vladislaus Princeps Poloniae cum novo exercitu ex altera parte praedicti fluvii, ad Zwancum oppidum, castra posuerat et sese quamprimum cum reliquo exercitu coniungere parabat.

Vladislaus Princeps prope castra venit.

Eleaemosyna Augusti.

Pecuniaria eleaemosyna Augusti mensis erat florenorum 73, nempe: A Do Borek flor. 20. A variis aliis 53. Res submissae computatae florenis 15, nempe: vas butyri a Virgine Langowna, vini ollae 13 a variis; et reliqua minutiora ab aliis.

22. Vladislaus Princeps ad Duces exercitus venit.

Prima Septembris transiit Vladislaus Princeps ex castris suis, quae ad Zwancum tota hac die consistebant, ad maiora castra nostrorum ultra fluvium Tyram, ubi circumspexit fossas, quas nostri circa castra fecerant, ne tam facilem hostis, si statim per vim vellet irrumpere, haberet accessum. Eoque die apud Duces exercitus prandium sumpsit et vespere rediit ad sua castra, in quibus sequenti nocte perturbatio non necessaria erat secuta. Qui enim vigilias agebant, dum Zaporovienses Kozacos magno numero ad castra maiora accedere vident, arbitrati eos esse Tartaros, castra terrore complent, ex quibus statim et equestres et pedestres copiae in campum erant productae. Interim a 25a Augusti ad hanc ipsam diem praedicti Kozaci cum iis, qui exercitum Turcae antecedebant, varia proelia sustinebant non infeliciter. Eadem etiam die bellicus apparatus Vladislai Principis et pedestres copiae ad castra ultra Tyram traducebantur.

Kozacorum cum Turcis velitationes.

Turbae Studiosorum cum peditibus arcensibus.

Circa idem tempus Cracoviae novae turbae erant ortae inter pedites arcenses et Studiosos Academicos, Casimiriae dum simul prius potitarent, postea ad contentiones venissent. Captus est ex Studiosis Karas, circa quem laborabant Studiosi, ut liberaretur ante adventum Capitanei, sed frusta.

Promota castra Vladislai Principis versus Tyram ab oppido Zwaneczensi 2a Septembris, sed quia pons ob aquarum inundationem erat destructus, adhuc istam diem sequenti nocte in castris Princeps pernoctabat. Exercitus etiam Turcarum hac die comparuit et tentoriis intra aliquot horas montes et campos complevit, ipsa vero meridie ipsemet Imperator venit. Instructae acies nostrorum contra eum prodierunt et ne castra Turcica nostris castris nimis appropinquarent, curabant. Impetum primum contra Kozacos insti-

Exercitus Turcarum ingens immittitur in Kozacos.

tuit Turca, immittens in eos Janizeros cum densis explosionibus, sed submissae Kozacis auxiliares copiae 4 millia Germanorum peditum sclopetariorum Polonorumque represserant Janizeros et repulerunt non sine clade, qua dicebantur aliquot centena eorum prostrata. Cohortes etiam equestres variae varias cum aliis Turcis velitationes instituebant. Eadem die Chan Tartaricus cum toto exercitu venit et magnam partem exercitus, vado ante invento in Tyra fluvio, in Podoliam et versus Camenecum immisit ad vastitatem ubique inferendam et praedas agendas, quod more suo strenue perficiebant.

Chan Tartaricus suum exercitum dividit.

Tertia Septembris traiecto Tyra fluvio venit in castra Vladislaus Princeps, curribus et impedimentis in castris propriis cum certa parte exercitus relictis et eodem die in febrim incidit. Ingenti rabie Turcae iterum et hac die et sequenti in Kozacos irruerunt, sed felicissime sunt repulsi multis millibus suorum amissis.

Vladislaus Princeps in febrim incidit.

Ab eadem 3ª Septembris ad 22am Gustavus in Livonia Rigam gravissime oppugnabat, frustra Rigensibus expectantibus auxilium nostrorum ex Lituania, qui cum Duce Christophoro Radivilo relicti erant, ut Gustavi conatibus quantum possent, obsisterent. Comparuerant quidem nostri 9ª huius nec infeliciter cum Suecis pugnarant, prorumpentibus etiam Rigensibus ex altera parte; sed sequenti die viso exercitu Gustavi longe maiori quam putabant et cui repellendo non se pares advertebant, recesserant in Curlandiam, triumphantibus Suecis ac oppugnationem Rigensem fortissime continuantibus.

Gustavo Rigam oppugnante, nostri in auxilium veniunt obsessis.

Et statim recedunt.

Jam ad Chocimum 5ª huius mensis sumebatur supplicium de Valachis proditoribus, qui castra succendere volebant et ad Turcica castra profugere constituerant et antea latrocinia exercebant. Turcae etiam hac die cadaveribus sepeliendis occupabantur.

Valachi proditores.

Septima huius irruerant Turcae in ipsas nostras fossas et ex peditibus aliquot decades occiderunt duoque vexilla rapuerunt. Hoc successu animosiores facti, circa vesperam aliquid simile tentare coeperunt, sed nostri cautiores facti, fortissime restiterunt cum magno damno hostium. Vulneratus tum lethaliter Castellanus Polocensis[1]), qui etiam ex vulnere tertia post die obiit.

Impressio Turcarum vehemens et postea eorundem reiectio.

Eadem septima die istius mensis cum Jacobus Naimanowicz, Universitatis Rector, apud PP. Dominicanos impetrasset locum capituli pro exercitiis Rosarii a studiosis frequentandis, intimari fecit per

23. Jacobus Naiman novam

[1]) Nicolaus Boguslaus Zienowicz.

Congregationem Studiosorum apud PP. Dominicanos erigit

scholas, ut omnes die sequenti, seu pro festo Natalis B^mae Virginis adesse curarent devotioni futurae Academicae Rosarii initio et quī vellent, sua nomina darent. Idem in contuberniis actum, in quibus seniores significabant a Mfco D. Rectore invitari ex charitate DD^os Studiosos, qui sunt vel esse volunt ex Rosario, ut crastina die adesse velint hora 7^a antemeridiana in loco capituli PP. Dominicanorum, ibi exercitiis Rosarii separatim a promiscua plebe initium dari debere, tum ob periculum Regno a Turcis imminens amovendum, tum ut iuventus non tantum in litteris, sed et in pietate proficiat. Indixerat etiam P. Piekarski in templo parochiali hoc negocium talibus verbis: »quod in festo Natalis Deiparae Academia, quae se pridem Deiparae devovit, suas devotiones inchoet pro Regni necessitatibus in aedibus ordinis sui«. Idem P. Piekarski in vesperis Cathedralis templi obibat Praelatos, qui eo convenerant, ut devotioni crastinae vellent interesse.

ad eamque varios per dispositas personas invitat.

Ipso festo Natalis B^mae Virginis illi datur initium.

Ipso ergo Nativitatis SS^mae Virginis festo locus capituli solenniter fuit adornatus. Venit Rector Academiae, variis Professoribus comitatus et studiosis; venerunt etiam Praelati fere 12. Sacrum solenne cecinit R. D. Sarnowski, Canonicus Cracoviensis. Magister capellae templi Cathedralis cum sua musica et PP. Franciscani musici tam vocales quam instrumentales cantabant. Medio Sacro exhortationem fecit Simon Halicius, qui breviter praefatus Academiam participem meritorum Ordinis PP. Dominicanorum factam, nihil dicens de causa noviter erectae devotionis, de laudibus Deiparae sermonem instituit, sed statim eum abrumpere debuit ob Praelatos in Cathedralem ecclesiam properantes. Paucis in hoc sacro data communio. Continuabantur postea vario eventu isti conventus. Sed tandem, ut suo loco patebit, ad PP. Carmelitas discalceatos sunt translati. Omnia haec Jacobus Naiman eo fine instituerat, ut ex nostra Congregatione Assumptae B^mae Virginis sodales abduceret, sed per Dei gratiam more suo ea Sodalitas Sanctissimae Virginis Studiosorum, quae est apud S. Barbaram, procedit et uti spes in Domino procedet.

Per eam tamen ea Congregatio, quae apud nostros est, non est sublata.

24. Pons in Tyra fluvio.

Eadem 8^a huius mensis totus exercitus a Supremo Duce militiae ordinatus per integram diem expectabat hostem, sed nusquam dedit copiam pugnae. Pons etiam per Tyram fluvium hac primum die perfectus et tunc primum currus aliaque impedimenta Vladislai Principis transvecta.

Denique hac eadem die redditi Do Gregorio Klauznic floreni 500, quos mutuos acceperamus initio Junii anni superioris et accepta ab eo recognitio debiti ac lacerata. — Debitum persolutum.

Prodierunt Turcae in campos, duas in partes divisi et post montem prope sylvam dispositi, 9a istius mensis; prodierant et nostri, sed ad conflictum non ventum generalem. Explosiones tamen tormentorum fiebant et velitationes utrinque. Pomeridiano tempore ingenti impetu irruerunt in Kosacos, quibus in auxilium accurrerunt Germani pedites. Itaque et cum dedecore et cum damno non parvo, ob caesa aliquot millia eorum retrocedendum Turcis erat. Sequenti die, nempe 10a huius, in quiete se continebant Turcae, quia per Tyram pontem construebant, ut undique et nostros et Kosacos cingere possent, quod etiam effecerunt adiuvantibus Tartaris, qui iam ante jenes Camenecum manentes cum exercitu omnem commeatum, ne ad nostra castra deferri posset, intercluserant; unde ingens annonae caritas coepit esse apud nostros. — Irruentes Turcae in Kozacos, cum suo damno retrocedunt. — Pontem etiam in Tyra Turcae erigunt.

Totus iterum exercitus et nostrorum et Turcarum per integram diem 11sim huius in ordine stabat. Eodem tempore Turcae per pontem factum traducebant tormanta bellica in aliam partem fluminis indeque contra Kozacos Zaporovienses iaculabantur, nec parum iis nocebant, maxime vero eorum equis. — Contra Kosacos iaculantur non sine damno.

Resolvit sese totus noster exercitus simul cum Kosacis 12a istius mensis (qua Carolus Chodkievicius, supremus Exercituum Dux, ex morbo gravissimo coepit decumbere) post mediam noctem sequentem, certo signo dato, in castra Turcica irrumpere. Iamque et Kosaci et Germani pedites ad praedicta castra pervenerant et omnes equitum acies ordinatae stabant; sed hos conatus in ipso crepusculo densa pluvia et nubes caliginosa [1]). Eadem die Radula, Palatinus Moldaviae, suum Legatum cum litteris ad belli Duces misit quendam Baptistam, suadens nostris, ut potius de pace, quam de bello cum adeo potenti imperatore cogitent et praemittens se fore mediatorem huius negocii, si voluerint. Addebat deinde, victoriam in solius Dei esse potestate. — Resolutio nostrorum irruendi in castra impeditur pluvia. — Radula Moldaviae Palatinus pacem suadet.

Idem, quod hesterna die nostri constituerant, 13a huius perficere volebant. Sed Hungari tres, ex una nostrorum cohorte profugi, signi- — Iterum impetus in Turcas per

[1]) Impedivit.

proditores impeditur.

ficaverunt omnia Turcis, qui parati noctu nostros expectabant to que diem in velitationibus cum nostris consumpserunt.

Expeditur Nuncius Palatini Moldaviae 14ª illius mensis eoque missus D. Zieliński, qui tunc famulabatur Supremo equest copiarum Praefecto, Dº Stanislao Lubomierski. Eadem die cum piis auxiliaribus venit in castra Turcica Karakan Bassa.

25. Karakan Bassa antecedens Turcicum exercitum,

Sequenti die statim praedictus Bassa Karakan sive ob m tum Turcici imperatoris, sive etiam quod ipse sese ultro Tu imperatori obtulerit ac, ut alii ferunt, se statim nostra castra surum pollicitus fuerit, egresso toto exercitu Turcico et ipso imperatore, qui voluit conflictus Karakani spectator esse, prod cum sex millibus Turcicum exercitum entecessit, perrexitque v

dum nostros aggreditur, occumbit

castra nostrorum eam partem, quam debiliorem putabat. Sed iuvante tormento bellico ex fossis exploso ipse Karakan primo sus. Eius deinde exercitus dissipatur, erumpentibus nostris, a q

et eius asseclae caeduntur.

valde multi sunt caesi. Sensit vehementer caedem huius Bassa perator Turcarum eaque die ob moerorem et cibo et potu abs et currum cum 6 equis ad corpus eius avehendum ex acie sub

Missi reliqui in Austriam.

Eadem die missi hinc Olomucium Mathias Scultetus et Ambrosius qui soli duo restabant ex Austria.

Kosaci parant se contra Tartaros, sed cohibentur.

Decima sexta et 17ª Septembris quies erat in castris n ab hoste, quam libenter nostri habebant ob maximum comm defectum et pro se et pro equis. Volebant Kosaci Zaporovienses meatum Tartaris, qui ex altera parte fluvii erant, eripere et i stra inferre iamque eorum pars pontem transierat, sed interi nonnulas partes pontis tunc ruptas supersedere sunt coacti.

26. Barbarae Langae genus et patria.

Hac ipsa die 16ª mortua est insignis tot annorum domus et tem Barbarae Benefactrix Barbara Langowna, de qua breviter nonnulla ut hi stringamus operae precium videtur. Erat haec Joannis Lang, civis et Procc Cracoviensis, filia, quae totam fere aetatem in oratione et mortificatione t terna quam externa consumens et directionem vitae spiritualis a patribus n Societatis humillime suscipiens eosque continua benevolentia ac beneficer finem usque vitae prosequens, pulcherrima morte vitam conclusit pulcher et mirabilem sanctitatis apud omnes, qui eam norant, reliquit... Haec

Pedem frangit anno aetatis 7º

anno septimo pedem fregit, quem nulla medicorum industria sanare quem casum illa ideo Deum permisisse affirmans, ut nihil commune cum vanitatibus haberet, totam sese Deo tradidit et iam in illa aetate vestes tuosas aliasque similes illecebras odio habere coepit, multis precibus ap rentes agens, ne ad eas sese adigerent. Ingressa 14ᵘᵐ aetatis annum perp

Virginitatem Deo vovet.

Martinus Laterna eius confessarius.

Amor et desiderium mortificationis et simul exercitium varium.

Internae mortificationis studiosa.

Impedire frustra conati daemones eius meditationes maxime de Passione Christi.

27. Sudor sanguineus Crucifixi, quem habebat.

Insignis eius in morbis patientia.

Ex oratione conti-

ılem Deo vovit, quo etiam tempore in templo nostro Christi nuditatem
s expendens, ricam gemmis distinctam e capite eiecit. Vitae post spiri-
ırriculum ingressa, ingentes tamen spiritus blasphemi procellas tum alios
s impetus variis terriculamentis coniunctos experta, non parvo tempore
ima vixit. Omnibus deinde superatis et propria diligentia et confessario-
vium nostrae Societatis industria (inter quos erat etiam gloriosus ille
Martyr Martinus Laterna, Stephani Regis Poloniae confessarius et con-
postea a Svecis haereticis odio religionis catholicae praecisis manibus
deiectus) admirabile donum mortificationis et orationis est assecuta, in
que usque ad mortem maiora sumebat incrementa et utriusque non
xercitium, sed etiam amorem ac desiderium conservabat. Hinc singulis
tis Sacrum fieri ante altare Crucifixi Domini curabat a Domino petens,
ıunquam a cruce separaret et nonnisi ex cruce in tumulum deponere
uod et impetravit. Tota enim vita gravissimis morbis conflictabatur et
nis ante mortem affixa lecto manebat; illos tamen morbos non cru-
Dei donum singulare vocabat. A nonnullis cibis, quos palato arridere
ad mortem usque abstinuit, ardentis cerae stillas corpore excipere,
multis horis in cubiculo, exemplo S. Simonis Stilitae consistere variis-
ritatibus sese affligere non cessabat. Internam etiam mortificationem
gis colebat, quanto maioris momenti eam esse cognoverat; ideoque
ii iussis magna cum celeritate morem gessit et vel Communionem inter-
ıibenti, vel eas, quas desiderabat, afflictiones interdicenti, statim acquie-
do verberationes corpori adhibebat, saepe daemones eiulatum et ma-
epitum ita excitabant, ut etiam domus fenestras frangerent. Quando
sionem Dominicam meditabatur, cui exercitio tanquam potissimo
ortificationis instrumento maxime afficiebatur, daemones vel ob-
ım militum clamoribus, vel inconditis variarum bestiarum vocibus
rturbare nitebantur, sed irrito conatu. Illud ordinarium fere in Passio-
ti contemplatione habuit, ut illi omnia, quae in monte Calvariae aliis-
cis, in quibus Christus patiebatur, fiebant, ad vivum representabantur.
mi suae Crucifixum, ad quem dum solito more oraret, Christus exten-
us amplexus eam dixit: »Filia, gratum mihi, quod ita compatiaris meis
s, ecce facio te participem meae passionis«. Et tunc sensit in se dolo-
tes cordis et aliorum membrorum. Idem Crucifixus sudabat sanguinem
nis ante eius mortem, incipiebat vero sudor vesperi feriae 5^ae^ et de-
irca vesperas feriae 6^ae^. Guttae sanguinis, quae ubertim ex capite et
ore defluebant, mirabiliter ad pedes evanescebant; quae omnia indicant
tum mirabilem ad hocce Passionis Dominicae mysterium, ob quod
tiam diebus officium S. Crucis non sine meditatione recitabat. In in-
s morbis, si aliquando dolores suos retulisset, eam relationem impa-
esse rata, talium verborum poenas a seipsa exigebat, sicut et illorum,
iquando se male valere non advertens significabat, talia enim verba
esse putabat. Orationi, quae verae mortificationis comes esse solet,
e tempus impendebat. Nam dum adhuc claudicans templum nostrum

nua, mira, vera cum Deo coniunctio. Visiones variae

adire soleret, a primo Sacro ad ultimum singulis diebus in templo manebat. Pomeridianum etiam tempus partim piae lectioni, partim variis meditationibus dabat. Hinc mirabilem cum Deo coniunctionem assecuta, quam tum solidae virtutes, tum variae visiones, quas iussa confessario humiliter et candide referebat, manifeste ostendunt. Aliquas insinuasse tantum sufficiat. Semel B^ma Virgo dabat illi in manus Jesum infantulum, dum mysterium Epiphaniae meditaretur et dum illa reverentia non audet eum attingere, ipsemet infantulus subsultans voluit manibus eius excipi. Cumque tunc summa perfunderetur dulcedine, a Deipara illa audivit verba: eam suavitatem nullam esse respectu illius, quam in coelo est habitura. Christum etiam e cruce ita sibi dicentem audivit, cum ab eo peteret, an aliquid meriti suis doloribus esset habitura: »Num tibi parum videtur, filia, quod te ad obsequium meum vocavi?« Et iterum illa verba: »Qui vult amare Christum, oportet pati«. Quae etiam verba a S. P. Nro Ignatio sibi apparente excepit. Plures e nostris Patribus defunctis illi olim noti apparebant, aliqui in gloria, aliqui adhuc in purgatorio manentes et eius preces expostulantes. Ordinarie cognita alicuius nostri morte non solum ipsa pro anima eius orabat, sed etiam plurima Sacra fieri curabat. Post communionem communiter a sensibus alienata, colloquiis cum Christo, B^ma Virgine aliisque Sanctis, quos tunc astantes videbat, occupabatur.

et verba Christi ad illam dicta.

Apparitiones mortuorum illi factae, pro quibus orabat.

28. Munificentia eius erga domum S. Barbarae.

Pro Societate nostra, quam plurimum amabat, singulis septimanis duo Sacra offerri curabat eiusque meritorum se factam participem maximi faciebat. In templum (licet etiam et erga alios Religiosos et pauperes liberalis esset) per 40 fere annos fuit munificentissima et ea, quae tanto tempore sive ordinarie sive extraordinarie submittebat, non paucis millibus constant.

Aetas. Sepultura.

Susceptis consuetis Ecclesiae Sacramentis, mortem sanctissime obiit, praedicta huius mensis die, anno aetatis 56, ad quem eam potuisse pervenire in maximis morbis et ob exiguum cibum ac potum, omnes mirabantur. Morte eius vulgata tota civitas et nobilissimi quique, qui tunc Cracoviae erant, ad funus eius honorificentissime accurrerunt. Et sacerdotes externi, ut laicorum humeris portaretur ad sepulchrum, non permiserunt, sed ipsi certatim accurrentes feretrum detulerunt. Quod videns domus S. Barbarae Praepositus, qui praesens aderat (veritus, ne si nostri de quibus illa ita merita fuit, huic pio obsequio se non adiunxissent, in suspicionem minus grati animi vocarentur) annuit nostris Patribus, ut et ipsi externos ea in re iuvarent, quod et fecerunt. Sepulta in nostro S. Barbarae templo 2^a Octobris honorificentissime maximo hominum concursu. Sacrum funebre decantante R^mo D^o Thoma Oborski, Suffraganeo Cracoviensi et P^re Friderico Szembek de praeclaris eius factis egregie concionante. Diutius erat eius sepultura dilata ob absentiam Spectabilis D^i Ioannis Wisenbergii, Proconsulis, eius nepotis, expectabatur enim eius adventus. Domestici illius sacelli supellex, 600^is florenis aestimata, domui nostrae cessit. Multa tamen minutiora, devotionis causa, tum cognatis tum plurimis aliis illustribus personis, maximis precibus ea postulantibus, concedi necessario debebant. Viget autem eius memoria Cracoviae ita iucunda, ut insignis sanctitatis, in qua vixit, viva vestigia eam reliquisse omnes arbitrentur.

Sacerdotes eam ad sepulchrum deferunt et nostri.

Concio de eius laudibus. Domestici sacelli supellex nobis data.

Unus ex nostris (R. P. Fridericus Szembek) curaverat, ut quarto post mortem die cor ex ea extraheretur, quod merito Superioribus displicuerat, quibus insciis id erat factum. Longior huius Virginis vita a variis descripta habetur et suo tempore lucem aspiciet, ut putamus. Nos hic aliqua tantum adferre voluimus. Exenteratio eius cordis.

Mortuus Romae vir immortalitate dignissimus et doctrina ac pietate toto orbe Christiano celeberrimus, 17a Septembris, Robertus Bellarminus, Cardinalis nostrae Societatis; dignus omnino, ut eum hac nostra historia non praetereamus saltem obiter, nam de vita eius magnus liber extat, ad quem remittendi sunt, qui accuratiorem eius cognitionem requirunt. Erat is Italus, Patria Politianus, Marcelli II Pontificis Maximi sororis Cynthiae Cerviae filius. Adolescentulus se Deo in nostra Societate consecravit atque excellenti ingenio, magno iudicio, improbo et pertinaci studio liberales artes didicit et graviora studia, quae etiam profitebatur variis in locis, maxime Romae et in Belgio. **29.** Roberti Cardinalis Bellarmini mors. Eius Patria. Ingressus in Societatem et labores in ea.

De Controversiis Christianae fidei adversus sui temporis haereticos operosum et omnibus numeris absolutum opus in tres tomos distinctum et 64 libris comprehensum scripsit, quod quia omnibus est notum eius distinctiones hic non appono. Harum Controversiarum Epitomem ediderunt post Balduinus Junius, Ordinis Minorum, et copiosius Bosius. Scripsit deinde Commentarios in psalmos Davidis. Exhortationes pias. Libros spirituales varios in senectute: De ascensione mentis in Deum. De aeterna felicitate. De arte bene moriendi. De gemitu columbae. De septem verbis Domini. Deinde: Iudicium de concordia Lutheranorum. De Indulgentiis et Iubilaeo. De Scriptoribus Ecclesiasticis. De Translatione Imperii. Liturgiam Apostolicam. In haereticum, qui carpebat fulmen seu Excommunicationem Xisti V. Institutiones linguae Hebraicae. Catechismum. Declarationem Symboli. Responsionem ad Doctorem Theologum de Censuris adversus Venetos et ad tractatum Joannis Gersonis de excommunicatione. Aliam responsionem ad septem Theologos Venetos. Recognitionem operum suorum. Responsionem sub nomine Matthaei Toreti Presbyteri et Theologi Papiensis ad librum inscriptum Triplici nodo triplex cuneus. Apologiam pro sua responsione ad librum Jacobi Magnae Britanniae Regis, cui titulus est: Triplici nodo triplex cuneus, in qua Apologia refellitur praefatio monitoria Regis eiusdem. Sanctitatem vitae eius ex vitae illius historia, cuius supra fecimus mentionem, cuilibet facile erit intelligere. Libri contra haereticos 64. Libri devoti. Libri Apologetici et Miscellanei varii.

Nec appetens nec ambiens imo abhorrens et repugnans in Collegium S. R. E. Cardinalium cooptatus fuit anno salutis 1598, 3a Martii. Non multo ante mortem eiusdem Pontificis factus erat Archiepiscopus Capuanus. Et purpura sacra donatus et praedicto Archiepiscopatu, nihil de pristina modestia remisit suique omnino similis et pauper Societatis Jesu Presbyter et Ecclesiae Romanae Princeps idem semper fuit, in unum religiosae vitae et sacrae dignitatis munia coniungens. Medio fere anno ante mortem, cum iam 79 aetatis annum haberet, impetraverat a Pontifice, ut iam a publicis laboribus, quibus perpetuo distinebatur, liberatus ad mortem sese comparare melius posset. Itaque in domo Probationis Societatis nostrae, quae ad templum S. Andreae Romae sita est, con- Cardinalis factus a Clemente 8° et Archiepiscopus Capuanus. Ante mortem in Romana domo Probationis manet in ea-

que moritur. Eius sepultura in domo Professa.

clusit sese ibique sanctissime est mortuus et postea in domus Professae templo, in eo sepulchro, in quo antea S. P. Noster Ignatius sepultus erat antequam ossa eius levarentur.

30. Consilium militare in nostris castris.

Quia Turcae per 18um huius mensis quieti in castris manebant, ideo tunc in nostris castris consilium militare institutum: an hosti ex castris esset cedendum, nec ne, ob tantam commeatus inopiam. Variae erant sententiae, sed tandem talis erat conclusio, ut nullo modo relinquatur locus, in quo manerent, et ut usque ad mortem contra hostem pugnetur. Quantum ad commeatum obligarunt Duces belli sese procuraturos eundem et damna, quae plurimi subierant, compensaturos. Eadem insuper die nonulli Sabbati, qui ad hostem profugere constituerunt, supplicio sunt affecti.

Kosaci in castra Turcica irrumpunt, multos mactant et multa rapiunt.

Sequenti die Kosaci Zaporovienses aliquot centeni noctu vigilias Turcicas fallentes irruperunt in castra Turcica; multos dormientes occiderunt, equos, camelos, arma varia, pecunias et alia rapuerunt ac simul duo vexilla Janizerorum, quae Principi Vladislao donarunt, dum sani rediissent. Eadem die pars exercitus nostri versus Camenecum propter commeatum sese contulerat, sed ob Tartaros omnes vias obsidentes redire ad castra debuit.

Oratio 40 horarum in nostro templo.

Utraque hac die Cracoviae nempe 18^{a} et 19^{a} Septembris in templo S. Barbarae supplicatio 40 horarum pro Regni necessitatibus peragebatur. Quae etiam fiebat saepius in aliis templis hoc mense et sequentibus et singulis diebus duarum vel trium horarum oratio exposito SS^{mo} Sacramento et exhortatione praemissa circa vesperam fiebat ordine praescripto in variis templis ad impetrandum felicem belli successum contra Turcas.

Bulla de Congregationibus.

Prodiit 20^{a} huius mensis Bulla Gregorii XV^{i} de Congregationibus, quae postea in Synodales constitutiones Regni Poloniae inserta est et extat in Synodo Provinciali Petricoviae habita sub Joanne Wężyk Archiepiscopo Gnesnensi Anno[1]) ubi etiam per Dioeceses Conservatores assignantur.

31. Turcicus Imperator cum chano Tartarico versus Prutum irruit.

Per eandem 20^{am}, 21^{am} et 22^{am} castris Chocimensibus nostrorum quies erat ab hoste, qui non prodibat; eiaculationes nihilominus ab eo fiebant tormentorum sicut et a nostris. Dicebatur imperator Turcicus simul cum Chano Tartarico ex castris propriis versus Prutum fluvium duobus fere milliaribus discesisse et ibidem Hahali Bassam expectasse, qui antea Turcae bellum contra Polonos disuadebat et cui hoc nomine Turca irascebatur eumque penes Danubium relinquerat. Sed iam advertens se in sua persona nihil Po-

[1]) 1628. Editae sunt Constitutiones Synodorum J. Wężyk Cracoviae 1630.

lonis efficere potuisse, plenus pudore in eos iterum iram convertisse, fama erat, qui illi hanc expeditionem suadebant. Lissoviani milites praecedenti nocte ob praedam eruperant et captis aliquot Turcis boves et equos rapuerunt. Idem fecerunt sequenti nocte Kosaci Zaporovienses, pascua Turcicorum iumentorum invadentes et multa iumenta abducentes. Imo iidem Kosaci nocte alia nempe 22ᵃᵐ huius consequente, ultra Tyram fluvium transeuntes in Turcas dormientes inciderunt et Cerkiesz Bassam occiderunt cum plurimis aliis ; qui quidem Bassa ideo ultra fluvium praedictum perrexerat (ita enim ferebatur), ut novis castris Turcicis sub Cameneco locum deligeret, quo vel ipse imperator Turcicus transiret vel partem exercitus mitteret ac nostros distraheret. Afflictus erat vehementer Turca, cognita caede praedicti Bassae, et non parum turbata erant eius castra. Nostri milites etiam a Tartaris non parum damni acceperunt in sua familia, quae dum pro equis gramen ac foenum conquirit, in manus Tartarorum incidit et vitam ac equos amittit. Hac insuper die rediit ex castris Turcicis Dⁿˢ Zielinski litterasque serico rubro involutas Ducibus militiae reddidit.

Rapinae Lissovianorum et Zaporoviensium.

Bassa Cerkiesz occiditur a Kosacis.

Tartari nostrorum famulos mactant.

Commisarii et omnes Praefecti militiae ad Carolum Chodkievicium, Supremum exercitus Ducem, iam vix semivivum 23ᵃ huius conveniunt, qui eadem die munere suo, quod gessit, abdicavit sese; qui etiam ad arcem Chocimensem curru est deportatus. Eadem die ex altera parte Tyrae fluvii tormenta bellica contra castra Kosacorum explodebantur, contra quae alia tormenta nostrorum adducta, quae quidem ita dextre ipsemet Supremus equestrium copiarum Praefectus globos dirigebat, ut nulla explosio irrita esset. Et occiso ipso Turcico machinarum libratore ac aliis qui circumstabant, abduxerunt Turcae illa, quae disposuerunt tormenta. Kosaci etiam sequenti nocte sua castra in alium locum transtulerunt. Milites reliqui iam nullam spem de vita Dⁱ Chodkievicii habentes, de eo, qui in eius locum succederet, consultabant et principaliter Vladislaum Principem, secundario vero equestrium copiarum Praefectum, Stanislaum Lubomierscium, delegerunt atque statim ab utroque petierunt, ut munus hoc subirent. Gratum id erat Vladislao Principi, et obtulit sese libenter ad munus hoc obeundum. Eademque nocte Princeps suos expediverat Kamenecum versus ob commeatum advehendum.

Abdicat se munere Carolus Chodkievicius.

Contra tormenta turcica nostri sua dirigunt feliciter.

Deliberatio de novo supremo Duce belli et eligitur Princeps Vladislaus.

Mortuus Carolus Chodkievicius 24ᵃ istius mensis hora 2ᵃ pomeridiana, vir omnino magnus et in bello et in pace Senator gra-

32. Mors Ca-

roli Chodkievicii. vissimus, Patriae et Regis amantissimus, victoriis plurimis ex Svecis in Livonia, ex Moschis in Moschovia, ex Tartaris ac Turcis tum ad castra Chocimensia tum alibi nobilissimus. Sed eius encomia maxima alibi videnda. Eadem die Turcae de eius morte cognoverant ac mirifice ob eam triumpharunt, arbitrabantur enim tali viro mortuo iam esse actum de nostris. Ac ideo sequenti die ingentem insultum Turcae in castra nostra fecerunt, sed per Dei gratiam repulsi sunt.

Insultus Turcarum in castra.

Conditiones Rigensis deditionis: 1ª 2ª 3ª 4ª

Iam in Livonia circa Rigam a 23ª huius usque ad 25ªm postquam tractatus varii intercesissent, conclusa est deditio civitatis cum illis conditionibus: 1ª ut civitas sua privilegia retineat etiam eo casu, quo Rex Poloniae vigore tractatuum esset eam recepturus. 2ª ut eadem civitas nullo exactionum gravamine opprimatur. 3ª ut Patres Jesuitae, Nobiles et nominatim Castellanus Vendensis[1]) et alii cives, si forte intra annum cum rebus suis alio migrare cuperent, liberi dimittantur. 4ª ut civitas libera sit ab homagio praestando, si intra triennium elaboraverit, ut inter ipsam et Regem Poloniae perpetuae ineantur induciae. Postquam his omnibus conditionibus assensum dedisset Gustavus, claves portarum sunt illi porrectae ab Ulenbrochio Proconsule, Ulrico Syndico Ramo, a Joanne Maier Secretario supremo et Tribunis nonnullis.

Ultra Niestrum progrediuntur Turcae.

In castris Chocimensibus 26ª huius pomeridiano tempore, nam matutinum pluviosum erat, multa millia Turcarum pontem transierunt ac ex altera parte fluvii contra nostra castra constiterunt, maximum camporum spacium occupantes et postea, directis contra castra Kosacorum tormentis, iaculabantur. Nostri per tubos eos aspicientes adverterunt ipsum Turcicum imperatorem interfuisse, forsan ut ex altera parte nostrorum castra contemplaretur et cum suis decerneret de modo aliquo nostros oppugnandi efficaciori, quod et factum est post duos dies, ut statim dicemus.

33. Wezyr Turcicus iterum in pacis negotio mittit.

Tertia vice Baptista Wewelius ab hostilibus castris ad nostra venit 27ª huius cum litteris a Wezyro, quibus suadebat Duci Campestri exercituum, ut ad tractandas conditiones aliquem magnae virum authoritatis mitteret, cum quo de iis conferat.

Undique castra nostra oppugnantur

Summo mane diei 28ª huius mensis Turcae et Tartari arcem Zwanescensem ultra Tyram fluvium oppugnarunt, sed fortiter reiecti a nostris in ea arce degentibus. Quia vero nebulosum tempus erat,

[1]) Gothardus Tyzenhaus.

durante nebula advexerunt Turcae 25 tormenta campestria, satis magna et ingentia muralia duo, quae plurima paria bubulorum trahebant. Selectorum etiam militum tam ex Turcis, quam ex Tartaris processerunt fere 10 millia. Quae cum in ordine constitissent, ingentes fulminationes contra castra Lisanoviorum[1]) sunt factae; et ex altera parte simul eodem tempore impetum in nostra castra cum ingentibus explosionibus faciebant, isque impetus per integram diem durabat, tantaque fulminationum erat frequentia, ut terra contremiscere videretur et ex diversis partibus in castra ingentes insultus continuabantur, sed per Dei gratiam omnibus itum obviam et Turcae reiecti, maxima suorum iactura et sua infamia. Non pauci nostrorum desiderati et satis multi vulnerati. Circa meridiem ex murati tormenti globus in tentoria Vladislai Principis erat directus, sed in iis tunc non manebat Princeps. Eodem tempore uni ex custodibus corporis Principis globus caput abstulit ex tormento emissus.

a Turcis et Tartaris,

sed per Dei gratiam reiciuntur hostes cum sua clade.

Expeditus Baptista Wewelius ivit ad castra Turcica 29ª istius mensis, qua etiam die Castellanus Belzensis[2]) cum D° Sobieski[3]), habentes ex familia sua fere 20 personas, ad tractandum de pace in castra hostilia profecti sunt. Centum equites egregie ornati illos deducebant ad eum locum, in quo Turcae, cum simili numero eos expectabant et humaniter suscipiebant. Cumque Castellanus inter salutandum per interpretem dixisset, se venire sive cum pace sive cum bello, suspirantes responderunt Turcae, se a Deo pacem petere. Sequenti die quies erat a Turcis, sed velitationes non intermittebantur a nostris, ex quibus etiam quidam Krynicki occisus est.

Tractatus de pace Turcarum et nostrorum.

In Livonia postquam 26ª huius mensis triumphans Gustavus Rigam fuisset ingressus et nostros Collegio per milites occupato 27ª ad se evocasset variaque et contra Nostros et contra Regem nostrum dixisset iterumque ad Collegium redire iussisset, ubi nostri in uno loco cum custodia erant detenti et tandem 28ª et 29ª de variis nostros examinasset, quo videlicet reposuerimus res ecclesie et varia alia, ultima huius mensis, quarta pomeridiana, traiecto fluvio Dvina iter versus Lituaniam cum aliis variis, qui in arce manebant, ingressi sunt nostri, duobus vexillis Svecorum comitantibus ad duo milliaria.

34. Post Rigam acceptam Nostri dimittuntur.

Data nobis eleaemosyna per mensem Septembrem in pecunia florenorum 147. A virgine Barbara Langowna legati fl. 50. A P. Brodowski fl. 32. Ab Ab-

Eleaemosyna

[1]) Lissovianorum. [2]) Stanislaus Żorawinski.

[3]) Jacobus Sobieski, cuius filius Joannes rex Poloniae eligendus fuerat.

batissa S. Andreae fl. 16. A Dº Szydłowski 14. Ab aliis variis 31. In rebus esculentis et potulentis, quae submissae sunt, fl. 20 sunt aestimatae. Iam supellex sacelli a Virgine Langowna nobis legata fl. 600 constitit, uti diximus supra.

Redeunt nostri ad castra, qui pro commeatu iverant.

In castris Chocimensibus 1ª Octobris cohortes Vladislai Principis, quas Camenecum ob commeatum miserat, redierunt cum commeatu. Aliquot millia Turcarum cum 10 tormentis bellicis iussu Turcici imperatoris iverant iis obviam, sed hac re cognita nostri alia via ad castra pervenerunt. Itaque Turcae redire coacti irrito conatu, quamquam redeuntes coeperant iaculari contra nostros ex altera fluvii parte. Eadem die Legati a Kosacis Dunensibus ad Principem Vladislaum venerant significantes de suorum adventu et vexilla petentes a Principe, sed responsum illis, tum danda vexilla, quando venerint.

Officium et Sacrum de B. Aloisio.

Officium et Sacrum de Beato Aloisio ut de Confessore non Pontifice concessit Gregorius XV Pontifex Maximus 2ª istius mensis.

Crucifixus Barbarae Langae miraculosus.

Eadem die apud nos peractum funus Virginis Barbarae Langowna, quae 16ª mensis superioris erat mortua, de qua ibidem varia attulimus. Allatus domum miraculosus Crucifixus piae memoriae Barbarae Langae 4ª istius mensis, qui sanguinem sudabat et repositus in sacello domestico, in quo hucusque honorifice servatur.

Induciae inter Turcas et nostros.

A 4ª Octobris usque ad 8ªm tractatus fiebant de pace inter nostros et Turcas et interim induciae publicatae et interdictum, ne ullus rapiat vel abducat eos, quos Turcae ob gramen pro equis mittebant.

Cosmas de Torres Nuncius Apostolicus.

Venit Cosmas de Torres, Nuncius Apostolicus novus, Cracoviam 6ª istius mensis, cui obviam processerant varii Praelati et cum quo Roma redierat Dus Achacius Grochowski, Secretarius Regius; quique post tantum iter Tineci in aula Abbatis aliquot diebus quieverat, ubi eum nomine domus S. Barbarae salutaverat P. Szembek et post duas dies ab eius adventu salutatus est a Superiore.

Inter nostros et Turcas pax conclusa.

Conclusa pax honestis conditionibus pro nostris in castris Chocimensibus 10ª huius mensis et utrimque signa laetitiae varia declarata, mercimonia aperta, ut et Turcae a nostris et nostri a Turcis varia coemerint. Instabant Turcae, ut nostri prius castra dissolverent, sed nullo modo id concessum a nostris. Itaque prius abeuntibus Turcis postea nostri discesserunt. Nunquam nostri tam facile ad pacem cum isto hoste descendissent, si copiam commeatus habuissent, ob cuius defectum plurima equorum millia perierant et plurimi etiam milites fame ac variis aliis morbis sublati. Iam Rex cum exercitu

Cur nostri ad pacem descenderint.

n primum Leopolim venerat, cum pax cum Turca inita esset. n parum detentus erat Varsaviae ob tardiorem adventum Electo- Brandeburgici, qui ratione Ducatus Prussiae ius feudi a Rege buit accipere, antequam iter hoc aggrederetur.

35. Inscriptio duarum domorum pro orphanellis cum duplici onere: 1um 2um

Datum est initium 11a huius mensis auxilio et spirituali et temporali virum orphanarum, pro quarum decenti habitatione inscripsit duas lapideas Gerosa Da Sophia Czeska, vidua Macieiovia, ad acta Casimiriensia, nam Consules Cracovienses eam inscriptionem suscipere noluerant. Quomodo autem res hic processerit et quam varias contradictiones habuerit, suo loco dicemus. Duo men in ista inscriptione erant onera: 1um ut integra sors Mfci Di Stanislai acieiowski, fratris Dae Czeska (nam ipsa Macieiovia est) in una harum lapiderum maneat, 2um ut mille floreni summae capitalis pro censu altaris Lauretani aede Bmae Virginis Parochiali in iisdem domibus maneant. Significat P. Petrus Kamocki in sua templi historia, iussisse R. P. Argentum Provincialem, ut nostris hoc negocium promoveretur, sed postea non tam successit, sicut optabamus.

Oratio 40 horarum in templo S. Petri.

Per 16am et 17am peracta 40 horarum supplicatio in templo novo SS. Petri et Pauli Apostolorum, cantante Sacrum R. D. Andrea Łukomski [1]) et vesperas R. D. Erasmo Kretkowski [2]). Audiit ibidem Sacrum et interfuit Conclusioni Cosmas de Torres, Nuncius Apostolicus. Tota nocte nostri, per horas distributi, orarunt clausis templi portis.

Auxilium miraculosum B. Stanislai in duobus.

Festum B. Stanislai Kostka 24a huius mensis more solito magna solennitate peractum. Eius occasione id, quod imploratione huius Sancti contigit, breviter hic annotandum. Quidam iuvenis Sebastianus pellio, dolio ex suprema domus parte casu delapso oppressus et exanimis factus, dum ultra horam ita iaceret et nec corporis agitatione nec aquae aspersione variorumque remediorum ori ingestione iuvari posset, Anna Valaska, virgo Joannis Valaski filia, B. Stanislao devota, accurrente et pro illo misero opem Beati praedicti implorante, repente ille adeo concussus ad se rediit et tanquam ex profundo somno evigilans, brevi praeter omnem spem, sanitati est restitutus. Una similiter per invidiam quandam maleficiis iacturam passa, ope eiusdem Beati, ad quam confugerat, et bonis suis restituta et a maleficio libera mansit.

36 Ingressus Episcopi Cracoviensis solennis. Pro pace inita cum Turca gratiarum actio.

Quia tempore belli Turcici cura civitatis Cracoviensis Martino Szyskowski, Episcopo Cracoviensi, demandata erat, ideo 27a huius ingressus est Cracoviam cum 400is peditibus, 100 hastatis, 100 Kosacis, cum vexillo nobilitatis Severiensis et cum magna sua aula. Quoniam autem concordiae cum Turca initae nuncius certus sub hoc tempus venerat, ideo praedictus Episcopus in gratiarum actionem solennem processionem ad 7 ecclesias in sequentem post suum ad-

[1]) S. Th. doctor, praelatus et canonicus cracoviensis.
[2]) S. Th. doctor et canonicus cracoviensis.

ventum diem, seu in 28^{am} huius mensis, indixit, cui etiam ipsemet interfuit simul cum Nuncio Apostolico Cosma de Torres.

Salutant Academici Episcopum.

Salutavit Universitas Cracoviensis Episcopum 29^{a} huius mensis, perorante Jacobo Naimano Rectore et vocante Episcopum angelum pacis angelumque defensionis ac ut sibi suisque faveret, more solito rogavit. Ad latinam orationem respondit Episcopus polonice, gratam salutationem ostendens et suam promptitudinem offerens. Deinde retulit Universitati se in comitiis carceres Lipovienses fuisse comminatum R. D. Golinio[1]), quod traduceret coram Nunciis Episcopum, quasi defensionem Universitati contra Jesuitas negaret, cum hac de re nunquam cogitasset. Imo ostendit se nunquam favisse Jesuitis, ut Universitati obessent, nec Jesuitas aliquid horum velle aut voluisse. Ut graviora studia suis praelegant Patres Societatis, dixit, se id prohibere non posse, scholas tamen publicas pro externis non aperturos ostendit, donec nobiscum conveniant.

Quae ex parte nostrorum cum iis agit.

P. Joannes Argenteus cum Rege de scholis S. Petri colloquitur.

Sub finem eiusdem mensis salutans Regem Leopoli P. Joannes Argentus ita eum est allocutus: »Postquam V^{a} S. R. Maiestas nobis attulit pacem, ego qui id expectabam cum negocio scholarum S. Petri, ibo Cracoviam, ut scholis theologicis dem initium«. Respondit Rex, fecisse Academicos protestationem et nostros reprotestationem. Pergendum erat in vestris conatibus sine reprotestatione, in qua aliqua sunt non necessaria et Academicos pungentia. Subiecit P. Argentus, in dicta reprotestatione nihil sibi videri, quod durum esset, sed tantum solutionem ad Academicorum instantiam in ea contineri; si tamen de mente S. R. Maiestatis aliquid nostri scivissent, libentissime a reprotestatione abstinuissent. Deinde insinuavit Rex se optare, ut Gabriel Comes a Tarnow finem faceret suae designationis de bonis Uscie pro Collegio S. Petri donandis, quia omnes sumus mortales. Addidit denique, etiamsi id optaret, timendam tamen nobis esse invidiam.

Eleaemosyna Octobris.

Octobris mense eleaemosyna erat in pecunia fere 420 florenorum. Nempe ex legato D^{i} Valentini Melkleri, civis Cracoviensis, fl. 100, quibus alios 100 executores testamenti ex iis, quae restabant, nobis attribuerunt. A D^{a} Gutteterowa ratione reparationis horti fl. 100. Ab Episcopo Praemisliensi, Joanne Wężyk fl. 50. A Palatino Cracoviensi fl. 28. A D^{o} Rabo Stanislao fl. 23. A R. D. Bobola fl. 10. A Mfco D^{o} Komorowski fl. 13. A quodam Parocho fl. 10. A Virginibus mendicantibus fl 14. A reliquis fl. 23. Res datae constiterunt fl. fere 23, ut bos a qua-

[1]) Basilius Golinius, canonicus cracov. et universitatis professor.

am Domina. Prandium in festo S. Simonis et Judae solenne datum et reliqua inutiora esculenta et poculenta ab aliis.

Dum exercitus, qui cum Rege Leopolim venerat, ob pacem cum Turca itam superiori mense dissolutus esset et unicuique domum redeundi copia ta, plurimi in Maiorem Poloniam redeuntes Cracoviam divertebant et nostros ad S. Barbaram invisebant. Inter hos erat Joannes Opaleński, Castellanus tunc lissiensis, qui prima Novembris veniens Cracoviam domi nostrae hospitium buit; id enim per nostros duos, qui cum eo in hanc expeditionem missi fuent, sese desiderare significaverat. 37. Hospitium in domo S. Barbarae habuit Castellanus Calissiensis.

Indictae 2ª huius mensis ab Episcopo Cracoviensi funebres exequiae, cum acris cantatis, pro militibus occisis in bello Turcico. Hae sicut in aliis templis, a et in nostro S. Barbarae peractae sunt. Funebres exequiae pro militibus in bello occisis.

Idem Episcopus promulgavit edictum de pulsu campanarum ad oratiom pro mortuis excitante circa primam horam noctis, 6ª istius mensis. Servatur initio hic pulsus in praecipuis templis ac etiam in nostro diligenter, sed ost breve tempus ad unum vel alterum templum res reducta. Fecimus huius i mentionem 9ª Augusti, quia tunc putabant quidam id coeptum. Pulsus ad orationem pro mortuis.

Novum iterum Jubilaeum pro Regni necessitatibus et felici successu belli ostra Turcas promulgatum est Cracoviae 7ª huius mensis, licet iam post pam cum Turcis initam acceptum Roma fuerit. Duravit per duas hebdomadas, ti et primum. Novum Iubilaeum.

Restituti 9ª istius mensis Spectabili Dº Paulo Celari, Proconsuli Cracoiensi, fl. 700, quos ab eo mutuos acceperamus initio Junii huius anni acceptaque ab eo debiti recognitio et lacerata. Collati in hoc debitum solvendum duenti illi floreni virginis Dorotheae Rosianka, quos deposuerat in Januario et quos, ut in eam rem impenderemus, ipsa permisit. Quia vero eius pecunia antiquae monetae erat, ideo ex florenis 200is evenerunt 370. Restituti 700 fl. Dº Celari.

Cosmas de Torres Nuncius Apostolicus domum nostram invisit 14ª huius mensis et sacellum Congregationis Assumptae, in quo de variis cum P. Friderico Szembek contulit. Nuncius Apostolicus nostros invisit.

R. P. Provincialis 17ª istius mensis venit Cracoviam et inter varias consultationes, quas faciebat, erat etiam illa de modis occurrendi variis oneribus, quae Synodus Dioecesana Religiosis mendicantibus ac simul etiam nobis imponebat, iis tamen acquiescendum erat plerisque, quae Concilium Tridentinum Episcopis in Religiosos concessit. Eadem die Sacrum lectum audivit in nostro S. Barbarae templo Nuncius Apostolicus. 38. Consultatio circa onera Religiosis imposita.

Erat consultatio 18ª Novembris apud R. P. Provincialem cum Provinciae Consultoribus et aliis nonnullis ad hoc negocium vocatis: an iam dandum esset scholarum initium in S. Petro nec ne. Duae erant sententiae. Una statim ponendam Residentiam cum Superiore, qui et Collegio suo tempore praeesset et modo rerum Collegii curam seriam susciperet. Theologiae vero lectiones ad finem Comitiorum differendas, ne occasio variorum discursuum in Comitiis contra nos Altera: an scholis S. Petri dandum initium, de qua duae sententiae: 1ª

2ª Academicis detur. Altera sententia censebat quamprimum dandum initium scholis et ponendum Superiorem. Respondit R. P. Provincialis, se sine scholis de constituenda Residentia non cogitare et in animo habere, ut quamprimum scholae aperiantur, conatibusque Academicorum posse Episcopum obviam ire.

De bonis Usciensibus difficultates.

Sub hoc etiam tempus litterae Roma ad P. Lancicium venerant ab Admodum R. P. Nro Generali, in quibus significabatur a multis reprobari bona per Comitem de Tarnow tali modo nobis tradenda. Ad R^nm etiam P. Provincialem idem P. Noster scripserat, ut valde considerate procederet in hoc negocio. Accesserat et illud, quod haec bona ingenti Vistulae inundatione penitus fere tunc temporis fuerunt destructa. Nihilominus diligenter revidebat R. P. Provincialis omnia, quae erant apud S. Petrum parata pro scholarum initio.

Contra Congregationem Studiosorum varia machinantur Academici.

Varia tentabant Academici in festo Praesentationis B^mae Virginis in sacello capituli PP. Dominicanorum ad impediendos nostros Congregationis Assumptae studiosos, ne proprium sacellum, quod apud S. Barbaram habent, frequentarent et ad sacellum PP. Dominicanorum se conferrent, sed irrito conatu. Imo etiam hac die Rectori Academiae, ex suggestu sermonem habenti, molestia exhibita non levis ob strepitum calceis ac pedibus per pueros factum. Grzybowski etiam in porta stabat non permittens Studiosos egredi, sed nec hoc illi successit.

39. Consultatio de Episcopo pro nova approbatione vocante. Duae sententiae hac de re: 1ª 2ª

Proposuerat R. P. Provincialis in consultatione 24ª huius mensis, quomodo procedendum cum Episcopo Cracoviensi omnes Religiosos ac simul et nos pro examine praevio ad novam pro confessionibus audiendis approbationem vocante. Erant duae nostrorum sententiae: 1ª ut rationes pro nostris privilegiis publice in consessu proximo, qui ad 27^am huius erat indictus, declararentur; 2ª ut ab Episcopo dilatio quo ad nostros ad hoc examen petatur, donec a R. P. Nro Generali resolutionem habeamus. Sed nihil horum est servatum, ut postea videbimus.

Vladislaus Princeps ingreditur Cracoviam. Eunt illi obviam varii.

Ingressus Cracoviam 27ª huius Vladislaus Princeps ex bello Turcico Varsaviam repetens et Cracoviam ac Czestochoviam, votorum solvendorum causa, divertens. Iverant illi obviam Nuncius Apostolicus Cosmas de Torres, Martinus Szyskowski Episcopus Cracoviensis, Georgius Dux Zbarascensis, Castellanus Cracoviensis, cum varia, quae tunc Cracoviae erat, nobilitate. Civitas etiam eo modo, quo Regem excipere solet, ad excipiendum Principem sese comparabat, sed Princeps per certos homines ad cives missos, ut ab hac re abstinerent omnino, effecit. Casimirienses tamen cum Stradomiensibus, putantes se hac prohibitione non obligatos, suum peditatum obviam Principi miserant.

40. In convivio, quo Episcopus Principem excepit, colloquium Ducis Zbarascensis contra S. Petrum cum Episcopo coram Principe.

Sequenti die, quae in Dominicam 1am Adventus inciderat, cum Principem Episcopus convivio exciperet et postea post mensam in cubiculo Episcopi simul colloquerentur stantes, Georgius Dux de Zbaras, qui aderat, ita coepit alloqui Episcopum: Bonum Episcopum habemus, si tantum nollet introducere scholas Jesuiticas. Certe D. Vra deberet ab hoc conatu abstinere, alias dolebit. Respondit Duci Episcopus: Non sit sollicita D. Vra. Ego scio, quid possim in mea iurisdictione et neminem timeo. Jesuitarum scholas quis impediet, quae nulli nocebunt? Subiungit Dux: Id esset contra privilegia Academiae. Jesuitae sunt astuti, initio dissimulabunt, postea vellent dominari et Universitatem tollere. Respondit Episcopus: Quod Jesuitae volunt, non erit contra privilegia Academiae. Interrupit Princeps: Hoc, inquit, est aliud, si non erit contra privilegia dicta. Sed scitne his de rebus S. Regia Maiestas? Respondit Episcopus: Non solum scit, sed et hoc ipsum Do Golinio et aliis Legatis Academicorum ad comitia Varsaviam missis dixit. Tacente Principe iterum Dux Zbarascensis ad Episcopum ita ait: Cessandum D. Vae ab hoc negocio, quia non habebit consolationem. Respondit Episcopus, habere Jesuitas in Senatu multos suos fautores et protectores. Addebant alii, comminatum tunc Ducem de futura sanguinis effusione et unum ex circumstantibus respondisse: Facile est mactare Jesuitas, at pro uno surgent decem etc. Et tunc alio sermonem omnes diverterunt.

Ex eo facile erat colligere, Principem a scholis S. Petri fuisse alienum.

Ex isto colloquio manifeste constabat Principem Vladislaum et pridem a Ladislawski, qui eum a pueritia instruebat ac pro Academicis contra nostros plurima instillabat, et tunc temporis partim a Stanislao Lubomierscio ac Georgio Duce Zbarascio, scholis nostris nobisque infensissimis, aliisque variis contra scholas Cracovienses pessime fuisse concitatum. Quod et ipse eventus ostendit. Nam statim, ut licuit, scholas nostras Cracovienses sustulit, ut suo loco manifestum erit.

P. Tyszkiewicz Superior primus apud S. Petrum.

Eadem die pomeridiano tempore, praesentibus multis Patribus, nominavit primum Superiorem futuri Collegii S. Petri R. P. Argentus Provincialis P. Georgium Tyszkiewicz.

Episcopus manifestat dicta coram Principe contra nostros et quae-

Vocavit mane Episcopus Cracoviensis P. Fridericum Szembek 29a huius mensis et manifestavit omnia, quae circa Collegium nostrum S. Petri essent dicta praesente Principe; monuit praeterea, ut R. P. Provinciali ista referrentur ac ut idem P. Provincialis Principem adeat, de toto Collegii futuri negocio informet, cum iam habeat

dam suadet. aures impletas sinistris relationibus. Quia vero PP. Dominicani i eum ad se invitaverant, suasit Episcopus, ut nos etiam eundem

Adit Principem R. templum nostrum invitemus. Cognitis his R. P. Provincialis cum
P. Provincialis; mus S. Barbarae Superiore Principem adiit ac salutavit dataque
cum eo casione nonnulla retulit de locis Societatis ac ministeriis in civit
colloquitur. Cracoviensi, nempe domo probationis, domo professa et de fut
domo, quae sit seminarium nostrorum sacerdotum, seu de Colle
Cumque Princeps dixisset, non posse esse Collegium, subiunxit P. P
vincialis, se cum sua Serenitate ea de re velle postea agere. Resp

Invitat ad templum S. Petri. dit se libentissime hac de re auditurum. Addidit deinde P. Prov
cialis duas nostros solennitates post aliquot dies habituros: S. Fr
cisci Xaverii et S. Barbarae in domo Professa, invitabatque eum
aliquam horum sive ad S. Barbaram sive ad S. Petrum. Eligit fest
S. Xaverii et templum S. Petri talibus verbis: Non ibo ad S. B
baram, quia vos Collegium habere velitis ibi, quod ego nolo n
praesentia approbare, sed ibo ad S. Petrum, ubi domus Profe
esse debet. Ita enim loquebatur ob antiquam designationem,
Rex primo coeperat pro domo Professa extruere templum apud
Petrum, quam tamen postea Rex ipse mutaverat.

41. Salutat Universitas Principem. Ultima Novembris salutavit Principem Universitas, gesta ac neficia maiorum eius commemorans seque sub eius protection tradens. Respondit iis nomine Principis R. D. Andreas Szołdrski,

Princeps apud PP. Dominicanos et in sacello S. Hyacinthi. tunc apud Principem Cancellarii munere fungebatur. Eadem die Princeps apud PP. Dominicanos ibique Sacro cantato et conci interfuit. Expectabant eum Academici in oratorio Rosarii, quod ad narant, sed Princeps audito Sacro et sacello S. Hyacinthi visit in quo aliquantulum oravit, recta ad arcem se contulit.

Nuncius Apostolicus refert R. P. Provinciali de iis, qui contradicebant scholis. Hac etiam die, circa occasum solis, Nuncius Apostolicus, cato ad se R. P. Provinciali dixit, se et ut Nuncium Apostolicum et Societatis amicum, velle quaedam ei referre, quae a magnis viris dicta essent, nempe futuras maximas contradictiones contra Co gium Cracoviense ac proinde etiam atque etiam videret rati officii sui, quid expediret in hoc negocio. Noluit nominare illos gnos viros, putabantur tamen esse vel Dux Georgius Zbarascen Castellanus Cracoviensis, cum Stanislao Lubomierscio, Capitaneo S domiriensi, vel ipse Vladislaus Princeps, quos valde probabile tunc cum Nuncio Apostolico egisse, ut nos ab inceptis deterre Actis gratiis Nuncio R. P. Provincialis respondit, se ita hoc ne

cium et tractare et tractaturum, ut nullus possit ostendere, se iustam offensionis causam habere.

In eleaemosyna pecuniaria hoc mense percepti flor. 498, nempe: A Virgine Dorothea Rosianka fl. 370. A D[a] Pipanowa fl. 34. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 25. A variis aliis 56. In rebus accepimus fl. 100. Nempe stannea et aerea vasa ex supellectili R[di] D[i] Taranowski mortui, quae constabant fl 60. Varia aromata a D[o] Eremus. Prandium unum a D[a] Rabowa pro S. Elizabetha et aliud a D[a] Gortacka pro festo S. Catharinae. Pisces a Capitaneo Cracoviensi Gabriele Comite a Tarnow et alia ab aliis minutiora. Eleaemosyna Novembris.

Adiit P. Georgius Tyszkiewicz cum P. Joanne Lesiowski Principem in arce eumque salutavit 1[a] Decembris et ut privata persona Societatis et ut is, cui cura commissa esset S. Petri. Grato animo acceptante Principe salutationem subiecerat P. Lesiowski, P[em] Tyszkiewicz futurum Rectorem Collegii S. Petri. Ad haec respondit Princeps id fieri non posse, quia esset contra privilegia Academiae. Sed ostendit P. Tyszkiewicz nunc Societatem nihil aliud conari, nisi id quod tot alii Religiosi ordines Cracoviae faciunt, qui suos docent. Quod si aliquando etiam alios externos doctura esset Societas, id nonnisi per unionem cum Academia futurum. Subiecit Princeps: si ita esset, non violarentur Academiae privilegia magisque id competit Societati, quae ex instituto docet, quam aliis Religiosis. Afferebant deinde varias rationes nostri, ob quas expedire ostendebant, ut Cracoviae Societas Collegium habeat. 42. Colloquium P[is] Georgii Tyszkiewicz cum Principe de scholis S. Petri.

Allata domum eadem die supellex sacelli sanctae memoriae Barbarae Langowna, ex qua, post duplicem R. P. Provincialis consultationem de hoc negocio factam, D[o] Joanni Wizenberg imaginum in aere pictarum medietas, cassula rubea, alba, mappae duae, humerale, subcorporale, tabolea sunt concessa; reliqua pro sacello domestico accepta et eorum inventarium scriptum. Ex supellectili sacelli Barbarae Langae concessa nonnulla D[o] Wizemberg.

In festo S. Xaverii apud S. Barbaram consueta solennitas peracta, cantante Summum Sacrum R. D. Erasmo Kretkowski, Canonico Cracoviensi et insignem concionem de laudibus huius Sancti habente R. D. Jacobo Ostrowski, Doctore Theologo et Canonico Cracoviensi. Festum S. Xaverii.

Princeps etiam Vladislaus in novo templo S. Petri cantato Sacro a R[mo] Thoma Oborski Suffraganeo interfuit eadem die. Habuit in medio Sacro concionem unus ex nostris P. Laurentius Surliga, Principi bene notus. Haec cum magis esset de Societate in communi, quam de S. Francisco, nam ostendebat instar securis serae virgae esse in manu Dei tam Societatem quam B. Xaverium, et cum ea occasione fecisset mentionem Societatis cum Academicis simul labo- Princeps eodem festo interest Sacro et concioni in S. Petro.

rantis ac Deo Ecclesiaeque eius servientis, attulissetque exempla aliarum Academiarum, cum quibus Societas optime conveniens sua munia obit: non gratum id fuisse Principi et illius adhaerentibus postea intellectum est.

43. De instituendo examine Religiosorum pro confessionibus.

Hac die Episcopus Cracoviensis in magno consessu, ex singulis Ordinibus Regularibus nonnullis advocatis, ad omnes peroravit plusquam per mediam horam, ostendens causas, quae eum adigebant ad instituendum examen Regularium, qui confessiones excipere debent et declarans, se non incitatum aliquo pravo affectu vel proprio vel cleri saecularis ad id, sed obligatione conscientiae et decretis Tridentini Concilii etc. His ita peractis, venit ad S. Petrum sub tempus concionis et audito Sacro in sacristia, sedit in loco sibi praeparato e regione Principis; finito cantato Sacro, egrediente Principe, occurrit Dux Zbarascius ei cum Capitaneo Sęndomiriensi D° Lubomierski et cum Episcopo superveniente ad currum deducebant, quo vectus est in domum Ducis Zbarascii ibique convivio exceptus cum Episcopo, Nuncio Apostolico et aliis. Redeuntem Principem, in occasu solis, ex domo Ducis in arcem, visitavit iterum R. P. Provincialis et per duas horas cum illo agit. Referebat enim Princeps totam seriem rei cum Turcis in Valachia gestae; videbatur enim optare, ut eam Regi narraret Varsaviae, quo sequenti die iturus erat. Valedicens post Principi, etiam Episcopo ad eum ex itinere divertens valedixit.

Excipitur Princeps convivio a Duce Zbarascio.

Iterum agit P. Provincialis cum Principe.

Evocatus litteris Regiis R. P. Provincialis discessit Varsaviam 3ª huius mensis. Visitavit 7 ecclesias Princeps.

Discessus Varsaviam P. Provincialis.

Festum S. Barbarae cum solita devotione et populi frequentia peractum. Sacrum Rorate a R. D° Serebiński cantatum et Summum a R^mo D° Suffraganeo. Eadem die examinati inter alios ab Episcopo 24 PP. Dominicani pro confessionibus. Examinatores erant ex Praelatis: R. D. Foxius Archidiaconus, R. D. Doctorius, R. D. Zaierski, R. D. Nucerinus, et ex Religiosis: R. P. Nicolaus Moscinensis Doctor Dominicanus, Custos Bernardinorum, Custos Franciscanorum, duo Augustiniani, P. Georgius Tyszkiewicz Societatis nostrae, qui saepius postea ad similia examina evocabantur.

Examinatores pro confessionibus audiendis.

Quinta huius mensis datum est initium stabilis commorationis nostrorum apud S. Petrum. Commigravit eo P. Georgius Tyszkiewicz, primus dicti loci Superior, cum P. Valentino Ruscovio, P. Baltasare Bieniaszewicz, P. Mathia Chobrzewicz, Luca Klein; sicque domus nostra pauciores habere coepit, omnes enim praedicti ex domo S. Barbarae commigrarunt.

Stabilem mansionem coeperunt nostri apud S. Petrum.

Martinum Branium ob levitates quasdam in Collegio Leopoliensi cum externis discipulis commissas, quas Societatem tolerare non conveniebat, R. P. Provincialis huc evocaverat, ac post consultationem ea de re factam dimitten-

Martini Branii dimissio.

iudicaverat et ut id exequeretur Superiori Domus S. Barbarae commenverat. Itaque 7a huius mensis dimissionis litterae illi datae et abiit.

In festo Conceptionis Bmae Virginis Princeps Vladislaus in Salo S. Hiacinthi ex manibus P. Fabiani, sui concionatoris, sanctissam Eucharistiam suscepit. Brevi post Cracovia discessit. 44. Princeps communicat in sacello S. Hiacinthi.

Constituerat Episcopus Cracoviensis in sua Reformatione Dioecesana tyimpressa (cuius author R. D. Zaierski, multo tempore eiusdem Episcopi litor, statuebatur), ut omnes sacerdotes et saeculares et religiosi, etiamsi iam i approbati et examinati essent, denuo in hac Dioecesi approbarentur et prius minarentur. Pollicitus non raro erat nostros hoc examen non subituros, a tamen alii omnes Religiosi huic eius constitutioni sese subiecerant, vel ipse vel nos in invidiam vocaremur, postulavit, ut saltem aliqui nostri examen subirent. Re in utramque partem domi agitata, visum est maparti huic postulationi satisfaciendum esse. Itaque undecima istius men- P. Joannes Zaluscius ex domo S. Barbarae, P. Matthias Chobrzewicz S. Petro, P. Blasius Płoszynius et P. Albertus Wroniawski, qui tunc in no probationis tertium annum expediebant, examen hoc subierunt, examinabusque egregie satisfecerunt ac postea, tam pro se quam pro aliis nostris, robationem acceperunt. Examini pro approbatione ad confessionem Nostri etiam sese subiiciunt.

Decimatertia et decimaquarta Decembris R. D. Andreas Łukomski 23 milis florenorum emit bona a D. Rimer Myszka pro Seminario futuro S. Petritim etiam ad coemendam domum sese accingebat et ad varia pro eodem inario ordinanda auxiliumque promissum ab Episcopo (qui eius hosce coius collaudaverat) habebat. Omnia tamen ista suum effectum non habebant scholas nostras ratione externorum dissipatas, ut suo loco manifestum erit. Bona pro Seminario R. D. Lukomski emit nullo successu.

R. D. Stanislaus Lazowski, Parochus villae Barcicae, ante tres menses rtuus, legaverat domui S. Barbarae fl. 70. Ii primum 18 die huius mensis bis sunt remissi iussu Mfci Di Kazanowski, Capitanei Kokenhausensis, qui lae praedictae tunc posessionem habebat. R. D. Stanislai Lazowski legatum.

Circa finem huius mensis ingens calamitas multos afflixit ob netam silesiticam proscriptam et aliam non suppeditatam. Durat hoc malum per multos menses subsequentes et maxima damna rimis intulit[1]).

Ordinationem de servandis in librorum editione vide fol. 607. n. 50 [2]).

Percepta eleaemosyna mensis Decembris in pecunia erat fl. 406, nempe uadam, quae sciri nolebat, fl. 100. A Da Zurkiewicowa fl. 100. Legati a Pa- 45. Eleaemosyna mensis Decembris.

[1]) cfr. Volumina legum III. f. 426. »O zawarciu Ziemie«. Causam huius proptionis praebuerunt mercatores germanici et silesiaci, qui viliorem monetam Poloniam apportantes, meliorem polonicam auferebant, cfr. Jeckel, Geschichte l Darstellung des Pohlnischen Handels. Wien und Triest 1809. Th. I. p. 175 198.

[2]) Ordinatio haec allata est sub finem huius anni.

rocho Barcicensi fl. 70. Ab alio Parocho fl. 50. A Dº Bobrownicki fl. 20. A Mathia aurifice fl. 18. A Dº Rab fl. 13. A Dº Philippo fl. 12. A R. Dº Bobola fl. 12. Quaedam pro piscibus fl. 12. A Mfca Dª Oświecimska fl. 10. A reliquis fl. 27 Res submissae constiterunt 158 fl. A Rmo Praeposito Miechoviensi metretae: siliginis 15, tritici 9, hordei 3, pisorum 2. A Dº Borek siliginis metretae 4, hordei 1ª, vas butyri, caseorum sexagena. A Dº Rubinkowski tritici metretae 4. A Dª Pipanowa pisorum coreti duo, vas butyri. A Dº Mazurkowicz varia aromata. A monasterio Tinecensi carpionum una sexagena. A variis butyri vasa tria et alia esculenta et poculenta minutiora.

Annua templi eleaemosyna.

Templo vero nostro per hunc annum in pecunia dati fl. 1903, et in sacris vestibus, ea quae sunt allata, aliisque ornamentis constiterunt florenis fere trecentis.

Ea quae ad certum tempus seu ad mensium dies huius anni referri non poterant, haec sunt. Ab haeresi ad Ecclesiam catholicam reducti 70. Inter hos insignes erant duo, 40 annis haeresim complexi, et tertius octogenarius Calvinista, qui postrema fere hora a Deo vocatus, gemebundus errorem agnovit ac reiecit. Quidam etiam miles, ultimo afficiendus supplicio, cum in ea perfidia, in qua natus et educatus fuit, se etiam moriturum obstinate asseveraret et nostrorum conspectum se ferre non posse affirmaret: tandem uno ex nostris suaviter sese ingerente et cum eo agente, ad haeresim abiiciendam adductus est et totius vitae exomologesi cum magna peccatorum detestatione instituta, sacroque viatico munitus totam extremam noctem in oratione consumpsit. Post ad locum supplicii deductus, pluribus ferventi sua oratione lachrymas elicuit et sociis haereticis, qui praesentes aderant, ad haeresim detestandam vitamque in melius commutandam igniculos subiecit. Adiungendi hic duo: Arrianus unus, Judaeus alter, nostrorum opera salutari baptismatis fonte abluti. Quinque vacillantes in fide confirmati, inter quos unus curru Domini Arriani, cui insidebat, everso occasionem sumpsit resiliendi ab illa perfidia, quam a Domino ediscebat, cuique iam fere consenserat.

Conversiones haereticorum variorum.

Vacillantes in fide confirmati.

46. Confessiones sacrilegae sublatae.

Confessiones totius anteactae vitae, ut de aliis nihil dicamus, auditae hoc anno 215. Erat unus 50 annorum, qui ob sacrilegas confessiones bufonem et canem nigrum, per somnum terrorem sibi inferentes, et Beatam Virginem sese defendentem (eius enim Rosarii pensum etiam dum in tantis periculis esset non omittebat) advertens, impio pudore abiecto, integrae totius vitae maculas in confessione aperuit. Alter maximis peccatis obnoxius, quoties templum intrabat, toties velo nigro sese contegi cernebat, unde postea taedia, blasphemae cogitationes, conscientiae angores sese ingerebant. His omnibus postquam ea crimina, quae tota vita commiserat, detexisset in confessione, liberatus est. Plurimae confessiones invalidae, ut debito modo repeterentur, effectum est.

A turpitudinibus abducti.

A concubinatu similibusque turpitudinibus 38 abducti. Unus ex his quoties Missae Sacrificio intererat, toties sacrosanctam Hostiam, dum elevaretur, cruentam cernebat, nec ea res desiit, nisi postquam confessione scelus eluisset. A prole necanda deterritae 11. Senae similiter tres ab impio daemonis seducentis officio abstractae. Matrimonia illicita inter 8 paria eo sunt deducta, ut essent licita.

Usurae

Contractus varii usurarii rescissi. Ab usura 10 avulsi. Restitutio mille

aureorum uni, ducentorum florenorum alteri persuasa. Non deerat qui, horrore usurae, cum ob multa millia quae dederat mutua aliqua nomine grati animi oblata fuissent, omnia reiecerit. rescissae.

Maleficia, opera nostrorum, repudiarunt sex; inter hos erat vetula 30 annorum iis dedita. Post concionem contra varias superstitiones institutam, plurimi easdem magno cum horrore abiecerunt. Ingentes morbos una per maleficia passa, aqua lustrali et herbis benedictis nostrorum suasu adhibitis, convaluit. Energumena post Romanam, Lauretanam, aliorumque locorum peregrinationem frustra susceptam, facta totius vitae confessione coram uno ex nostris, liberata est. A violentis manibus, quas sibi nonnulli inferre decreverant, absterriti. Inter hos una, dum sibi laqueum iniicit et canem nigrum adlatrantem advertit, nomen Jesu et Mariae inclamat, sic cane evanescente ipsa sibi reddita, tantum scelus poenitentiae Sacramento eluit. Altera per lites, quas varii intendebant, omnia absumpserat et per summam desperationem a mago auxilium petiit. Nec mora sistit eam magus daemoni terribili in sede constituto, cui illa sese devovens proprio sanguine scriptam schedam porrigebat. Verum cum daemon schedam reiecisset, eo quod in ea abiuratio B^mae^ Virginis non contineretur, obstupefacta illa tali repulsa ad se rediit et crimen confessa impium propositum exhorruit. Virgo quaedam integerrima iamque annorum quinquaginta ob falsam facti suspicionem in publicum carcerem detrusa fuit, in eoque per septem hebdomadas mansit nec potuit habere aliquem, qui id nostro, cui confitebatur, diceret; contigeratque incuria eorum, ad quos spectabat, ut tribus diebus sine cibo ac potu ibidem maneret. Inquisitiones variae de illa fiebant interim, sed nihil evidens deprehendebatur. Illa vero tota erat in meditatione Passionis Christi (sub tempus enim Quadragesimae haec res contigerat), qui etiam illi aliquoties in illa specie, qua monstrabatur a Pilato illis verbis: »ecce homo«, videndum se praebuit, liberationem pollicitus est et ut adhuc sustineret cohortatus. Imo et B. Virginem in somnis ita apparentem vidit, quasi Patres Societatis pro se ex carcere educenda supplicarent iisque id promittentem, audiente Filio. Rem comprobavit eventus. Dum enim ultimo ad Judices ducitur, alia, quae vere furtum illud commiserat, deprehensa est statimque Iudices, ingemiscentes, quod tam multa innocenter fuerit passa, liberam dimiserunt. Dimissa statim ad templum nostrum venit, Sacramenta Poenitentiae Eucharistiaeque usurpans, Deo gratias agit et omnia supradicta ex ordine refert. Unus ex civibus Sodalitatis B^mae^ Virginis, quae penes nostrum templum suum habet sacellum, ob aes alienum in carcerem coniectus, a sodalibus contributa sufficienti pecunia, liberatus est. Peste in locis aliquot infectorum Cracoviae caute nostri confessiones exceperunt et modum tutum SS^mae^ Eucharistiae illis porrigendi ordinariis ostenderunt, vehementer id et admirantibus et probantibus Consulibus civitatis.

Maleficia reiecta.

A nece sibi inferenda absterriti.

47. Quae daemoni se devovere volebat conversa.

Virgo innocenter incarcerata, a Christo et B. Virgine consolationem accipit et liberatur ac Deo gratias agit.

Sodalitas B^mae^ Virginis unum ex carcere liberat.

Matrona quaedam intensissimo dolore pedis (qui totus nigrescebat ignemque sacrum praeseferre videbatur) ita afflicta, ut vix sui compos esset, cum voto facto ad B. Patrem Ignatium confugisset et ab eo, si non integram sanitatem, saltem doloris levamen petiisset, placido somno corripitur, ex quo evigilans et omnem dolorem abscesisse et pedem ita sanitati restitutum esse advertit, ut nullum pristinae deformitatis signum appareret. Statim ergo ad templum nostrum

48. In peste caute auditi infecti et Eucharistia data. Auxilio S. P^is^ Ignatii a doloribus et a morbis liberantur.

venit auditoque ad altare S^{i} P^{is} Sacro, votum appendendum curavit. Erant etiam alii duo, qui eiusdem S. Patris imploratione gravissimo morbo sunt liberati. Imo imagine eiusdem una in partu gravissime laborans adiuta, sicut et simili imagine una domus spectris infesta quieti reddita.

Pia exercitia huius anni varia.

Exercitia pietatis varia, occasione duplicis Jubilaei, inductarum more Romano stationum et frequentiam supplicationum 40 horarum aliarumque ad impetrandum Divinum auxilium contra Turcarum tyrannum indictarum in tota quidem Cracoviensi civitate, sed praecipua ratione inter Sodalitates B^{mae} Virginis et Misericordiae, quae nostrorum directioni sunt subiecta, hoc anno vigebant. Et quicunque stupendam a Turcis ac Tartaris liberationem hoc anno factam Regni huius penitius introspiciebant, tantis orationibus Deum placatum annuisse passim fatebantur.

49.

Missiones ad monasteria et ad alia loca.

Octo missiones ad varia loca instituta magno fructu. In una parochia 1200 confessiones exceptae. In duobus monasteriis Virginum 40 Moniales S. Patris meditationibus excultae exhortationibusque de statu religioso habitis ad diligentem instituti observationem incitatae. Nec daemonum terriculamenta, quae in uno monasterio tunc fieri coeperant, dum nostri confessiones Monialium excipiebant, obfuerunt. Cuiusdam monasterii praepositus, cum nostros pro Iubilaeo evocasset, primus coram nostro confessionem faciens reliquos Religiosos suos, a nobis antea nonnihil alienos, exemplo suo ita permovit, ut et ipsi nemine excepto nostris confiterentur. Spiritualibus exercitiis domi nostrae Religiosi variorum ordinum quinque vacabant. Coniugum sex, aliorum autem 7 paria, nostris laborantibus, in concordiam redierunt. Tres etiam nostri hostes reconciliati, ex quibus unus dum nostros se officiose salutantes iracunde expedivisset et pergens ad suum cubiculum non sine gravi concussione ex gradibus corruisset, iudicans ob nostros inhumaniter expeditos id sibi contigisse, postquam convaluisset, ad nostros venit, veniam petiit et Sacramento poenitentiae se purgavit.

Reconciliationes variorum, etiam nostrorum hostium.

Calix cum patena nobis sublatus restituitur.

Calicem argenteum cum patena, Congregationi civium a nobis mutuo datum, unus ex civibus iisdem sustulerat. Et dum eum in campis conflare vellet nec posset (artis huius ignarus), in terram occultat. Casu a quodam pio agricola inventus et cuidam saeculari Sacerdoti traditus, a quo tandem nobis est redditus. Massam ex patena cum pixide congregatis Judaeis vendiderat, quod ubi cognitum erat, Judaei et restaurare et restituere debuerunt.

50.

Quae nostris servandum in libris edenis: 1um, 2um, 3um, 4um, 5um, 6um, 7um,

Prodiit ultima Decembris huius anni Ordinatio Admodum R. P. Nri Generalis (quam suo loco reponere per inadvertentiam intermisimus) de iis, quae in libris edendis nostri servare debeant, quae sunt 9. 1um ut Censores suo munere bene fungantur. 2um ut bonum commune privatae consolationi omnes praeferentes patienter ferant, si non tantum de parte, sed etiam de toto opere, ne edatur iudicium fiat. 3um ut et praefationes et dedicatoriae epistolae a Censoribus revideantur, nec in iis sint notae assentationis. 4um ut doctrina, quae vere magis sit communis, retineatur et extortae interpretationes callidaque subterfugia abiiciantur. 5um ut etiam labor de operibus, ex una lingua in aliam transferendis, inconsulto Generali non suscipiatur. 6um ut typographi novas editiones nostrorum operum nobis inconsultis non moliantur. 7um ut iuniores et ii, qui

ıdum aetatis maturitatem habent, ab hoc labore reiiciantur. 8um ut ii libri 8um,
ı scribantur, qui nihil novi continent, sed tantum collecta ex aliis et lucu-
ter ab iis tractata. 9um ut libri non edantur alieno nomine vel suppresso 9um.
prio, sine Superiorum permissu etc. Haec Ordinatio ad omnes Provincias
sa 31a Decembris Anno 1621.

Annus Domini 1622.

tio Vitellesco Societatis Jesu Praeposito Generali, Joanne Argento eo in Austriam discedente Georgio Tyszkiewicz per Regnum Poiae Praeposito Provinciali, Joanne Wielewicki Domus S. Barbarae Praeposito.

Aluit hoc anno Domus Professa Cracoviensis ex nostris 28: Sacerdotes 1. Numerus nostrorum.
irum 16, Scholasticos duos, Coadiutores decem.

Festum Circumcisionis Domini consueta solennitate peractum. Excepti Festum Circumcisionis.
ndio hospites domestico R. D. Bobola, qui Sacrum cecinit, R. D. Archipre-
ter[1]), D. V. Capitaneus, Proconsules 7 et alii cives 5.

Renovatio Votorum in festo Epiphaniae in sacello domestico expedita, Votorum Renovatio.
ım antecesserunt ea, quae antecedere solent.

Venerat Cracoviam Rmus Pr Jacobus Bonacaniensis, Generalis PP. Fran- Generalis PP. Franciscanorum salutatur.
canorum, vir piissimus et doctissimus ac nostri ordinis amantissimus, qui
ım multa in suo ordine per hoc Regnum praeclare instituit. Adiit eum do-
s Praepositus cum P. Simone Wysocki et P. Georgius Tyszkiewicz cum P.
thia Chobrzewicz 7a huius mensis et salutarunt. Omni ab eo humanitate
nus excepti et brevi post ab eodem domi nostrae humanissime sumus visitati.

Dna Catharina Zurkiewicowa emptum hortum mille florenis, nostro horto Da Zurkiewicowa hortum nobis inscribit.
ıtiguum, octava istius mensis domui S. Barbarae inscripsit, sibi advitalitate
ieta. Et quidem inscriptionem ad acta Casimiriensia, suadentibus nostris ami-
fecit, ut eam postea ad acta consularia Cracoviensia possit transferre.

Quia Gabriel Comes a Tarnow, Capitaneus Cracoviensis, per P. Stanislaum 2. Quod bona Usciensia potius sint acceptanda quam pecunia pro illis rationes nostrorum 1a
echffa manifestaverat, se venditis bonis Usciensibus nobis pecuniam nume-
ırum, sed non nisi octodecim millia pro illis bonis offerri: ideo 12a huius
nsis P. Joannes Wielewicki Praepositus, P. Georgius Tyszkiewicz Rector S.
ri, P. Sigismundus Obricius et P. Fridericus Szembek invicem consultarunt,
d magis expediret, an 18 millia an potius ipsa bona, antequam vendantur,
ipienda essent pro Collegio S. Petri. Et post varia ex utraque parte allata
clusum est, ut potius bona ipsa acciperentur ob has causas: 1a Quia invi-
ad quam declinandam pecuniam tantum accipere volebamus, iam tota ces-
at, Comite ob bona emenda Opatoviensia ampla a Fratre natu maiore, Pala-
Parnaviensi[2]), omnia bona Cracoviae viciniora divendere studente, ad sum-

[1]) Christophorus Trzcinski.
[2]) Joachim comes a Tarnow.

2ª mam 120 millium congregandam, et etiam bona Usciensia. 2ª Quia nos actu pro Collegio S. Petri bona, quae emeremus, inquirebamus, tum pro summa praedicta, si data fuisset, tum pro alia illi adiuncta, quae a quodam offerebatur ad censum et sic ratio invidiae suspiciorumque cessabat de bonis praedictis nobis
3ª donatis. 3ª Quia summa 18 millium, quae pro Uscie offerebatur, alia bona aequivalentia bonis Usciensibus emi non poterant. Nam licet Uscie vastatum aquis tunc fuisset, ratione tamen fundi et multorum aliorum multa insignia habebat.
4ª 4ª Quia incertum penitus erat, an aliqua bona secundum gustum nostrum invenire potuissemus et si non fuissent inventa, tot incertae aleae, tot dilationes scholarum aperiendarum, tot impedimenta nova subeunda essent. Itaque iussus est adire Comitem P. Szembek et iudicium eius exquirere, an vel pecunia vel

Idem sentiebat comes a Tarnow.

bona accipienda essent. Respondit statim Comes, se semper in ea sententia fuisse, ut bona Usciensia Societas acciperet, non summam. Quia vero nostri ob vitandam invidiam apud se urserant, ut potius pecuniam acciperent, ideo eorum
1° voluntati se accommodare voluisse. Iam quia bona potius volunt, libenter se redire ad primas suas cogitationes et omnino suadere, ut bona statim accipiant,
2° tum quia nullus iam locus invidiae sit, cum eadem bona variis venalia exposuerit, tum quia si iam venderentur bona Usciensia 18 millibus, grave damnum sequeretur, cum illa bona minimum 22 millibus constarent et si non iam, saltem postea carius vendi possent, tum quia difficultatibus, quae circa eadem bona
3° iam sunt, nullo negocio iam occurri possit. Nam et coniugi dos in illis bonis inscripta, in alia bona statim transferri potest et defensio a militibus tunc grassantibus facile fiet, si non statim vulgando, illa bona nostra esse, ad certum tempus ea sub sua protectione haberet. Ad modum inscriptionis quantum attineret, ostendit se Comes paratissimum ad eum, quem nostri consultis peritis delegissent

3. Conclusum de iis acceptandis.

Post meridiem eiusdem diei dum P. Tyszkiewicz ea retulisset, quae P. Szembek apud Comitem effecerit, coram iisdem Patribus, qui mane ea de re consultabant, quibus tunc adiuncti erant P. Andreas Wąchocius Rector Domus Probationis et P. Stanislaus Brzechffa, licet P. Brzechffa vehementer urgeret, ut summa pecuniaria potius acciperetur quam bona, omnibus idem quod antea visum est et ostensum, non fuisse causas Pis Brzechffae sufficientes ad mutandam primam sententiam. Iterum ergo missus P. Szembek ad Comitem, ut eum certum redderet de ultima Patrum resolutione et negocium penitus perficeret. Adit P. Szembek Comitem 13ª istius mensis, praedictam resolutionem refert, pro anto beneficio, quod Societati praestat, omnem gratitudinem pollicetur et simul petit, ut diem assignet inscriptioni horum bonorum faciendae. Gratissime omnia accepit Comes et diem inscriptioni sequentem assignat, sed ad 15ªm, ut postea videbimus, deferri debuit. Adiunxit etiam Comes, se statim impedimenta, quae erant in illis bonis et onera alio translaturum, ut mille florenorum Patribus Dominicanis censum, non scripto sed ore concessum, coniugi dotem inscriptam. Voluit praeterea statim in scriptis dare mandatum illi famulo, qui bona praedicta administrabat, ut nostris statim intromissionem permitteret, sed id postremum ad aliquot hebdomadas ut differetur, iudicatum fuit, ne postquam innotuisset, bona illa militum depredationibus exponerentur.

Idque refertur Comiti, qui libenter id audivit et onera ex bonis Usciensibus se sublaturum statim pollicetur.

Intromissio ut parum differatur, visum.

Eadem 13ª huius mensis quia Dª Gutteterowa querebatur, se censum integrum iniuste dedisse, cum tanta damna per Vistulae eluviem in horto passa fuisset; ideo ex nostra parte duos Consulares D. Abrahamum Ronenbergum et Dⁿ Słowikowski arbitros et compromissarios delegimus, illa vero ex sua parte suos duos filios misit. Omnes dum convenissent et aliquot horis negocium hoc in utramque partem agitassent, concluserunt, non tantum damnum subiisse Gutteterowam, ut a praedicto pro horto reparando censu, vel toto vel saltem eius parte, libera esse debeat. De censu Dae Gutteterowae compromissarii decernuntur.

Postquam de modo faciendae inscriptionis bonorum Usciensium plurima P. Szembek et cum Generoso Dº Jarzina Notario et cum Dº Radziechowski ac Dº Wąziński celebribus practicis diligenter contulisset, tandem inscriptio de media parte per modum venditionis facta, licet totum donatum fuisset. Talem enim modum valde securum tunc temporis iudicaverant practici et descripta ad Comitem per P. Georgium Tyszkiewicz et P. Szembek allata fuit 15ª istius mensis. Legit eam Comes et nonnullis deletis sine ullo nostro praeiudicio, iterum descripta cum quitatione totali de summa 22 millium florenorum, cum donatione medietatis eorundem bonorum, cum evictione sufficienti et cautione de sistenda coniuge ad liberanda bona inscriptione dotali, manu propria subscripsit, gratulando nobis felicem acquisitionem et possessionem bonorum et offerendo sese ad tradendam statim possessionem. Gratias maximas nostri egerunt Comiti; de adeunda possessione, ob milites discurrentes et varia spoliantes se postea manifestaturos dixerunt et egressi ab eo, ad templum Cathedrale descendentes, pro negocio feliciter transacto Deum adorarunt ac omnia in eius honorem obtulerunt. Inscriptio de bonis. Usciensibus facta. Facta sufficienter et subscripta.

Restituti Dº Samueli Cyro fl. 300, 17ª huius mensis, quos pro debitis solvendis mutuos acceperamus et recognitio nostra recepta ac lacerata. 4. Solutum debitum Dº Cyro.

Hoc mense domus Probationis Superior P. Andreas Vąchocius, venditis bonis Jarczycze et Kompiołki et postea Parszewka ac Przeczsławka, fecit contractum cum Dº Jasiński de Markocice, non valde bono consilio, ut postea tot tricae secutae comprobabunt. Contractus de Markowice.

Eodem etiam mense excitata contra nos militum exacerbatio. Sparsum enim erat, quod P. Valentinus Fabricius in concione coram Rege ostenderit, milites bastatos in expeditione Chocimensi contra Turcam nihil tempore belli fecerint, sed omnia per Kosacos et per Germanos peracta essent; quod falsissimum erat ita tamen creditum, ut necessum fuerit P. Valentinum concionem illam in lucem edere brevi post, nempe 15ª Aprilis, qua primum obstructum erat os loquentium iniqua. Contra Regium Concionatorem nostrum falso traductum milites concitati.

Eleaemosyna pecuniaria mensis Januarii erat fl. 657, nempe ab Episcopo Cracoviensi fl. 125. A Dº Wisenberg fl. 200. A quodam Sacerdote floreni 100. A Dª Apollonia fl. 50. A P. Brodowski fl. 30. A Virginibus mendicantibus flor. 14. A quodam fl. 24. Quidam mortua coniuge fl. 20. A Dº Borek fl. 10. A R. D. Nucerino [1]) alii 10. A R. D. Sacristiano Bmae Virginis [2]) fl. 15. A quadam fl. 10. Ab aliis variis fl. 49. Res submissae constiterunt fl. 68, nempe: tunna piscium Eleaemosyna Januarii.

[1]) Canonicus cracoviensis. [2]) Simon Gierlakowski.

salitorum a D° Seidel; siliginis metretae 5 et hordei aliae 5 et sexagena caseorum a Mfco D° Capitaneo Cracoviensi. Ab aliis variis alia minutiora.

Litterae R. P. Provincialis, quibus ob initium et unionem nostrarum scholarum ut eant ad Episcopum, quatuor nostros deputat.

Acceperunt nostri Cracoviae 1ª Februarii litteras a R. P. Joanne Argento Provinciali Varsavia, quibus manifestabat Serenissimi eam esse voluntatem, ut nostri Cracoviae, unione cum Academicis facta, scholis darent initium. Miserat praeterea litteras Serenissimi ad Episcopum in hoc negocio et modum unionis ac praeterea rationes Academicorum priores ac posteriores, quibus S. R. Maiestati exhibitis conabantur ostendere, cum scholis nostris ruinam Academiae imminere et quas fuse in Februario Anni 1619 a n. 5 ad 22 attulimus ac reiecimus seu a folio 537 ad 546. Addidimus ibidem modos unionis nostrarum scholarum cum Academia, quibus omnes timores eorum tollebantur. Denique idem P. Provincialis quatuor deputarat Patres, qui hoc negocium cum Episcopo tractarent et cum Regiis litteris ad eum excurrerent et statuerent, quod optimum videretur. Deputati autem erant P. Georgius Tyszkiewicz Superior Residentiae S. Petri, P. Sigismundus Obricius, P. Nicolaus Lancicius, P. Fridericus Szembek et iis addendum, si Cracoviae hae consultationes esse deberent, P. Joannem Wielewicki domus Praepositum idem P. Provincialis indicaverat. Ipso ergo festo Purificationis B^mae^ Virginis, tempore pomeridiano (nam pridie huius festi, ob concursum hominum ad confessiones, nihil fieri poterat) advocatis Patribus designatis in domo S. Barbarae excepto P. Lancicio, qui tunc Calissium iverat et brevi rediturus expectabatur, praesente domus Superiore, P. Georgius Tyszkiewicz legit litteras R. P. Provincialis. His lectis duabus de rebus consultatum: 1um an viderentur sufficientes modi unionis assignati a R. P. Provinciali. Nam ob clausulam illam non positam, quae obligaret nostros studiosos ad audiendam aliquam lectionem in universate, ostendebat fuse P. Fridericus Szembek nullam possibilem unionem. Et cum varia in utramque partem fuissent dicta et res maioris considerationis esse videretur, ad 4^am^ Februarii reiecta. 2um erat, quam cito eundum esset in hoc negocio ad Episcopum. Et omnibus visum non eundum, nisi finitis diebus carnisprivii, quia et Episcopus tempore Bachanalium, quae instabant (nam feria 4ª ante Quinquagesimam haec consultatio fiebat) plurimos hospites erat habiturus et P. Lancicii adventus intra aliquot dies sperabatur, cui una cum aliis ad Episcopum erat eundum. Significaverat nihilominus P. Fridericus Szembek statim Episcopo Cracoviensi de istis quatuor Pa-

5. Consultatum et de iis quae scripserat P. Provincialis et de tempore itineris ad Episcopum.

os deputatis iussu R. P. Provincialis ad initium Quadragesimae illum venturis in negocio nostrarum scholarum et aperiendarum cum Academia uniendarum. Responderat Episcopus, se libenter idem excepturum PP. Deputatos, cupere nihilominus, ut tunc temis ad se venirent, quando sese cum Duce de Zbaras Christophoqui in Turciam Legatus ibat et quem brevi apud se expectabat, edierit. Hae litterae Episcopi non invenerant nostros domi, quia biduo ante discesserant.

Jacobus Bonacaniensis PP. Franciscanorum Generalis, vir pietatis et doctae maximae, qui circa initium superioris mensis Cracoviam venerat, humaime domum nostram invisit 4ª huius mensis. Sacrum in templo nostro haet cum quatuor aliis sui ordinis domi nostrae in communi triclinio cibum apsit, omnesque nostros singulari sua modestia recreavit. Jacobus Bonacaniensis Generalis PP. Franciscanorum nos invisit.

Triduana oratio, Dominica Quinquagesimae, quae in sextam huius menincidebat, coepta, continuata et ad finem deducta, magna populi frequentia devotione. Cantatum Sacrum primo die a R^mo D^o Suffraganeo, qui etiam mo die orationem conclusit, secundo die a R. D. Nucerino, tertio a R. D. hipresbytero. Concionatus feria 2ª in Summo Sacro R. P. Sigismundus Carlita mitigatus, Theologiae Doctor, quo etiam die cum socio et cum R. D. cerino prandium nobiscum sumpsit. Triduana oratio tempore Bachanalium.

6.

Variis agitatis nostri intra se circa unionem nostrarum schoum cum Academia quarta istius mensis, postea contulerunt sese elcos ad Episcopum P. Georgius Tyszkiewicz, P. Sigismundus Obris, P. Fridericus Szembek (nam P. Lancicius Calissio non redierat) ia quinta (sic) cinerum, seu 10ª huius mensis die, et 12ª eo mane verunt, Episcopum salutarunt, litteras Regias et P. Provincialis ei derunt causamque exposuerunt, cur secundum priora consilia scho pro solis nostris non aperuerint, quia videlicet etiam has Acamici impedire conabantur, et cur iam ad eum venissent. Humanie excepti sunt ab Episcopo totumque negocium in tempus pomeianum reiectum. Finito igitur prandio, deducti nostri sunt ab Epipo ad separatum cubiculum ibique lectis rationibus Academicom, a Rege missis, lectis Regiis litteris ac R. P. Provincialis, dixit optima fundamenta huius negocii ante biennium fecisse, dum Dorem Janidlo convicisset, sine ullo Academiae detrimento scholas cietatis esse posse Cracoviae, si discipuli eiusdem Societatis ad audas lectiones in Academia obligarentur. Et quidem de rationibus ademicorum sermonem instituens ostendit, eas continere multa mmata et multa falsa. In nostro modo unionis approbavit multa.

6. Nostri Kielcos ad Episcopum veniunt.

Causam adventus aperiunt.

De negocio nostrorum scholarum cum eo conferunt.

Proponit nostris 5 discutienda: 1um, 2um, 3um, 4um, 5um

Denique quinque proposuit, quae nostri Patres ad vesperam usque expenderent: 1um an, ut per Regem Academicorum rationes habueramus, ita vicissim per Regem noster modus unionis Academicis esset dandus; 2um an vocandi Academici, an illis per litteras voluntas Regia intimanda; 3um si noluerint obedire quid agendum? 4um curandum, ut saltem permittant homines Societatis pro suis scholas habere. 5um an tandem ad Pontificem Romam negocium sit dirigendum.

Respondent nostri Ad 1um Ad 2um

Ad 1um nostri postea responderunt: nullo modo per Regem agendum, cum Rex ad Episcopum ut Academiae defensorem negocium remiserit, visis rationibus utriusque partis. Ad 2um visum est nostris scripto potius cum Academicis agendum ita, ut illis voluntas Regia et modus noster unionis innotescat et ut quatuor ex suis deputent ad hoc negocium transigendum.

Ad 3um

Ad 3um si noluerint morem gerere, petierunt nostri, ut Episcopus decretum ferat declaratorium, in quo significet, se voluntate Regia expendisse partis utriusque rationes et invenisse scholas Societatis, modo ut proponebatur apertas, non obfuturas Universitati.

Ad 4 et 5um

Ad 4um et 5um responderunt nostri, se non fore contentos, ut saltem nostris legamus, deinde se apud Pontificem ea quae iusta sunt obtenturos, si ad eum Academici recurrerint.

7. Pollicetur Episcopus nostris, se omnia facturum,

Relata haec Episcopo eadem die hora noctis fere tertia per P. Fridericum Szembek, qui cum eo per duas horas egit. Sequenti igitur die, quae erat Dominica 1a Quadragesimae, dum Sacris expeditis nostri iterum ad Episcopum venissent, dixit illis, se optime illa percepisse nostrorum responsa, quae P. Szembek retulit et ea omnia se facturum, quae nostri desiderant, sed clausulam in modo unionis necessariam esse de audiendarum lectionum obligatione in Academia.

censet tamen adhuc negocium aliquantulum differendum

Censuit tamen interim negocium ob bonum Societatis nonnihil differendum ob milites Confoederatos, qui ex bello Turcico redeuntes et nondum omnia stipendia soluta habentes (licet brevi post iis advecta fuissent) quadruplo maiora stipendia exigebant et res novas moliri, quandam reformationem Regis, Reipublicae ac Senatorum auspicari, bona Regia et Ecclesiastica horrendum in modum spoliare coeperant.

ob ducem Zbarascium et ob milites Confoederatos.

Dixit ergo Episcopus se vereri, ne Dux Zbarascius Georgius, Castellanus Cracoviensis, contra Societatem in gratiam Academicorum praedictos milites concitet. Addidit Episcopus, se ex ore Ducis Zbarascii blasphemias contra S. P. Ignatium audivisse, asserentis quod Bastardus fuerit et pollicentis brevi fore tempus, quo Jesuitis in Polonia capita praecidantur. His ita transactis, nostri Episcopo

valedixerunt, Kielcis discesserunt et Cracoviam 15ª huius mensis rediérunt.

Depositum Episcopo Sirmiensi redditur.

Miserat famulum suum Joannem Kotula Cracoviam Ladislaus Episcopus Sirmiensis ad repetendum depositum, anno 1620, 17ª Novembris apud nos relictum, in vestibus et reliqua supellectili. Omnia fideliter illi sunt reddita 16ª istius mensis, recognitioque praedicti famuli de acceptis omnibus nobis relicta.

Eleaemosyna Februarii.

Mense Februario in pecunia eleaemosyna nobis data fl. 260. A R^mo Cuiaviensi Episcopo[1]) fl. 100. A Mfco Dº Thesaurario[2]) fl. 30. A Palatino Cracoviensi[3]) fl. 25. A Dno Mociążek fl. 20. A R. Dno Chrząstowski fl. 15. Ab aliis variis 40. Res submissae aestimatae sunt fl. 115, nempe: A D. Capitaneo Cracoviensi[4]) piscium sexagenae sex. A Dº Seidel tunna piscium salitorum. Ab uno vas halecum. A Dº Gabriele Szembek tritici metretae septem et aliae 8 a quodam nobili. A Dº Gniewek 7 metretae siliginis. A Dª Plazina pisorum coreti duo. A Dª Dobroszewska alii duo. A Dº Klausnic media tunna piscium. Mel a Dº Wiszemberg. Siligo a Dº Celari et ab aliis alia minutiora.

8.
Ne Confoederatis militibus, in tali statu manentibus, absolutio dari possit, Praelati statuunt.

Quia milites Confoederati, qui superiori mense coniurationem Leopoli instituerant, omnia rapinis implebant, ideo 4ª Martii praecipui Patres ex singulis domibus, quas Cracoviae habemus, convenerant ad aedem S. Barbarae et mutuo conferebant de modo, quo procedendum esset cum militibus praedictis in confessione, si forte ad eam accederent, ut videlicet uniformiter nostri in hoc negocio sese gererent. Sed quia omnis nostra cura hac in re parum valuisset, si vel Praelati vel alii Religiosi diversum modum secuti fuissent, ideo nostris suggerentibus et diligenter procurantibus, praedicti Praelati effecerunt, ut omnes Cracoviae sacerdotes, sive religiosi sive saeculares, in neganda absolutione, si ad confessionem venirent, uniformes essent, quamdiu in tali statu manerent praedicti milites et iniuste rapta non restituerent. Morem gesserunt Praelatis omnes confessarii Cracovienses optimo successu.

Canonizatio S. Patris Ignatii et S. Francisci Xaverii, cum aliis tribus.

Laetissima toti Nostrae Societati 12ª Martii dies huius anni fuit ob canonizationem SS. Beatorum, inter quos duo nostri erant: nempe B. Isidori, B. P^is Nostri Ignatii Societatis Fundatoris, B. Francisci Xaverii, B. Philippi Nerei et B. Teresae, hac die Romae peractam per Gregorium XV Pontificem Maximum. Maximae etiam indulgentiae tunc concessae sunt crucibus, numismatibus, imaginibus, rosariis horum Sanctorum, imo et pro ipsis festis S. Patris et S. Francisci plenaria indulgentia perpetua concessa post erat. Huius optatissimae tantorum Sanctorum apotheosis, ob itinera tunc a variis militibus Austriam Moraviam et Bohemiam vastantibus infesta, nuncius nonnisi 19ª Aprilis sequentis

[1]) Paulus Wołucki.
[2]) Danielowicz.
[3]) Joannes comes a Tenczyn.
[4]) Gabriel comes a Tarnow.

venit. De variis hanc canonizationem et antecedentibus et consequentibus, quia suo tempore librum proditurum non dubitamus, hoc loco non attingimus.

Missio ad pagos.

Per totam Quadragesimam et potissimum per duas ultimas hebdomadas ingens more consueto apud S. Barbaram et Eucharistiae et Poenitentiae Sacramenta adeuntium multitudo. Bis etiam missio ad pagos vicinos instituta magno cum fructu.

Eleaemosyna Martii.

Mensis Martii pecuniaria eleaemosyna erat fl. 121. A D° Bobrownicki fl. 80. A D° Rab fl. 19. A D^a Pipanowa fl. 15. A D° Montelupi fl. 10. A D^a Apollonia fl. 10. Ab aliis fl. 39. Res submissae computatae sunt fl. 79. A D° Szydlowski tritici metretae 5 A D° Formankowicz et a D° Eremus mel, oliva, oriza, amigdala, crocum, piper, zinziber etc. A variis pro Paschate tortae et placentae 32, agnelli 16, vituli sex et alia minutiora.

Lustratio Nobilitatis Cracoviensis pacifica.

Lustratio Nobilitatis Cracoviensis ad 4^am Aprilis Cracoviae loco consueto instituta fuit. Multi verebantur, ne ii milites, qui coniurationem in Februario inierant, aliquos novos motus darent, non deerant enim plurimi, qui eis faverent et contra Regem magis ac magis incitarent. Sed nonnullorum Regni Procerum dexteritate ad pacifica consilia animi, ad seditionem concitati, sunt deducti totusque ille Nobilium conventus quiete transactus et coniuratorum machinationes irritae erant.

9. Rudolphus Cortin ex carcere liberatus.

Gabriel comes a Tarnow octava istius mensis Rudolphum Cortin, civem et Mercatorem Cracoviensem, iratus in carcerem arcensem abripere iusserat nullam fere ob iustam causam, unde magnus in civitate motus secutus erat. Adierat in hoc negocio Superior domus S. Barbarae Comitem et humiliter pro cive praedicto deprecans, tandem liberationem eius obtinuerat. Non parum obfuit apud Regem (cui statim totum significatum erat a civitate) hic adeo impetuosus procedendi modus cum civibus Comiti, cum Capitaneus Cracoviensis vix aliquod ius habeat in cives Cracovienses et si in aliquo delinquunt, per civilem, non per arcensem magistratum puniri solent, exceptis certis criminalibus causis.

Adventus P^is Provincialis.

Venit ex Russia Cracoviam R. P. Joannes Argentus Provincialis cum suis sociis 13^a huius mensis.

Annae Modliszewska communicatio meritorum.

Virgini Annae Modliszewska communicationem meritorum Societatis, Roma missam, detulit Superior domus S. Barbarae 14^a istius mensis, quam illa ea qua par est animi gratitudine accepit.

Novus Provincialis Poloniae P. Georgius Tyszkiewicz, Mors P. Alberti Wro-

P. Joannes Argentus ex voluntate Admodum Rdi P^is Nri Generalis novum Provincialem Poloniae declaravit R. P. Georgium Tyszkiewicz in domestica exhortatione eique patentes litteras officii praedicti in manus dedit, 15^a istius mensis. In gubernatione vero Residentiae S. Petri P^i Tyszkiewicz tunc successerat P. Nicolaus Lancicius.

Eadem die mortuus est in domo S. Stephani P. Albertus Wroniawski, qui Philosophicis ac Theologicis studiis, in quibus singulariter profecerat, expe-

litis, dum tertium collectionis annum peragit et summae expectationis in Societate esset, ex hac vita discessit. Vide de eo historiam Domus Probationis. niawski.

Discessit Cracovia P. Joannes Argentus Varsaviam Regi valedicturus et inde per Maiorem Poloniam in Silesiam et Bohemiam ac demum in Austriam (eius enim Provinciae ab Admodum R. P. Nro Generali Visitator constitutus erat) 20ª huius mensis abiit. Discedit P. Joannes Argentus in Austriam

R. P. Provincialis novus ante congregationem provincialem, Julio sequenti Cracoviae futuram, cupiens visitationem duorum Collegiorum, Sendomiriensis et Lublinensis, expedire, 24ª istius mensis Cracovia ad praedicta Collegia discessit. Eadem die domi nostrae facta erat reconciliatio inter Comitem Gabrielem a Tarnow Capitaneum Cracoviensem ad Dum Witkowski Magnum Oeconomum arcensem. et P. Provincialis ad 2 Collegia

Adiit Praepositus Domus S. Barbarae cum P. Petro Kamocki Proconsules Cracovienses in Praetorio congregatos 26ª huius mensis, duo ab illis petens, ut et inscriptionem horti, nobis a Dª Catharina Zurkiewiczowa 8ª Januarii ad acta Casimiriensia factam et aliam inscriptionem duarum lapidearum, a Mfca Dª Sophia Czeska, anno Dni 1621, 11ª Octobris ad praedicta similiter acta praestitam, pro orphanellis puellis, ad acta sua Consularia transportare paterentur. Annuit utrique postulationi maior pars Proconsulum. Et quidem in inscriptione Dae Czeska statuerat, ut provisores harum puellarum a Superiore Domus S. Barbarae et Congregatione Misericordiae civium assignarentur, qui eas per matronas pias regerent, Patribus Societatis ad spiritualem directionem praedictarum puellarum attendentibus. Sed haec omnia postea immutata sunt, ut suis locis patebit. **10.** Impetratur transactio ad acta Consularia inscriptionis horti et duarum domorum Dae Czeska. Prima designata, Dre Czeska immutata.

Ultima huius mensis sepulta in nostro templo est nobilis Dª Anna Szczerbicowa, rarae pietatis vidua, quae inter caetera curam familiae ac educationis liberorum non mediocrem gerens, singulis diebus septenas horas orationi, meditationi, piarum rerum lectioni dare erat solita et nostrae Societatis semper erat amantissima ac observantissima. Sepulta est ante maius altare, inter nostrorum et Palatinae Cracoviensis Barzinae sepulchra. Vixit annis 30. Sepultura Dae Szczerbicowae.

Mensis Aprilis eleaemosyna pecuniaria erat fl. 533. A Virgine Anna Modliszewska aurei Hungarici 100, qui tunc faciebant 400os florenos. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 25. A. P. Joanne Argento discendete fl. 50. Ex legato Dⁱ Sardei fl. 10. A quodam Benefactore fl. 15. A variis aliis fl. 33. Res submissae constiterunt fl. 13. A Dª Castellana Voinicensi[1]) vas butyri et ab aliis varia alia minutiora. Aprilis Eleaemosyna.

Crux magna cum Crucifixo in medio templo ab initio possessi templi defossa est sublata, eo quod aspectum maioris altaris tolleret et sepulchris, funeribus solennitatibusque non levi impedimento esset. Et Crucifixus supra summum altare est positus 12ª Maii. Sub idem tempus pro viris subsellium cum novo confessionali recenter depictum et ad parietem a porta cimeterii versus altare maius collocatum. Crucifixus ex medio templo super altare ponitur. Subsellium novum cum Confessionali.

Ob famem ingentem, quae hoc anno multos affligebat, ingens concursus pauperum ex variis pagis concurrebat mendicantium; Sodalitas misericordiae videns hoc et compatiens tantae miseriae, constituerat singulis hebdomadis ad certum tempus 15 florenos exponere in panes praedictis egenis. Petierat eadem Pauperes alit Congregatio Misericordiae.

[1]) Lubomierska.

Congregatio a Praeposito Domus S. Barbarae, ut huius pecuniae dispensator esse velit et pro ea emptos panes pauperibus dispensaret. Susceptum hoc erat a praedicto Domus Superiore et 16ª huius mensis datum initium distribuendi et panes et pultes, sed postea ob nonnullas difficultates intercedentes, ut id per aliquos alios Congregatio faceret, curatum est.

11. Moritur Dˢ Nicolaus Pieniążek, qui impetraverat sepulchrum in S. Barbara et assignaverat legatum quoddam.

Mortuus est 18ª huius Generosus Dˢ Nicolaus Pieniążek, cuius mortis occasione nonnullas tricas subiimus in domo S. Barbarae, quas hic breviter perstringemus. Praedictus Dˢ Pieniążek miles, advertens se morbum superare non posse, nostros ad se instanter advocat, ter iisdem confitetur et praesentibus iis Sacramenta Eucharistiae et Extremae Unctionis sumit. Quia vero a teneris annis, dum Olomutii apud nostros litteris daret operam, devotioni erga Sanctam Barbaram Martyrem assueverat, ideo obnixe a nostris petebat sepulturam in templo S. Barbarae et ius quoddam summae in praedio, Kłoszow dicto, repositae ita nobis legaverat, ut 1200 fl. ille nobis reponeret, qui illud recipere vellet. Aberat domo Superior et nostri mentem Superioris explicantes, sepulturam pollicentur, gratum animum pro illo legato ostendentes et honesto funeri necessaria se procuraturos promittunt. Mortuo itaque illo (quia omnes propinqui ab eo discesserant et quia nihil pecuniae post mortem penes eum inventum) cadaver nostri vestiunt, feretro imponunt, pice post illito, et noctu ad templi S. Barbarae sacellum parvum honeste deducunt ibidemque tamdiu deponunt, quamdiu cognati ad sepulturam non convenerint. Haec nostri dum optimo animo faciunt, ecce tibi adfertur citatio 20ª huius mensis a Joanne Zerzynski, Vicario Generali ac Officiali Cracoviensi, ad Domus Praepositum, ad instantiam Jacobi Schabovei Sacristiani et Vicariorum nonnullorum ecclesiae Omnium Sanctorum (quia in domo ad parochiam praedictam spectante Dˢ Pieniążek mortuus erat) citantium ob corpus mortui in praeiudicium dictae ecclesiae sublatum et urgentium, ut restituatur ac ea reddantur, quae Parochiae dari in funeribus solent. Quia vero et funus nondum peractum erat et sine ulla monitione antecedenti citatio illo ipso die missa erat ante meridiem, quo terminus comparendi statim post prandium assignabatur, facile nostri adverterunt ex malevolo animo Dⁱ Officialis, hostilem animum a multis annis contra nos gerentis, profectum fuisse, quod et ex ipso Sanctorum Omnium templi Sacristiano palam constabat, qui coram nostris et aliis fassus erat, se ad nostros citandos ab Officiali fuisse adactum. Accepta ergo nostri citatione, duo curabant: 1ᵘᵐ ut res ad iudicium Officialis ita nobis male affecti non deveniret, 2ᵘᵐ ut si id non succederet, forum exciperetur et de gravamine protestatio fieret, quandoquidem haec causa non esset ex iis, ob quas Concilium Tridentinum Religiosos Ordinariis subiicit. Et iam huius exceptionis ac protestationis plenipotentia data erat Procuratori externo a Praeposito domus, sed Sacristianus praedictus, territus quorumdam Praelatorum et Mfci Dⁱ Samuelis Targowski aliorumque minis, qui visa citatione malevolentiam Officialis contra nos mirabantur et nostris compatiebantur; postquam terminus prima vice ab ipsismet iudicibus dilatus fuisset ad 23ᵃᵐ huius mensis, non attentavit causam, invito Officiali, qui ad nos vexandos hoc iudicium constituisse videbatur.

Dum curant nostri eius sepulturam, citantur ab Officiali Cracoviensi.

Malevolus animus in nos Officialis.

1ᵘᵐ

2ᵘᵐ

12. Non attentante Causam Actore iudicium non fuit.

Solvimus 200os fl. Do Widerman Proconsuli 27a huius mensis, quos 26a su-
rioris mensis mutuos accepramus, acceptamque ab eo recognitionem nostri
biti laceravimus.

Solutio Debiti Do Widerman.

Venit R. P. Provincialis Cracoviam ultima huius mensis et statim Visita-
nem Domus Probationis est aggressus.

Adventus R. P. Provincialis.

Pecuniariae eleaemosynae per mensem Maium accepimus fl. 160. A Pala-
a Kiioviensi[1]) fl. 64. A Palatino Cracoviensi[2]) fl. 28. A Parocho Czerminensi
20. A Do Koryczinski fl. 10. Ab Abbatissa S. Andreae[3]) alios 10. Ab aliis va-
s fl. 38. Res constiterunt fl. 16. A Da Gawronska duae partes lardi. A Da Pi-
nowa una pars cum sesquicoreto pisorum. A Da Dobroszewska coretus piso-
m. Ab aliis reliqua minutiora.

Eleaemosyna Maii.

Quia ex variis nostrorum locis petitum erat a R. P. Provinciali, ut so-
nitatem canonizationis Beatorum Nostrorum, quae Cracoviae fieri debebat,
tempus congregationis Provincialis differret, ideo 1a Junii, facta ea de re con-
ltatione, ob varias rationes eam differendam censuit, cum antea Superiores
orum monuisset, ut antequam ad Provincialem congregationem venirent, in
s domiciliis praedictam festivitatem more competenti expedirent.

Sepultus in templo S. Barbarae, 6a huius mensis, Ds Nicolaus Pieniążek,
isfeceruntque nostri plenissime susceptae conditioni, datis 200is florenis in
neris eius apparatum, et honestissimam sepulturam procurarunt; sed legatum
s non nisi dimidiatum ad nos pervenit idque sequenti anno primum in Aprili
o dati erant fl. 600i et erat multis intricatum difficultatibus. Datum praecla-
m nostris documentum non se immiscendi legatis cum similibus conditioni-
s, nisi velint et damna et multorum odia subire.

Sepultura in nostro templo Di Nicolai Pieniążek.

Gregorius XVs Pontifex Maximus et pro ultima Julii, qua festum S. Pis
atii colimus, et pro 2a Decembris, quae dies est S. Francisco Xav rio dicata,
ncessit perpetuam plenariam indulgentiam 8a istius mensis.

Perpetua Indulgentia pro festis S. Patris et S. Francisci.

Mortuus est post horam quintam pomeridianam P. Simon Wysocki, 12a hu-
mensis, vir ob varios pro animarum salute susceptos labores et in hoc Regno
alibi sempiterna memoria dignissimus. Natus est in ea Pocuciae parte, quae
ca Rohatinum sita est, in pago Kurzany dicto, nobilibus parentibus et qui
ximis familiis Zolkieviorum et aliorum cognatione erant coniuncti, circa an-
m Dni 1542. Cum annos pubertatis superasset ac tam humanioribus litteris
am etiam Philosophia eo modo, quo illud tempus ferebat, Leopoli et Cracoviae
Academia perpolitus fuisset, a cognatis ad vitam saecularem eamque milita-
n (erat enim egregio corporis robore praeditus) invitabatur. Quia vero ex pia
tris educatione varios pietatis igniculos conceperat, totus erat in eo, ut sta-
n aliquem religiosum, ex iis quos in regno Poloniae noverat, nam de Socie-
e nihil ante sciverat, ingrederetur. Itaque 22m aetatis annum agens, ut cogna-
omnem spem vitae saecularis praescinderet, minores sacros ordines ac etiam
maioribus subdiaconatum et diaconatum suscipit, Petrum Skargam tum Ca-
icum et Concionatorem Leopoliensem sibi pridem cognitum adit, ad pedes

13. P. Simonis Wysocki Patria et Parentes.

Studia extra Societatem.

Concludit de Religione ingredienda.

Quamnam deligere debet, a Petro Scarga pe-

[1]) Zamoyska.
[2]) Joannes comes a Tenczyn. [3]) Anna Szypowska.

tit consilium.

eius accidens et ita ab eō designandae sibi religionis, quam ingrederetur, consilium petit, ut ab eius nutu in tam gravi negocio pendere se velle efficaciter significaret. Petrus Skarga, qui iam perspectam Societatem nostram habebat, non ita multo ante ab Hosio Cardinali Brausbergam inductam et de suo in eam ingressu iam concluserat, delectatus singulari iuvenis desiderio, ita eum expedivit, ut diem illi Sacrae Confessioni Communionique praefigeret certum, qua peracta in eaque re tanti momenti diligenter Deo commendata, se primum de Religione, quam esset ingressurus, daturum consilium pollicetur. Acquiescens libenter Simon Wysocki dictis, die assignato ad Petrum Skargam venit, coram eo confitetur ac Sacris operanti inserviens, ex eiusdem manibus SS^mam^ Eucharistiam suscipit. Post in cubiculum suum deducto Simone Wysocki, Petrus Skarga significat ei se etiam Religiosum statum eumque Societatis Jesu initurum et Romam eam ob causam brevi discessurum. Itaque ut eundem vitae statum amplectatur etiam atque etiam se suadere, imo ut Romani itineris comes sibi esse velit rogare. Vocationem hanc tanquam a Deo missam accipit Simon Wysocki et brevi ad iter se comparans, anno Dni 1568 in Septembri, eo videlicet anno, quo B. Stanislaus Kostka ex hac mortali vita ad illam coelestem commigraverat, cum Petro Skarga Romam venit et uterque a Francisco Borgia, tertio Societatis Jesu Praeposito Generali, ad Societatem admittitur ac tyrocinium Societatis ad S. Andreae aedem peragit. Peracto tyrocinio Simon Wysocki post nonnulla studia rhetorica et quaestiones ad res conscientiae pertinentes auditas (nam Theologiae scholasticae multos post annos triennio Vilnae dedit operam) Romae sacerdos factus est in eiusque primitiis Cardinalis Hosius, qui tunc Romae erat, convivium apparat maxima sua consolatione. Mittitur deinde in Poloniam et statim concionibus habendis confessionibusque excipiendis, ad quae duo natus videbatur, applicatus est, et conciones eius non verborum lenociniis, sed spiritu et fervore plenissimae, maximos animorum motus efficiebant. Sub illud tempus haeresis Lutherana Calvinianaque cum Anabaptistica triumphabat per totum Regnum Poloniae et Magnum Ducatum Lithuaniae, variis editis libris et potissimum Catechismis, quibus haeretici omnia replebant. Quod advertens Petrus Canisius, Societatis Nrae singulare ornamentum, duplicem Catechismum, Maiorem ac Minorem, haereticis oppositum, optimo consilio ediderat. Utroque hoc Catechismo acquisito, Simon Wysocki catechisticas conciones in D. Mariae Magdalenae templo parochiali Posnaniensi per nonnullos annos instituit, maximo hominum concursu et fructu. Ita tamen contra haereticos agebat, ut simul Catholicorum non esset immemor, eos partim in piis moribus partim in misericordiae operibus tam internis quam externis exercendo. Conquisitis enim variis eleaemosynis novum xenodochium pro iis, qui morbis vix sanari solitis affliguntur, extrui cum templo et certis fundationibus curavit, quod ad hoc usque tempus Lazaretum Posnaniae vocatur[1]). Simile quod multo post, licet cum ma-

Quomodo cum eo procedit Petrus Scarga.

Suadet illi, ut Societatem Jesu ingrediatur.

Quod ille exequens,

14. Romam venit. Domum Probationis ingreditur. Post Sacerdos Romae factus. Mittitur in Poloniam.

Conciones catechisticas contra haereticos instituit.

Varia pia opera curat in variis locis.

[1]) Lazaretum hoc Posnaniae 1572 fundatum est, iuxta Manuscriptum, quod supra commemoravimus: »Annales Collegii Posnaniensis« fol. 4. — de P. Wysocki autem nulla est mentio facta. Nihilominus P. Wielewicki, qui Posnaniae tres annos consumpsit, testis esse potest fidelis.

lari sumptu et Vilnae ad S. Stephanum, cuius templum opere latericio eius opera extructum, et Lublini in suburbio sub arce fecerat.

15. Cum P. Stanislao Warszawicki in Sveciam mittitur.

Circa illa tempora Catharina, Regina Sveciae, Sigismundi III Poloniae Regis mater, a Gregorio XIII Pontifice Maximo, ut nostri aliquot penes eam in Sveciae regno, toto haeresi infecto, manere possent, impetraverat ad eamque missi erant P. Stanislaus Warszawicki (sic) et P. Simon Wysocki. Utrumque Anna, Regina Poloniae, soror germana Catharinae Reginae Sveciae, antequam iter Sveticum aggrederentur, ad se Varsaviam evocat, utrumque concionantem cum incredibili animi voluptate audit ac plurimis commendationibus per litteras datis, sorori in Sveciam remittit. Octo annis integris in Svecia morabatur P. Wysocki, concionibus ac Poenitentiae Eucharistiaeque administratione vacans, sed non mediocriter affligebatur, advertens suam industriam, aula Reginae circumsepta, ad reliquos regni Sveciae Proceres, imo et ad ipsum vulgus in haeresi obstinatissimum, non posse excurrere. Pseudoepiscopi enim haeretici eam in rem maxime erant intenti, ne ulli prater eos, qui in aula Reginae erant, cum nostris aliquod negocium intercederet. Id tamen quod poterat simul cum P. Stanislao Warszawicki diligenter curabat, ut Princeps Sveciae (qui postea Rex erat Poloniae) et eius soror catholicam religionem edocti, ex animo adamarent. Et quidem Princeps in religione catholica semper erat constantissimus. Ipsa etiam soror eius primam confessionem Patri Wysocki fecerat, ab eoque, conscia Regina, Sanctissimam Eucharistiam perceperat. Utinam vero post mortem matris animum non mutasset ac in haeresim, regi parenti placere forte volens, non incidisset.

Per 8 annos in Svecia in aula Reginae laborat.

Regis filium et filiam in Catholica fide conservat.

16. In Comitiis Regni Svetici, dum Rex filium ad concionem haereticam vocat et euntem Regina non impedit,

Memorabile quid circa illa tempora inter praedictum Principem Sveciae et nostros contigerat. Indixerat Rex Joannes regni comitia, Principe Sigismundo 12mo aetatis annum agente. Et dum cum proceribus haereticis haereticam in templo audiret concionem, per Marsalcum vocat Principem, ut ad se veniret, haereticam concionem auditurus. Invenit Marsalcus Principem apud Reginam Matrem (toto enim fere septennio coram illa, in lecto decumbente, conciones et Sacra fiebant) concionem P^is Wysocki tunc audientem. Quia vero eo adveniente, coniiciens a Rege in aliquo negocio missum, in concione P. Wysocki substiterat, postquam demisse coram Regina et postea coram Principe sese inclinasset, Regis voluntatem, ut Princeps ad eum in templum statim veniat, significat. Ad eam rem inopinatam, dum et Regina et Princeps sileret, P. Wysocki e loco superiori ita Marsalcum alloquitur: »Mfca D. V. suo munere optime iam est perfuncta ideoque poterit abire«. Post haec verba Marsalcus, iterum sese Reginae ac Principi inclinans, discessit. Princeps post eius discessum perplexus, quid faceret, cum nec a matre nec ab aliis quidquam diceretur, veritus iram parentis Regis proripit se e loco et Marsalcum sequitur. Tunc P. Wysocki in ea re non cohibitum a Regina Principem advertens, graviter Reginam coram tota aula e loco superiori corripit, illis verbis Jacobi Patriarchae in medium productis: Fera pessima devoravit filium meum. Tandem et illud adiecit: Bestias pro catulis extrema quaeque pati solere, homines vero Christianos prolem suam sempiterno exitio tam facile exponere, maxima admiratione esse dignissimum etc. Excepit hanc correptionem Regina pientissima magna cum animi demis-

P. Wysocki graviter Reginam publice reprehendit, non prohibentem Principem, ne concioni haereticae adesset.

Patienter Regina fert correptionem.

sione, licet in hoc negocio omnino innocens. Multas enim rationes habebat, ob quas filium, ne parentem tunc adiret, prohibere noluit. Videns ergo gementem Reginam P. Wysocki, eam post concionem adit et an sibi irasceretur quaerit. Deus avertat — respondit illa — ut sacerdoti, verbo Divino me pascenti, irascar. Defleo peccata et imperfectiones meas.

17. Non permittunt nostri, ut Princeps more solito Sacro inserviret etc. ut exosam haberet haeresim.

Sequenti die cum Princeps more solito Sacrificio Missae coram matre Regina inservire voluisset, eum nostri et ab inserviendo Sacro et ab osculo crucis, evangelii, patenae, quod semper Reginae, filio eius ac filiae porrigi solebat, ad aliquod tempus prohibuerunt, ut eam cum haereticis conversationem, quae ad haeresim instillandam dirigitur, illi exosam facerent. Intellexerat Gregorius XIII Pontifex Maximus de isto nostrorum, licet nonnihil ferventiori, cum Principe modo procedendi et eum vehementer probavit, quia praeclare advertebat, quantum iuveni Principi expediat minima etiam cavere, quae ad haeresim vel inducunt vel inducere possunt.

Probavit id Gregorius XIII. Post reditum ex Svecia dat operam P. Wysocki Theologiae.

Succedente deinde in locum Pris Wysocki P. Simone Niconio in Svetica missione, iussus est P. Wysocki Theologiae scholasticae Vilnae dare operam, ut videlicet talentum concionis in eo magis perficeretur, atque per triennium in eo studio occupabatur. Sed et tum et finito triennio, missionibus, concionibus, excipiendis confessionibus pauperum, studiosorum Sodalitatis Misericordiae et hospitalium cura per multos annos occupabatur ac Pater Pauperum communiter appellabatur. Idem Lublini, Calissii, Cracoviae factitabat et 50 annis sui sacerdotii munus concionatoris magna cum satisfactione et maiori cum fructu peragebat. Romam etiam ex Polonia missus, in Poenitentiaria manens, administrando Poenitentiae Sacramento operam dabat, unde cum Cardinali Radivilo redierat.

Variis deinde Societatis muniis occupatur.

18. Multos libros Spirituales polonico idiomate vertit 1us, 2us, 3us, 4us, 5us, 6us, 7us, 8us, 9us, 10us, 11us, 12us, 13us, 14us, 15us, 16us, 17us, 18us, 19us, 20us, 21us, 22us, 23us, Tabulas

Multum etiam profuit multis libris spiritualibus in polonicum idioma conversis, quibus totum Regnum et praecipua Regni monasteria replevit, quorum multi numerantur: 1us Hieronymi Plati de bono Status Religiosi seu Dobra Stanu Zakonnego. 2us Domitii Plati de Passione Christi, quem librum Morze Czerwone vocavit. 3us Pinelli de Perfectione religiosa. 4us Eiusdem Pinelli de Eucharistia, quem vocavit Monstrantia nowa. 5us Pis Arias de Imitatione Bmae Virginis 6us Pis Alvarez de vita religiose instituenda. 7us Vita S. Pis Nri Ignatii ultimo edita. 8us Vita B. Aloisii Gonzagae. 9us Vita S. Catharinae Senensis. 10us De sex Martyribus Japoniis. 11us Duorum annorum historia Chinensis. 12us Vita S. memoriae Catherinae Vapowska. 13us Speculum magnum exemplorum Pis Gregorii Maioris, quod prima vice in 4-o erat editum, postea altera vice adiunctis Pis Antonii Daurobii historici Catechismi exemplis prodiit in folio. 14us Meditationes in Evangelia Dominicarum et festorum dierum ac aliarum materiarum Pis Busaei, cuius librum polonice Nowy rai duszny vocavit. 15us Thesaurus Spiritualis, quem vocavit Skarbnica. 16us Portam coelestem, cui Fortka niebieska titulum dedit. 17us Palma Virginum. 18us De statu viduali. 19us Excitatorium. 20us Hortulus Spiritualis cum 30 doctrinis et 12 privilegiis piorum hominum. 21us Methodus confitendi pro his qui frequenter Poenitentiae Sacramentum usurpant. 22us Speculum hominis Christiani Ludovici Granatensis. 23us Concio de purgatorio in funere Ducis Slucensis. Edidit insuper varias tabulas po-

lonicas, ut Speculum Religiosum, Puncta Passionis Dominicae, Alphabetum spirituale, Doctrinam de aqua benedicta. insuper Polonicas.

Biennio ante mortem gravissimis calculi et stranguriae doloribus afflictus (in quibus patientissimus manens nihil de confessionum excipiendarum labore remittebat) mortem imminentem expectans, duo a Deo petebat, quae et impetrasse videtur: 1m ne moreretur nisi post B. Patris canonizationem, 2m ne ante mortem longo tempore in lecto decumbens molestiam variis exhiberet. Nam et solos 5 dies in lecto ante mortem decubuit et post nuncium certum allatum de apotheosi Sti Pis Nri mortuus est, omnibus Sacramentis munitus, anno aetatis 79, Societatis 55, ex quibus 51 Sacerdos erat, Professus 3 votorum anno 1571 in Martio Romae factus. In eius sepultura admirabilis variorum comploratio et magnum certamen ex eius cadavere, floribus more patrio consperso, aliquem flosculum tollendi, ob quod per mediam fere horam, ne in sepulchrum inferri possit, mora toleranda erat, manifeste ostendebat, quantum sui apud omnes desiderium reliquerit. Duo ante mortem a Deo impetrat: 1um, 2um. **19.** Anni aetatis, Societatis, Professionis. Eius sepultura.

Venit R. P. Provincialis ex domo Probationis et ex residentia S. Petri ad domum S. Barbarae 14a Junii, statimque visitationem domus est agressus. Visitatio domus per R. P. Provincialem.

Accepit eadem die Ds Jacobus Zelecki depositum, quod apud S. Barbaram ante duos menses servaverat. Depositum Do Zelecki redditur.

Eadem praeterea die Joannes Drugeth Comes de Homonna, praemissis litteris petierat a Superiore domus S. Barbarae, ut apud S. Petrum hospitium habere posset. Satisfactum est eius postulationi et postquam venisset, R. P. Provincialis cum Praeposito domus ac deinde varii nostri eum inviserunt. Debitum 100 florenorum, quos parenti eius, anno 1620, 26a Januarii, domus Professa mutuos dederat, tunc ab aulae eius Praefecto repetebamus, sed quia ostendebat, in magnis dominum suum esse iam angustiis, in aliud tempus solutio est relecta, nempe in finem Januarii sequentis anni, ut suo loco patebit. Joannes Drugeth Comes de Homonna Cracoviam venit.

Martinus Szyskowski, Episcopus Cracoviensis, postquam intellexisset de apotheosi S. Pis Ignatii Romae peracta, per totam suam Dioecesim solennem processionem pro festo S. Pis libentissime concessit, 20a huius mensis. Vix tamen apud aliquos haec concessio executioni est mandata. **20.** Processio solennis pro festo S. Pis indicitur ab Episcopo.

Varios nostri invitarunt ad solennitatem B. Pis Ni Ignatii et B. Francisci Xaverii, 22a istius mensis, quae pro 9a et 10a Julii sequentis erat indicta. Et quidem a Praelatis, a Religiosis, ab Academicis petitum, ut processionem cum vexillo S. Pis futuram a templo S. Barbarae ad S. Petrum suis processionibus iuvare vellent. A Proconsulibus etiam, ut eam solennitatem externo ornatu ac iis, quae triumphum referre solent, exornare non gravarentur, postulatum. Pollicíti sunt omnes omnem suam in hac re operam, sed postea, ut sequenti mense videbimus, pauci admodum pollicitis satisfecerunt. Invitantur varii pro solennitate canonizationis.

Mortuum P. Simonem Wysocki secutus est, 23a huius mensis hora 5a pomeridiana, P. Sebastianus Lamchius, Maior Polonus, Posnaniae natus. Ex annis 45 quibus vixit, 24 in Societate consumpsit. Studuit in Societate Rhetoricae anno medio, Philosophiae annis tribus, Casibus annis duobus. Docuit in Grammatica anno 1. Concionatus in variis locis annis 6. Ministri officium gessit annis P. Sebastiani Lamchii munia in Societate peracta

tribus. In operarii munere et maxime in confessionibus excipiendis singularis et assiduus maximeque ob mansuetudinem et externis et domesticis charus.

et mors. Coadiutor formatus spiritualis anno Dni 1611, 29ª Maii. Maligna febri, quae eum 17 diebus afflixit, extinctus est, postquam omnibus consuetis Sacramentis munitus fuisset et sepultus in communi nostrum sepulchro sequenti die post prandium.

21. Subsellia, confessionalia et duo nova altaria in nostro templo.

Eadem 23ª Junii post subselliorum muliebrium duos ordines, quadrata figura constitutos, qui ducentis fere florenis constiterant, post fornicem supra maius altare, ruinam minantem, reparatum, confessionalia quatuor a cathedra concionatoria ad parietem versus coemeterium Bmae Virginis collocata sunt, in quae sunt expensi floreni 150. Sub idem etiam tempus et altare SS. Martyrum Xisti, Valentini et Cristinae Martyrum ad parietem versus sacristiam et aliud e regione B. Barbarae ac Beati Stanislai erectum, utrumque cum pictura constitit fere 400is florenis.

Festum B. Aloisii translatum.

Quia de B. Aloisio Sacrum et Officium hoc anno erat a Pontifice Maximo concessum, ideo solennitas eius, ut annotat in sua templi historia P. Petrus Kamocki et alii, in 25am, quae in diem Dominicam inciderat, erat translatum, hac prima vice.

Renovatio Votorum.

Instituta Renovatio votorum domi nostrae 26ª huius, praemissis iis, quae praemitti solent, celebrante in sacello domestico R. P. Provinciali et prandio exceptis multis nostris a S. Petro et a S. Stephano.

Concessio extruendi sacelli ad templum nostrum Dº Pipano impedita.

Eadem die Excellentissimo Dº Georgio Pipano petenti, ut loco sepulchri suorum maiorum, templo S. Barbarae contigui, sacellum in honorem B. Francisci Xaverii erigere posset, ita ut ex templo nostro ad illud ingressus pateat, concessit libenter R. P. Provincialis. Sed hunc eius conatum impedivit post R. D. Christophorus Trcinski Archipresbyter, praetendens nescio quod praeiudicium coemeterii parochialis templi Bmae Virginis.

Festum SS. Petri et Pauli Apostolorum.

Festum SS. Petri et Pauli Apostolorum non iam apud S. Petrum, ut superioribus annis, sed domi celebravimus, ob separatam Residentiam S. Petri et iam non dependentem a S. Barbarae domo. Nostri tamen ibidem manentes solenniter praedictum festum peregerunt.

22. Caedes Turcici imperatoris Osmani.

Hoc mense confirmatus rumor de nece illata imperatori Turcico Osmano a suis, quod novum prorsus erat in imperio illo, licet tyrannico.

Eleaemosyna Junii.

Et per Junium et per sequentem Julium insignes eleaemosynas occasione Congregationis Provincialis, quae instabat, quaeque in Julio peracta est, habuimus submissas. Et quidem in Junio eleaemosyna pecuniaria erat florenorum fere 700. Nempe a Capitaneo Cracoviensi fl. 240; a Dº Wisemberg flor. 200; a Confraternitate Misericordiae flor. 100; a Dº Abrahamo Ronenberg flor. 20, ab Abbate Tinecensi flor. 38; a Dº Borek fl. 13; a Dº Vexillifero[1]) fl. 11. A Sacristiano Bmae Virginis[2]) fl. 10. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 42. A Vir-

[1]) Mfcus Dnus Chełmski. [2]) R. D. Simon.

gine Szydłowska fl. 10. Ab aliis variis fl. 38. Res datae aestimatae sunt fl. 165. Nempe ab Episcopo Chelmensi[1]) avenae 29 metretae, lardum, casei. A Capitaneo Cracoviensi (qui ante tritici, avenae, hordei, siliginis miserat tantum, quantum fere pro Congregatione sufficeret, omnium enim erant fere 300 coreti) piper, crocum, uvae passae et alia. A Castellana Osviecimiensi[2]) ligna, butyrum, casei. A D[a] Dobroszowska hordei metretae 4, pisorum coreti duo et ab aliis esculenta ac poculenta varia minutiora.

23. A solennitate nostra excusant sese Praelati, Academici

Ipsa 1[a] Julii Venerabile Capitulum Cracoviense misit ad S. Barbaram, significans se sine Episcopo processionaliter nostrae solennitati canonizationis S. P[is] interesse non posse. Circa idem tempus Academici, quia intellexerant, nostros sub tempus Congregationis disputationes et philosophicas et theologicas habituros, sententiam mutaverunt et hanc causam praetendentes, promissis stare noluerunt. Iam Religiosi Mendicantes, qui inter se Philadelphiam (ut vocant) Cracoviae conservant, sive vero sive ficto metu iniecto, ne eorum praecedentiae aliquid obesset, si nostri in processione eos sequerentur, significarunt R. P. Provinciali, se aliter processioni interesse non posse nisi scripto caveret, nullum praeiudicium eorum ut vocant Praecedentiae futurum. Respondit R. P. Provincialis se bona fide profiteri, ea in processione, quae nobis extraordinaria est, non se vel intendere vel intendisse aliquam praecedentiam, sed solam devotionem, scriptum tamen ea de re nullum se velle dare, quia eius nullam necessitatem videret et ob varia alia, quae circa scriptum eius postea fieri possent. Et ita etiam hi Religiosi id quod promiserant non servarunt. Fama erat Academicos odio nostri haec omnia effecisse.

Religiosi mendicantes,

quibus R. P. Provincialis cautionem in scripto dare noluit.

P. Michaelis Becani vita et mores.

Mortuus est 6[a] huius mensis Varsaviae P. Michael Becanus, per multos annos Regis Sigismundi III confessarius, vir pientissimus, prudentissimus, modestissimus. Venerat ex Germania in hanc Provinciam, cum fuisset Societatem ingressus Treviris 20[a] Novembris anno 1570 et studuisset Rhetoricae Herbipoli et Philosophiae ac Theologiae Moguntiae. Gessit curam convictorum annis 14, humaniores litteras legit per aliquot annos. Confessarii, concionatoris, Ministri, Praefecti Studiorum munus cum laude gessit. Erat promotus in Germania artium liberalium Magister. Plura de eo vide in Domus Professae Varsaviensis historia.

24. De P. Joannis Liesiowski voce activa tantum in Congregatione.

Convenerant omnes ad Congregationem spectantes, 8[a] istius mensis et cum iis deliberatio erat instituta, an P. Joannes Liesiowski, qui Varsavia 5[a] huius venerat huc in quibusdam negociis, habere debeat locum in Congregatione, nec ne. Et conclusum est affirmative, de voce activa tantum, non passiva.

---

[1]) Mathias Łubinski. [2]) Cristina de Gaiow Myszkowska.

Initium Congregationis. Eliguntur secretarius, Substitutus et illi substitutus P. Matthaeus Bembus. Deputati. Litterae Episcopi Posnaniensis ad Congregationem. Hospites varii in domo S. Barbarae prandio excepti.

Datum initium Congregationi Provinciali 9a huius mensis et postquam communi consensu decretum fuisset Congregationem esse legittimam, electus est secretarius P. Henricus Pichertus, secundo scrutinio et P. Jacobus Golemowski, eius adiutor, primo scrutinio. Electi post duo deputati ex primariis Patribus P. Sigismundus Obricius, secundo et P. Matthaeus Bembus, primo scrutinio. Dies demum eligendo Procuratori, qui electus est primo scrutinio P. Joannes Wielewicki, assignata plurium suffragiis 12 Julii et quarta ab ea inclusive, qua Congregatio est inchoata. Lectae etiam tunc temporis erant litterae Andreae Opalenski Episcopi Posnaniensis ad Congregationem, in quibus toti Societati et huic Provinciae gratulabatur de Sanctorum Nostrorum S. Pis Ignatii et S. Francisci canonizatione et ut eadem pro B. Stanislao Kostka diligentius a nostris curaretur, monebat. Quia vero hac die, pomeridiano tempore, imminebat nostris solennis processio ob celebritatem canonizationis Si Patris a primiis vesperis inchoandam, ideo multos hospites, qui ad eam convenerant, prandio excepimus, nempe Joannem Wężyk Episcopum Praemisliensem, Mathiam Lubinski Episcopum Chelmensem, Thomam Oborski Episcopum Laodicensem, Stanislaum Lubinski Abbatem Tinecensem, Gabrielem Comitem a Tarnow Capitaneum Cracoviensem et nonnullos Consulares Cracovienses, nempe Dm Gregorium Klausnic, Dm Abrahamum Ronenberg, Dm Biderman.

25. Processio Nostrorum in solennitate Canonizationis. Ad templum parochiale. Deinde per forum ad templum S. Petri. Qui nostros comitati. Qui antecesserunt. Qui se nostris Reliquias portantibus adiunxerunt. Durante Processione pluvia desiit.

Circa horam vesperarum prodierunt nostri omnes plusquam 150. Sacerdotes quidem cassulis et pluvialibus, ii vero qui Sacerdotes non erant superpelliceis ornati, ex candida cera faces praeferentes cum labaro ac triplici eleganter constructo reliquiario, S. Pis Nostri Ignatii, S. Francisci Xaverii et S. Philippi Nerei Sacras Reliquias continente et a templo S. Barbarae templum parochiale Bmae Virginis sunt ingressi, ubi tunc R. D. Jacobus Ostrowski Canonicus Cracoviensis ac Theologiae Doctor insignem in laudem Beatorum nostrorum habuit concionem. Ex templo post nostri parochiali exeuntes circumierunt forum, ad templum novum SS. Apostolorum Petri et Pauli perrexerunt, ingenti multitudine antecedente, comitante, subsequente. Comitati proxime nostros tres Episcopi, pontificaliter ornati, duo Abbates et nonnulli Praelati cum Gabriele Comite a Tarnow Capitaneo Generali Cracoviensi ac plurima nobilitate, qui ad hunc actum convenerunt. Antecesserunt nos PP. Bernardini, qui soli ex Religiosis nostrum hunc actum cohonestarunt et saeculares Sacerdotes parochiae Bmae Virginis. Religiosi etiam S. Pauli primi Eremitae, qui in Rupella, ut vocant, loco caede S. Stanislai celeberrimo, monasterium habent, casulis induti, nostris duodecim sacras reliquias portantibus, sese adiunxerant, cum variis aliis Sacerdotibus. Et quidem antequam nostri egrederentur e templo S. Barbarae, mirum in modum pluvia nostros retardabat. Statim tamen ac Nostri sunt egressi labarumque S. Patris (quod P. Joannes Lesiewski, Principis Vladislai tunc Confessarius, ferebat) extulerunt, pluvia desiit ac plusquam duabus horis, quibus processio durabat, ob ingentem enim hominum multitudinem nostris saepius longiori tempore subsistendum erat, nihil penitus pluviae decidit. Circumierunt ergo nostri forum et usque ad templum novum SS. Apostolorum Petri et Pauli, inter alternantes bellicorum tormentorum explosiones et tubas ac variis generis concentus, cum va-

26. Inter varia triumphi signa.

riis in locis, tamen potissimum in tribus arcubus triumphalibus, magno artificio et sumptu excitatis, quorum duo erant in foro et tertius in ipso S. Petri templo, personantes processerant ac simul inter militaria vexilla tum civium, tum Capitanei Cracoviensis Gabrielis Comitis a Tarnow. Postquam ad templum SS. Apostolorum Petri et Pauli perventum, vesperae primae a Joanne Wężyk Episcopo Praemisliensi et sequenti die Summum Sacrum ac vesperae secundae ab eodem decantatae, maximo cum apparatu, quo etiam die triplex concio habita in laudem nostrorum Sanctorum et Societatis. Prima ab Andrea Łukomski Canonico et Praelato Cracoviensi Theologiae Doctore in Sacro Summo, secunda ab Ordinario PP Franciscanorum concionatore, pomeridiano tempore. Post vesperas a R. P. Chrysostomo Ordinis Praedicatorum Theologiae Doctore. Compensaverat porro Dominus absentiam Religiosorum et aliorum, qui invitati non venerant, maxima in nostra processione hominum multitudine, quae amplissimum forum Cracoviense repleverat. Passim vero sacris Reliquiis appropinquantibus in foro ac platgis varii in genua procidebant ac Sanctos nostros profusis lachrymis invocantes, admirabilem devotionis sensum ostendebant. Compensaverant et Religiosi, qui processioni non intererant sed in templo S. Barbarae per totam octavam, mane quidem Sacra cantata cum concione, a prandiis similiter cantatas vesperas adiuncta concione peragentes et maxima encomia Sanctorum nostrorum e loco superiori praedicantes. Multi ex nobilioribus et ex civibus vehementer erant commoti, quod a praedicta nostra processione abfuerint, multi etiam ex Religiosis se esse graviter deceptos passim fatebantur et a nostris veniam petebant. Per totam praeterea octavam, primis duabus noctis horis, ignes triumphales ac artificiales explosiones, tubae ac multiplices musicorum concentus in foro Cracoviensi et in arcubus erectis exhibebantur; quorum primus erat a domo Professa exstructus, e regione templi B^mae Virginis, penes aulam Marchionis de Myrow Myskowski; secundus in initio plateae versus aedem S. Stephani a domo Probationis collocatus; tertius in Sancto Petro, nomine Collegii nostri iam designati, positus. Et quidem nocturnas explosiones ac ignes artificiales conatus fuerat apud Proconsulem impedire Georgius Dux Zbarascensis Castellanus Cracoviensis, sed ea re cognita Gabriel Comes a Tarnow Capitaneas Cracoviensis ad Proconsulem misit, significans ipsius Serenissimi eam esse voluntatem, ut huiusmodi explosiones tempore huius solennitatis durarent. Adiecit praeterea suum satellitium, ut explodentibus praesidio esset. Idem Comes eadem decima huius mensis omnes nostros, qui ad Congregationem venerant, praeter domesticos, solenni prandio excepit in Collegio S. Petri. Non defuit tamen etiam eadem die solennitas in templo S. Barbarae, Rndo D^o Erasmo Kretkowski, Canonico, Sacrum et vesperas cantante et duobus nostris de laudibus SS Canonizatorum nostrorum concionantibus. Sequenti die venit cum suis Canonicis Regularibus Praepositus Corporis Christi ad templum S. Barbarae et Sacrum cecinit de Sanctis nostris, de quibus etiam unus ex iisdem Canonicis concionatus est, qui postea cum uno socio prandio apud nos erat exceptus. Eadem die Thomas Oborski, Suffraganeus Cracoviensis, (qui durante Congregatione ter nostris prandium opiparum miserat) et prandio insigniter

Venitur ad templum SS. Petri et Pauli, ubi 1^ae vesperae et sequenti die Sacrum tres Conciones 2^ae vesperae decantatae.

Absentia Religiosorum compensatur et multitudine et devotione populi.

Religiosi suam absentiam compensant.

Per totam octavam qualis solennitas.

Explosiones impediente Duce Zbarascio, obsistit Comes a Tarnow.

27.

Idem Comes excipit nostros prandio.

Solennitas in S. Barbara per octo dies a variis.

Canonici Regulares solennita-

tem faciunt.

apparato nos excepit et ipsemet nostris mira cum alacritate in triclinio a sam servivit.

Suffraganeus Cracoviensis et prandio nos excipit et ad mensam nostris servit.

Electus est in Procuratorem Provinciae 12ª huius mensis P. Joann lewicki secundo scrutinio et substitutus ei, si forte aliquod impediment tercesisset, P. Mathias Bembus. Hac etiam die dupliciter Religiosi in ten Barbarae solennitatem Beatorum nostrorum exornarunt: Patres nimirum nicani, qui processionaliter cum sua Sodalitate Rosarii ad nos venientes cecinerunt et in eo unus ex illis concionatus est, quorum etiam aliquot nobiscum sumpserunt, et Patres a S. Marco, qui etiam cum sua Sodalita cessionem ad nostrum templum instituerunt, vesperas cecinerunt et iis unus ex iis concionatus est.

Eligitur Procurator Provinciae et eius substitutus.

PP. Dominicani et PP. S. Marci solennitatem nostram expediunt.

Instituta est disputatio Philosophica a nostris, 13ª istius sis, in aula seu in schola maiori aedium S. Petri, pomeridian pore, defendente Charissimo Paulo Moscicki egregie. Eam, poterant modis, Academici conati sunt perturbare et impedire. Religiosis, qui disputaturi erant, ut theses remitterent ac pro non starent, persuaserunt (unus tamen persuaderi id sibi n passus ex ordine S. Francisci et egregie disputavit) et ad i disputationis submiserunt suos, qui nomine Rectoris sub poen communicationis omnes Academicos, qui intererant, evocarent testationemque contra nostros facerent. Egressi aliqui timidio Academicis reliquis permanentibus. Disputatio tamen more suo acta et finita bono successu.

Disputationem Philosophicam nostrorum conantur impedire Academici.

28.

Alii Religiosi solennitates in templo nostro faciunt S. Pauli Eremitae.

Eadem die Religiosi S. Pauli Primi Eremitae cecinerunt vesperas que ex iis maxima cum Societatis commendatione de BBis Nostris con fecit. Ipsum Priorem cum sex aliis coena excepimus. Iam Patres Aug 19ª istius mensis Sacra et concionem mane, pomeridiano vero tempore Carmelitae Calceati, seu mitigati, vesperas in nostro templo cecinerunt finitis concionem in honorem SSorum Nostrorum habuerunt. Sequenti tres Bernardini, cum sua numerosa sodalitate, in processione ad nostru plum venerunt. Sacrum et vesperas gravi cantu chorali, concionem pari tutinam et pomeridianam magna cum hominum satisfactione expediveru cepti sunt aliquot prandio. Patres Franciscani diem sabbati sibi dele qui cum sua Compania in nostro templo Sacrum et vesperas cecinerun gnem suam musicam adducentes duasque conciones mane ac tempore diano habuerunt. Aliquot nobiscum sunt pransi. Eadem die finis im Congregationi nostrae Provinciali, cum qua accelerandum erat, ob multas peste infectas et licet clausas in ipsa civitate. Tractati sumus prandio a roso Dno Szydłowski. Hac ipsa die pomeridiano tempore Patres Carmelita calceati suam instituerunt processionem cum imagine S. Teresae ab aed Virginis Patrum Carmelitarum Mitigatorum ad templum S. Michaelis, quo

Augustiani Carmelitae Bernardini.

Franciscani.

Finis Congregationi impositus.

Solennis Processio in honorem S. Teresae

nens exstructum. Ut totus clerus in hac processione esset, iniunxerat Episcopus sub excommunicatione, veritus forsan, ne idem facerent Patribus Carmelitis Religiosi, quod nobis fecerant. Intererat et tota Academia. Praelati tamen et Canonici Arcenses processionaliter non interfuerant, sicut et nostrae processioni non interrerant. Ibat autem processio circa forum, tum per eos arcus triumphales, qui a nostris in foro exstructi per octo dies durabant, tum per alios, quos addiderant Patres Discalceati. Locus Patrum Discalceatorum in hac processione erat inter Carmelitas calceatos, quibus immixti bini ac bini procedebant. Varii concentus, tubarum sonitus, explosiones, ignes artificiales, durante processione continuabantur. Commune iudicium peritorum erat, nostram processionem, ante triduum factam, gravitate ac devotione hanc superasse, quidquid Jacobus Naianus in suo contra nos libello famoso, de quo suo loco dicemus, effutierit etc.

cum toto clero et Academia.

Locus Patrum discalceatorum in processione.

In quo nostra processio superaverit.

Peracta in templo novo SS. Apostolorum Petri et Pauli 17ª huius mensis disputatio Theologica, defendente P. Gaspare Druzbicki et oppugnantibus P. Jacobo Golemowski, P. Francisco Phenicio et P. Paulo Moscicki, ob metum enim Academicorum nullus externus disputare voluit. Omnes enim Religiosos obibant Academici, tum minis tum blanditiis persuadentes, ne ad disputationem nostram venirent et theses iam acceptas remitterent, quod et fecerunt. Iidem Academici iniquo animo hanc disputationem ferentes, submissi a suo Rectore, sub tempus disputationis templum ingressi, contra eam protestationem fecerunt et suos studiosos inde evocare tentarunt, praesentibus Joanne Wezyk Episcopo Praemisliensi, Thoma Oborski Suffraganeo Cracoviensi multisque aliis Praelatis ac simul Gabriele Comite a Tarnow, cum multa nobilitate. Circa finem etiam disputationis Joannes Zerzynski Officialis, hostis noster, miserat Notarium Publicum inhibens disputationem, cupiens hac ratione suum venenatum contra nos animum exercere. Sed sicut impudicitiam Academicorum in templo protestantium exhorruerant, qui aderant et nonnulli (inter quos praecipuus erat Suffraganeus praedictus Cracoviensis) gravissime reprehenderant ac reiecerant, ita et inhibitionem Officialis circa finem factam irriserunt. Omnibus possibilibus modis tentabant Academici tam Philosophicam quam Theologicam nostrorum disputationem impedire, iam protestatione iam eorum qui disputaturi erant abductione, iam thesium impressarum partim exustione, partim earum, quae affixae erant, laceratione et luto iniecto commaculatione. Peractae tamen modo debito disputationes praedictae, sicuti retulimus. In omnibus autem his, quae vel solennitatem vel disputationes nostras attingebant, summum se nostri Ordinis defensorem Comes

29.

Disputationem nostram Theologicam impedire conantur Academici

et Joannes Zerzinski Officialis. Sed reiiciuntur.

Varii modi Academicorum pro ea impedienda inventi.

Defensor in his noster Comes

a Tarnow praedictus ostendit et ob id solum Cracoviae per 10 dies mansit, ut nos defenderet, cum ad alia urgentia negocia alio vocaretur.

Hac etiam die excepti eramus prandio in domo S. Barbarae a R^mo D^o Suffraganeo hospitesque aliquot ex Praelatis et ex nobilitate habuimus. Ac simul finem imposuimus solennitati nostrae Sacro et vesperis cantatis et quadruplici concione, una videlicet matutina et duplici pomeridiana in domus Professae templo habitis, quarta vero circa primam noctis in summo parochiali templo per unum ex nostris facta (dederat enim locum nostro libenter Dominicanus Ordinarius), postquam Hymnus Te Deum laudamus decantatus, quo tempore explosionibus, tubis, ignibus triumphalibus, multiplici in arcubus concentu in foro Cracoviensi, plena erant omnia. Turris etiam templi S. Barbarae artificiose circumducta et vitreis fenestris plena, intus impositis ardentibus facibus circa initium noctis iucundum hominibus, maxime longe distantibus, spectaculum, tum antecedentibus tum hoc postremo solennitatis die, praebebat. Hoc et sequenti die ob pestem, quae magna Cracoviae sumebat incrementa, Patres, qui ad Congregationem venerant, coeperunt discedere.

Finis impositus solennitati canonizationis.

30. Turris templi S. Barbarae ob ignes conspicua.

Varios ignes triumphales et explosiones nocte 18^a huius mensis in honorem S. Teresiae Georgius Dux Zbarascensis Castellanus Cracoviensis procuravit, qui explosiones in honorem Sanctorum nostrorum factas moleste tulerat et prohibere conabatur, uti supra n. 26 notavimus.

Pro S^a Teresia Dux Zbarascensis varia curat.

Discessit R. P. Provincialis cum suo socio P. Henrico Picherto et Stanislao Piatkovio Marcocicos, cum quo simul abierat P. Andreas Vachocius, Rector domus probationis, 20 huius mensis, ut videlicet ex loco a peste tuto et Procuratorem Provinciae expedire et circa varias nostrorum personas varia commodius posset disponere

Discessus R. P. Provincialis et aliorum.

Sepultura D^ae Catharinae Gawronska in nostro templo. Vita eius pie transacta.

Sepulta est in templo nostro Generosa D^a Catharina Gawrońska, 21^a huius mensis. Haec ex nobili Szyskoviorum prosapia nata in Maiori Polonia et Martini Szyskowski, Episcopi Cracoviensis, germana soror post iuvenilem aetatem pie transactam, matrimonium cum Daniele Gawronski pari nobilitate viro inierat, et ex eo susceptos liberos ad omnem pietatem instituerat et marito, cum quo triginta fere annos vixerat, post mortuo, totam se divino obsequio ad finem vitae tradiderat, nostrorum spiritualem directionem accipiens diligenterque observans. Optime ad mortem disposita et omnibus Sacramentis munita, ex hac vita mortali decessit 20^a superioris mensis, aetatis anno 50. Et quia ante mortem ac in testamento obnixe expetierat, ut in nostro templo sepulchrum habere possit ac R. P. Provincialis id ei concedendum iudicaverat, ideo die praedicta sub altari S. Barbarae ac B. Stanislai est sepulta. Sacrum cecinit funebre R^mus D. Suffraganeus Cracoviensis. Concionatus in medio sacro R. D. Sebastianus Nucerinus, qui et nobiscum hac die prandium sumpsit. Redemerat Episcopus quartam spoliorum partem fl. 50 a Parochia Sanctorum Omnium, holosericum vero nigrum, quo funus erat opertum, recepit Episcopus, datis nostro templo 100 fl. Legaverat testamento praedicta Dna domui S. Barbarae florenos polonicos mille, sed Episcopus Cracoviensis viso testamento respondit, eam id legasse, quod dare non poterat; sicque nihil ex legato accepimus.

Funebre Sacrum. Concio.

Legatum eius irritum declaratum ab Episcopo.

Occasione huius legati irriti, non abs re erit hoc loco ponere donationem ...bis factam, ad quam non pervenimus et cuius omni spe hoc anno deiecti ...mus. Acceperat mutuos aureos Hungaricos 800^{s} Andreas Opalenski, Episcopus ...snaniensis a Jacobo Lępicki Abbate Lubinensi idque debitum inscriptum erat ...ydrus anno 1607. Moritur interim D^{us} Lępicki relictis executoribus testamenti ...lchiore Olszewski Abbate in Chebdow, Nicolao Taranowski et Thoma Obor...ki Canonicis tunc Cracoviensibus. Hi dum omnia iuxta mentem testatoris dis...ponunt, repetunt ab Episcopo aureos 800^{s}. Pollicetur solutionem, sed dum per ...ultos annos nihil facit, executores cum omnibus in testamento praescriptis ...tisfecissent, habentes eam potestatem, ut ea quae restarent in pia opera ad ...ibitum converterent, 1619, 24^{a} Martii donarunt summam praedictam Domui S. ...arbarae et ius omne eam repetendi ab Episcopo. Significaverat id P. Albertus ...emiakowski, Domus Professae tunc Praepositus, Episcopo Posnaniensi, sed ille ...statim coepit difficultates ostendere et illam imprimis de D^{o} Alexandro Krosnow...ski, cui nupserat Abbatis Lubinensis neptis et cui hi 860^{i} aurei iure, ut ille ...dicebat, naturali debebantur. Haec nostri postquam cognovissent, omnem fere iam ...spem huius summae accipiendae deposuerant, suasu tamen aliquorum misit P. ...annes Wielewicki, huius domus Superior, ad D^{um} Alexandrum Krosnowski ...ad aliquam, si possibilis esset, in hoc negocio faciendam compositionem. Con...ventum ergo ita erat, anno 1620 1^{a} Aprilis, ut ex summa praedicta Domui S. ...Barbarae 300, Dno vero Krosnowski 500^{i} aurei cederent et his acceptis utraque ...pars quietationem debiti Episcopo daret. Sed nec ista transactio quidquam iuvit, ...sed nihilominus Episcopus solutionem differebat. Litem ergo intendit D^{us} Kro...snowski Episcopo in castro Posnaniensi et suae coniugis ius naturale in sum...mam praedictam ostendit. Plenipotens etiam S. Barbarae, unus ex nostris Po...snaniensibus, donationem Domui factam ab executoribus in eodem iudicio pro...sequit. Post deliberationem controversiae Episcopi Posnaniensis Agens, ad Iudicia ...tribunalitia Petricoviensia causa haec ut devolveretur et ibidem resolveretur, ...petit. In his iudiciis summa haec tota D^{o} Alexandro Krosnowski iudicata est ...atque statim Episcopus solvere debuit. Et sic nobis donatio rei intricatae pa...rum profuit, imo non parum obfuit ob tot itinera in isto negocio aliquoties ...pro conatu suscepta.

31. Donatio domui facta ab Executoribus 800 aureorum post mortem D^{i} Lępicki. Differtur inprimis ab Episcopo Posnaniensi. Et postea ab eodem intricatur.

Etiamsi cum D^{o} Krosnowski transactio esset facta.

Et tandem tota summa in Judiciis tribunalitiis D^{o} Krosnowski adiudicatur.

Eadem 21^{a} huius mensis P. Joannes Wielewicki ad iter Romanum se ...parans, relicto Vice-Praeposito Domus S. Barbarae P. Sigismundo Obricio et ...um, qui domi tempore pestis mansuri erant, Superiore P. Valentino Rusco... constituto, assignatis praeterea locis variis pro iis, quibus extra domum ...d Benefactores degendum erat durante peste, contuliti sese cum Matthaeo ...rowski, quem itineris socium habebat, Stępocicos et Marcocicos ad R. P. ...vincialem, ubi per aliquot dies mansit et expeditione accepta, 5^{a} sequentis ...sis, itineri destinato se se dedit.

32. Discessus P^{is} Wielewicki Romam versus.

Romae dum esset P. Joannes Wielewicki, nihil repetiit a Provincia Au... ...e pro compensatione eorum exulum, qui fere 70 in nostra Provincia per ...s annos manserunt, cum tamen alii Procuratores aliarum Provinciarum id ...cte repetierint.

Nihil repetitum a Provincia Austriae.

Reprotestatio facta contra Academicorum protestationes.

Contra protestationes Academicorum in disputationibus nostris factas, de quibus supra actum est, P. Valentinus Rusconius, 28° istius mensis, coram D. Joanne Bolkowski et Venerabili D° Joanne Prawic. Cathedralis templi ac Venerabili D° Hieronymo Gutkowski, Parochiae B^mae^ Virginis Altaristis, reprotestationem instituit, cuius occasione sequenti anno turpissimum libellum famosum contra nostros scripsit Jacobus Naiman, ut suo loco patebit.

Festum S. Ignatii solenne etiam tempore pestis.

Etiamsi satis gravis pestis periculum Cracoviae immineret circa finem huius mensis, ob quod et nostri Novitii ex domo S. Stephani emigraverunt Stępocicos et in templo S. Barbarae confessionalium fenestellae vitro chartaque munitae essent scamnorumque alia dispositio, maxime ante maius altare ob arcendam turbam, facta: in festo tamen S. P^is^ Ignatii ingens concursus fuit ad nostrum S. Barbarae templum Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae contra tanta pericula sese munientium. Cecinit summum Sacrum R^mus^ Suffraganeus Cracoviensis, vesperas P. Sigismundus Obricius.

Eleaemosyna Julii.

Pecuniaria eleaemosyna mensis Julii erat florenorum plusquam mille. Ab Episcopo Cuiaviensi [1]) fl. 200. A Premisliensi [2]) fl. 100. A Suffraganeo Cracoviensi [3]) fl. 80. A D^a^ Cancellaria Zolkiewska 75. A Rdo D° Bobola 20. A R. D° Grochowski 20. A D^a^ Gutteterowa census fl. 100. A D° Rab fl. 32. A D^a^ Janowa Premisliensi fl. 41. A D° Szydlowski fl. 26. A D^a^ Oswieczymska fl. 20. A Parocho Wielopolicensi 39. A D° Jordano 10. A D° Blasowski 10. A R. D° Lukomski 10. A D° Targowski 10. A R. D° Zacharia 10. A Dno Slowikowski 15. A quodam 15. A P. Lesiowski 15. A Virginibus mendicantibus 17. A Mathia Aurifabro 24. A Virgine Szydlowska 10. A D° Miaskowski antiqui debiti fl. 130, sed id non computatur. A variis aliis plusquam 80. Rerum perceptarum in piscibus, carnibus et aliis minutioribus erat fl. 87.

33. Discessus P^is^ Obricii Staniątkos.

P. Sigismundus Obricius rebus variis Cracoviae ordinatis et provisione alimentorum pro iis, qui domi sub id tempus pestis essent mansuri, relicta, prima Augusti cum Mathia Kraiecensi aurifice discessit Cracovia Staniątkos, quo erat ab Abbatissa [4]) illius monasterii invitatus et inde omnibus nostris et iis, qui Cracoviae manserant, et aliis, qui apud varios Benefactores morabantur, prospiciebat identidemque utrosque visitabat. Porro manserant Cracoviae tempore pestis ex sacerdotibus: P. Valentinus Rusconius Superior, P. Stanislaus Zabielski, P. Joannes Ponecius, P. Martinus Kossowski, P. Baltazar Bieniaszewicz. Ex fratribus autem Nicolaus Rubinkowski (qui per errorem ex pago missus erat Cracoviam) Lector ad mensam, Lucas Klein Vestiarius, Laurentius Sebastianowicz Emptor, Laurentius Opoczno Janitor, Martinus Okręglicki Credentiarius, Matthae-

Qui ex nostris Cracoviae tempore pestis manserant.

[1]) Paulus Wołucki. [2]) Joannes Wężyk.
[3]) Thoma Oborski. [4]) Anna Caecilia Trzcinska.

us Dębinski Infirmarius, Michael Samerzewo, ex pago remissus a D° Pipano, Sacristianus. Constitutum erat initio, ut tantum septem ex nostris et duo ex externis domi nostrae toto pestis tempore manerent, sed quia nonnulla loca, ad quae nostri erant designati, iam erant infecta et aliis expectantibus occasionem non tutum iam erat Cracovia egredi ob pestem saevientem, ideo ex externis et ex nostris plures manserunt quam debebant Externi enim, qui nobiscum tunc apud S. Barbaram manebant erant hi: Felix Braxator et Lotor, Gregorius Pistor, Thomas Bonkowski socius Infirmarii, Thomas alter socius Sacristani, Albertus Hasknecht, qui tamen post medium Septembrem in S. Stephano manere coeperat, ut sequenti mense patebit. Iam nostri, qui domo abierant, ita erant distributi: P. Joannes Wielewicki cum Matthaeo Zberowski Romam iverat, P. Sigismundus Obricius cum Mathia Kraiecensis mansit Staniątkis, P. Fridericus Szembek cum P. Joanne Zaluscio in Luczice apud D. Gabrielem Szembek, P. Krzywokolski Stanislaus cum P. Agapito Dabrowski Karniewicis apud D^m Pipanum, P. Michael Ponecius cum P. Joanne Zegocki in Garlica apud D^m Szydlowski, P. Petrus Kamocki cum P. Jacobo Golimowski apud D^m Borzykowski in Kamyk, P Stephanus Wągrowski cum Cypriano Vielunensi Siemichowi apud D^m Farurei, P. Joannes Sepielcius cum Petro Sobanski Czaiewicis apud D^m Joannem Wisembergum. Non abs re etiam erit annotare ea, quae nostri sub tempus pestis Cracoviae manentes usurpaverint, ne tam cito inficerentur. Nam iis omissis, quae animam ad omnia pericula pro Deo, pro obedientia et pro salute proximorum muniebant, ut erant Confessiones Communiones aliaque id genus, ea, quae prae arcenda peste faciebant, haec erant. Domi et cervisiam coquebant et indusia aliaque varia lavabant. In templo seiuncta confessionalia eaque in fenestellis vitro et charta munita habebant. In refectorio separata loca assignata cum servetis separatis singuli retinebant Quotidianae eaeque fere perpetuae erant fumigationes domi et ignis fere perpetuus ante portam in area. Qui ibant ad confessiones, sive ad templum nostrum sive ad externos, euntes ac redeuntes praeservativas accipiebant. Mutabantur vestes et eae, de quibus aliqua erat suspicio, comburebantur, sicut et aliae res lineae. Claves a nostris infectis, priusquam reciperentur, in ignem mittebantur. Excitator non aperiebat cubicula nec visitator, sed quilibet ex publico curritorio ignem accipiebat et ipsemet in cubiculo extinguebat. Et nostri et ex familia, si aliqui infecti fuissent, statim separabantur et iis omnia remedia diligenter adhibebantur. Commendatio aminae et officia defunctorum separatim in cubiculo vel in templo a quolibet dicebatur, mortuo aliquo nostro. Concio in templo non habebatur ex suggestu, sed ad altare maius, ad quod asseres erant positi bonam distantiam facientes. Eucharistia distribuebatur ita, ut famigatio illi supponeretur et nulla ablutio dabatur. Cantata Sacra non habebantur, sed semper lecta, ne scholares, qui ordinarie passim et incaute discurrunt, et se et alios inficerent. Mortui peste ex nostris non in communi sepulchro, sed extra illud, in templo tamen nostro sepeliebantur, externi vero ex familia nostra in coemeterio B^mae Virginis. Si cum tot cautelis tres nostros et duos externos pestis nihilominus sustulit, de quibus infra agemus, quid factum fuisset, si nihil horum adhibuissemus?

Cur tam multi manserint.

Qui externi nobiscum Cracoviae manserint.

Varia loca ad quae alii nostri Cracovia discesserant.

34.
Ad arcendam pestem cantelae nostrorum.

Sacrum menstruum Sodalitatis Misericordiae.

Dominica 13ª post Pentecosten, quae in 14ᵃᵐ Augusti inciderat, Sodalitatis Misericordiae Sacrum cantatum in templo nostro fuit, praesentibus Dᵒ Abrahamo Ronenbergo et Proconsule et plurimis aliis civibus, qui etiam ad consuetum Offertorium ibant, sed intra septa. Sequenti die, in festo Assumptionis Bᵐᵃᵉ Virginis, valde multi utriusque sexus ad Communionem et Confessionem convenerant etiam adeo periculoso tempore.

Invisit P. Obricius domum S. Barbarae.

Invisit P. Sigismundus Obricius nostros Cracoviae (quia adhuc domi omnia erant tuta) 17ª huius mensis et de variis cum P. Valentino Rusconio contulit, invisit et alios nostros Czaiewicis apud Dᵐ Wisenbergum ac postea Staniątkos rediit.

Eleaemosyna Augusti.

Eleaemosyna per Augustum mensem sicut et per alios sequentes ob absentiam Benefactorum, qui metu pestis Cracovia discesserunt, non adeo poterat esse copiosa. Accepti tamen hoc mense in pecunia fl. 71, nempe ab uxore Dⁱ Gregorii Romanowski post eius mortem fl. 20. A quadam Barbara Bednarska ex cellario domus Podchristophor dictae nonnihil argenti, quod 26 fl. venditum erat. Ab aliis fere 25. Res submissae fl. 17 constiterunt.

35. Dˢ Woinicki Consul praedones nocturnos punit. Vespiliones 12 pictas vestes ferre iubet, ut agnoscerentur.

Circa initium Septembris, cum plurimi ob pestem Cracovia emigrassent, nocturni praedones variorum domos invadere et spoliare coeperunt. Ivit his obviam Dˢ Woinicki Proconsul et medicinae Doctor, qui perditos istos homines captos, alios capitis poena, alios carcere et compedibus punivit omniaque quietiora reddidit in civitate. Idem vespilionibus duodecim vestes curavit depictas ligonibus, pallis, calvariis mortuorum, ut omnes eos noscerent et caverent. Iisdem severe iniunxit, ut fideliter quolibet die referrent numerum eorum, quos ubicunque sepelirent. Certa vero illis merces in singulas hebdomadas erat concessa.

Nostri 8 Martyres in Japonia. 1ᵘˢ Carolus Spinola Comes Tassaroliius. Aetas eius in Societate. Vita eius impressa.

Nangasachi in Japonia 10ª huius mensis celebre martyrium, inter alios religiosos et saeculares, subierunt octo ex Societate nostra, atrocissimo lenti ignis supplicio exusti septem et octavus capite trancatus. 1ᵘˢ erat Carolus Spinola, Italus Genuensis, ex progenie Comitum Tassaroliorum. Qui natus anno 1564 et ingressus Societatem anno 1584, 23ª Decembris, Nolae in Provincia Neapolitana, octo et triginta annos in Societate vixit, ex quibus fere triginta tum in missione Cremonensi et in Lusitania, tum in Brasilia et in insula Portoricco, tum potissimum in Japonia, in qua plusquam 20 annis in Japonibus ad Christi fidem adducendis felicissime laboravit ibidemque pro eadem fide Christi horrendam lenti ignis carnificinam incredibili fortitudine subiit. Prodiit vita eius a P. Fabio Ambrosio Spinola italice scripta et proceribus gentis Spinolae dicata, Romae 22ª Novembris 1628, et postea a P. Hermanno Hugone latine reddita ac Antverpiae 1630[1]) impressa, utroque Societatis Jesu sacerdote. Ad eam in omnibus remitto lectorem sicut et ad litteras anni 1622 ex Japonia Romam de hoc negocio missas et praelo vulgatas, imo sicuti in alias linguas, ita in Polonicam nostram translatas ac Posnaniae anno 1625 impressas sub titulo tali: »Widok Statecznosci Japonskiey, przez którą sto osmnascie Zacnych Męczenni-

[1]) Probatur iterum hac citatione anni 1630, nostrum Wielewicium res gestas anni 1622 post annum citatum scripsisse.

w okrutnemi mękami dla Jezusa Chrystusa Zamordowani przez miecz, ogień wodę Korony Chwały nieśmiertelni dostąpieli etc«.

2ᵘˢ P. Sebastianus Chimura, patria Japonius, primus e Japoniis sacerdo- initiatus, nepos illius, quem primum in Japone S. Franciscus Xaverius salu- ibus Baptismi aquis expiavit. Hic Pater, manibus ante pectus in crucem de- ssatis oculisque in coelum sublatis, tanta inter ignes pace ac laetitia patieba- r, acsi sensum funditus perdidisset, cum tamen (uti certis est tabulis testatum) s horas vivus steterit in ardente rogo. Hic triginta annos in Societate vi- ns, ante 20 annos sacerdos primus ex Japoniis factus, mira linguae Ja- nicae facundia, cum maximis virtutibus coniuncta, ad fidem Christi innume- s attrahebat. 3ᵘˢ erat Antonius Fudila, 4ᵘˢ Petrus Zampo, 5ᵘˢ Michael Japon, Thomas Ahazgin, 7ᵘˢ Ludovicus Kawarai, 8ᵘˢ Joannes Hahok. Hi omnes non ant sacerdotes et tres postremi erant Japonii igneque lento consumpti sunt, cepto Joanne Hahok. Quia enim pro 25 Martyribus, inter quos etiam nostri nnumerantur, sive errore aliquo, sive aliquam ob causam, 24 tantum stipites rae infixae erant, ad quos igne lento excruciandi alligarentur, ideo deficiente stipite Joannes Hahok praedictus capite truncatus est. 2ᵘˢ P. Sebastianus Chimura. 36.

Venit P. Sigismundus Obricius, 13ª huius mensis, Staniątkis et in cam- s Cracovienses evocato P. Valentino Rusconio, varia cum illo contulit et non- lla alimenta pro domo reliquit. Dum ex campis redit P. Rusconius, intelligit cillam Virginis Sophiae Benefactricis nostrae, expulsam domo ad campos, eo od infecta esset, ab alia ancilla Reginae Szkrzypkowae, sub eodem tecto ha- tantis [1]). Hinc virgo Sophia in magnas angustias redacta, ab eleaemosyna bebdo- adaria, quam dare consueverat, abstinere debuit per aliquot menses. Venit iterum Staniątkis P. Obricius et evocat ad campum P. Rusconium. Virgo Sophia in augustiis.

P. Stanislaus Kosmatka, in domo Probationis manens, cum ante aliquot s quorundam infectorum confessiones minus caute excepisset, infectus ab iis, ª istius mensis, extinctus est. Vespilliones publici in coemeterio S. Stephani rpus eius terrae mandarunt in fornice subterraneo sacerdotum externorum. us ex nostra familia, Albertus Hansknecht, illa ipsa die iverat ad S. Stepha- m, ob bovem mactandum, sed mortuo P. Kosmatka ibidem mansit; nobis im non erat tutum eum acceptare tali rerum statu et ipse videns nostrum riculum petiit, ut ibidem maneret persolutumque illi erat debitum stipendium. nte tres dies cum P. Kosmatka iam infecto (quod tamen non adverterat) P. artinus Kossowski familiariter colloquebatur et illi assidebat, sicque Deus mi- biliter domum hanc custodivit, dum P. Kossowski et ipse pestem non attraxit alios, postquam domum rediisset, non infecit. Eadem praeterea die, Chwino- mae in Japonia, non multum a Firando, igne exusti pro fide nostri duo: P. milius Constantius Italus et Augustinus Onda, de quibus vide litteras Japo- cas Anni 1622, quarum fecimus mentionem. P. Stanislaus Kosmatka peste moritur apud S. Stephanum. Albertus Hansknecht ad S. Stephanum relinquitur. Martyrium duorum nostrorum in Japonia.

Anniversaria sacra pro Virgine Barbara Langowna, nostra maxima Bene- ctrice, ante annum mortua, 16ª huius mensis. Cantatum Sacrum extraordina- a P. Valentino Rusconio. Sacerdotes externi decem ad altare S. Ignatii, qui- et in propriis paramentis, Sacra fecerunt, licet unus ex iis Sacro peracto 37. Anniversaria Sacra pro Virgine

[1]) Receptam esse.

Barbara Langa.

eadem die mortuus fuerit. Undique tunc domus S. Barbarae peste infectis cincta fuit, nam et in schola parochiali et in domo Confraternitatis Misericordiae et in domo sacerdotum et in macello multi erant infecti ideoque eo diligentius Dno Deo sese commendabant, quo evidentiora instabant pericula.

Eleaemosyna in libris Dⁱ Petricovii.

Excellentissimus D. Andreas Petricovius Juris Doctor post mortuam coniugem afflictissimus (quam P. Valentinus Rusconius Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis ad extremum vitae muniverat quaeque 28ᵃ huius ex hac vita decessit) ob Deum placandum per eleaemosynam, donavit domui S. Barbarae libros non compactos, plurimos, qui fl. 500ˡⁱˢ sunt aestimati. Ultima Septembris Dᵐ Gregorium Klansznik Proconsulem, in extremis positum, P. Valentinus Rusconius adiit. Confessionem eius excepit et ut sacrosanctum Viaticum ac Extremam Unctionem perciperet, persuasit. Sicque optime dispositus sequenti die, in ortu solis, ex hac vita decessit.

Mors et ad eam praeparatio Dⁱ Klansznik.

Eleaemosyna Septembris.

Accepimus eleaemosynae pecuniariae per mensem Septembrem fl. 75. A Virginae Sophia fl. 13, Ab Episcopo Cracoviensi fl. 24. A Suffraganeo Cracoviensi fl. 10. A variis aliis fl. 29. In rebus comestibilibus accepimus: a virgine Dorothea Rosianka porcum, a Dᵒ Borzykowski anseres 16 et alios 16 a P. Obricio, cum porcellis et aviculis. A Dᵒ Olbrycht vinum et aromata et ab aliis alia minutiora, quae omnia aestimata sunt fl. 28. Res postea vendendae: A Dᵒ Petricovio Juris utriusque Doctore libri fl. 500ˡⁱˢ constantes et Virginis Dorotheae Piskorzewska vestes nonnullae.

38. Pestis coepit in domo Nostri Cantoris.

Inciderat in nonam Octobris menstruum Sacrum Sodalitatis Misericordiae, sed tantum lectum erat, non cantatum ob cantores dispersos post extinctum peste discantistam Siemek, quod 6ᵃ huius mensis acciderat. Legebatur ergo tantum Sacrum de SSᵐᵃ Trinitate et concio habita. Eadem die Dˢ Sigismundus Alans, Pro-Consul civitatis, ipse solus, nemine externo admisso, submissis antea omnibus necessariis, nobiscum in refectorio cibum sumere voluit pro sua consolatione et ut illi felicem impetraremus sui Proconsulatus administrationem, quam aggrediebatur. Non cogitabat hac de re P. Rusconius, sed dissimulandum illi erat, quia nihil adhuc certi de alicuius nostri domestici periculo sciebat. Ecce vero tibi, finito prandio, post discessum Proconsulis Martinus Okręglicki noster frigida febri acutissima corripitur, quam pestilentialem fuisse exitus docuit et post eam statim virium prostrationem experitur. Separato statim a caeteris nostris et assignatis duobus, qui eius curam gererent, uno nostro Charissimo Matthaeo Dębinski externo, altero Thoma Bonkowski, plurima remedia illi adhibita, sed sine fructu. Apparente enim apostemate in femoris dextero, 14ᵃ istius mensis, munitus prius Eucharistiae et Poenitentiae Sacramentis, ante meridiem peste extinguitur et subsequentis noctis hora 5ᵃ in templo nostro prope scamna feminarum sepelitur, non in communi nostrorum sepulchro. Erat is Minor Polonus, nobilibus parentibus natus, annos aetatis habuit 62, ex quibus 29 in Societate consumpsit, nam maturus iam, nempe 33ᵐ annum agens, Societati nomen dederat. Ad omnia coadiutorum munera erat idoneus, unde Emptoris, Infirmarii, Janitoris officio multis in locis perfunctus est, sed potissimum variis Patribus in missionibus versantibus per aliquot annos assignabatur. Tempore etiam belli Moschovitici in Moschoviam cum uno Patre nostro iverat. Coadiu-

Dˢ Alans nobiscum cibum sumit.

Martinus Okręglicki peste infectus.

Moritur.

Eius Patria.

Munia in Societate.

...r temporalis formatus anno 1606 in Novembri. Singularis in eo morum gra- Virtutes.
...tas et in oratione assiduitas elucebat. Undenam pestem hausisset, nihil qui-
...dem hucusque haberi potuit, probabile tamen est eum, dum cum aliquo Patre
...ad infectos mitteretur, inde contraxisse. Illi, qui eius curam gerebant, sicuti an-
...te, ita et post mortem eius erant separati ab aliis et vestes mutarant, priori-
...bus, quas habebant, exustis.

Prodiit Viennae 21ª istius mensis decretum Caesaris Ferdinandi II de unione Collegii Viennensis Societatis Jesu cum Academia Viennensi, cuius illae sunt conditiones: 1ª Ut Universitatis privilegia et immunitates et iurisdictio etiam post unionem intacta maneant. 2ª Ut in Iuridica et Medica facultate nihil immutetur, imo eius Professoribus salaria augeantur. 3ª Ut Patres Societatis secundum suum institutum Studia humaniora Philosophiam ac Theologiam profiteantur, non exclusis tamen aliis Academiae Professoribus, quorum electio confirmatioque in antiqua debet manere forma, licet Societas suos Professores eligere et constituere debeat. 4ª Disciplina et correctio Studiosorum, qui Societatis Patrum lectiones audient, erit penes Societatem (exceptis causis criminalibus) sicut et directio Seminariorum. 5ª Collegium Societatis omnimodo ad Universitatem transferri debet ibidemque translatum in perpetuum maneat. 6ª Societati Collegium Archiducale, Bursae aedificia ad universitatem spectantia, sicut et schola Provincialium (exceptis tamen Iuristarum et Medicorum gymnasiis) tradantur, ita tamen ut ad auditorium Theologorum etiam aliis Theologiae Professoribus liber pateat accessus suo tempore. 7ª Fundationes, redditus ac stipendia Bursarum et ius conferendi active et passive in antiquo statu permaneat. 8ª Patres Societatis ex aedibus, quae illis tradentur, debent Collegium cum scholis et templo accomodare ac instaurare. 9ª Omnes promotiones et gradus debent in Universitate fieri in locis consuetis et solitis. 10ª Praepositus Viennensis apud S. Stephanum erit semper, uti hactenus erat, Cancellarius Universitatis. Singulae Facultates suum, cum authoritate ordinaria, peculiarem habebunt Decanum, sic tamen, ut Decanus Artisticae facultatis a Societate constituatur. Decani Theologicae facultatis constitutio in antiquis sit terminis. Rectoris Academiae authoritas in omnibus permaneat. Is eligi debet primo Semestri ex Doctoribus Theologiae, qui vel Rector Societatis sit vel alius quispiam extra Societatem. Secundo Semestri Doctor Iuris, tertio Doctor Medicinae, quarto demum, cum rectoratus Artificam facultatem contiget,

39. Unionis Collegii Viennensis cum Academia conditiones.

De Cancellario, Decanis,

Rectoribus Universitatis Viennensis.

Gradus in certis Academiis acquisiti in eadem debent acceptari.

erit tunc is Academiae Rector, quem Societas Rectorem Collegii habuerit constitutum. Additum insuper, ut ad gradus litterarios promoti in Pragensi, Graecensi, Olomucensi et aliis Academiis, ab ipso Imperatore vel eius antecessoribus fundatis, vel tum ab illo vel tum a successorribus fundandis, ita acceptentur, ac si in hac Universitate essent promoti.

40. Michael Samarzewo peste moritur. Eius officia in Societate.

Martinum Okręglicki secutus est Michael Samarzewo, 24ª huius mensis peste extinctus, sub tempus coenae. Natus is erat in Maiori Polonia. Ingressus Societatem 18ª aetatis anno in eaque vixit annos 29. Janitoris, Dispensatoris, Emptoris, Vestiarii et Sartoris munia obivit, sed plurimis annis Sacristianus in variis locis erat. Factus Coadiutor formatus temporalis anno 1595 2ª Augusti. Ab aliquo illorum, qui serviebant Martino Okręglicki infecto, putatur et ipse infectus. Efficacissima, quae putabantur contra pestem medicamenta, sunt illi data, quibus sex fere diebus eius vita prolongata videbatur, nam 17ª huius coeperat male valere. Vicit tandem pestilens vis morbi et praedicta, dum illi coena adferebatur, ad Coenam vitae aeternae transivit munitus consuetis Poenitentiae Eucharistiaeque Sacramentis. Sepultus circa medium templi, ubi antea crux lignea stabat, eum enim locum suae sepulturae, si voluntas Superiorum accederet, sibi designaverat. Inter varias virtutes elucebat in eo externa ac interna modestia, ob quam et nostris et externis valde gratus erat. Post duas horas eiusdem noctis R. D. Simon Gierlakowski, Sacristianus templi parochialis Beatissimae Virginis, secutus est ad alteram vitam Michaelem nostrum Sacristianum Sacristianus. Sumebat per tempus pestis a nobis victum, quem postea solvere debuit, nam ex civitate eam sumere ob pestem non audebat iamque debebat pro eo nobis fere 30 fl. Absque dubio satisfecisset abunde, si supervixisset. Quamquam a multis annis varias eleaemosynas nobis submittens, ut ex Rationibus constat, etiamsi non compensasset, dignus erat, ut ei tali tempore praedictam beneficentiam exhiberemus.

Eius sepultura sub cruce.

Sacristianus Bmae Virginis similiter peste moritur.

In novitiatu Thomas Nykowic moritur.

Thomas Nykowic, Coadiutor Novitius in domo S. Stephani, coquum agens domesticum, peste 26ª istius mensis moritur, de quo in historia S. Stephani plura videnda.

Eleaemosyna Octobris.

Pecuniaria eleaemosyna mensis Octobris erat florenorum 28. A Dº Joanne Wissemberg fl. 20. A variis aliis fl. 8 Res perceptae sunt fl. 26, nempe a P. Kamocki procurante apud Dm Borzykowski, butyrum, casei, farina. A Monialibus Staniątkoviensibus crematum, et alia ab aliis minutiora. Miserat etiam Dª Bobrownicki panes pro pauperibus, qui omnes ad portam sunt distributi. In die Sanctorum omnium, sicut in vigilia eiusdem festi, ingens apud nos fuit multitudo pro Confessione et Communione, in utraque permixti sani infectis. Quamvis enim nostri graviter et in concionibus et in confessionibus obiurgarent eos, qui scientes se infectos, ingererent se non infectis, non poterant tamen id impedire, maxime cum nostrum tantum templum, inter omnia fere Religiosorum templa clausa, apertum esset et in eo nostri Confessiones exciperent.

41. Festo SS. Omnium magnus concursus.

Hac ipsa die in Japonia 4 nostri Martyrio affecti. 1us P. Petrus Paulus

Navarreus, qui 36 annis contra idololatriam in Japone pugnavit et ad fidem catholicam Japonios adducebat, pro quo labore igne exustus est vivus. 2us erat Dionisius Sanday, 3us Petrus Sandai, 4us qui erat socius indivisibilis Pis Camilli, de quo supra n. 36 et cui nomen non ponitur. De his tribus in epistola Japonensi anno 1622 hoc tamen dicitur, quod sint secuti in morte P. Navarreum et nihil amplius.

Dus Biderman 6a huius mensis Proconsulatum suscipiens, sicut maximam curam pauperum habuit, quorum 200s ad hospitale S. Sebastiani congregavit, victum illis procurans et verecundis 30 civibus, ne mendicare cogerentur, sustentationem constituit, ita in latrones et praedones severissimum se ostendit, ut pauci ab illo vel supplicio extremo affecti vel compedibus vincti, ad varios labores sunt applicati. Unde securam civitatem et latrociniorum expertem conservavit. Nobis etiam apud S. Barbaram manentibus variam benovolentiam ac beneficentiam verbis et reipsa declaravit.

Dus Biderman multa bona in Proconsulatu perficit.

Dominica 26a post Pentocosten, quae in 13am huius mensis inciderat, et dedicatio templi et Sacrum Sodalitatis Misericordiae et plenaria indulgentia mentrua apud nos peracta. Sacrum tamen cantatum nullum fuit, ne vel inficerentur, vel alios cantores inficerent. Candelae tamen duodecim, per quatuor lecta Sacra accensa, in parietibus templi manebant.

Dedicatio templi nostri et aliae solennitates sine Sacro cantato.

Nicolaus Wawrzynowicz Novitius in S. Stephano peste obiit, 16a huius mensis.

42. Nicolaus Novitius moritur peste.

Dum nostri iam de Matthaeo Dębinski separato deliberant, utrum inter reliquos admittendus esset, quandoquidem nihil in eo pestis appareret, significat ipse male se esse dispositum 15a huius mensis et post duos dies ulcere pestilentiali in dextri pedis talo comparente, 17a istius mensis moritur. Servierat maxima cum charitate et Martino Okręglicki et Michaeli Samarzewo ab iisque infectus erat. Maior Polonus is erat, ex districtu Dobrzinensi. Ingressus Societatem anno Dni 1612, aetatis anno 20, et sic ex 30 annis, quibus vixit, decem in Societate consumpsit Coadiutor temporalis. Coci, Infirmarii, Sacristiani officia variis in locis peragebat. Ob ingenuos mores et raram virtutem, ob aetatem florentem, vires fortes, maximam in obsequiis Fratrum alacritatem, maximum sui desiderium reliquit. Mortuus autem est circa meridiem, cum antea eadem die et Confessionem ipsi P. Valentino Rusconio fecisset et ab eodem Sanctissimam Eucharistiam allatam sumpsisset ac plenariam indulgentiam accepisset. Sepultus in templo nostro, a duobus mendicis externis, inter nova confessionalia et nova subsellia mulierum.

Matthaeus Dębinski similiter in domo S. Barbarae. Patria eius. Aetas. Munia in Societate. Magnum sui reliquit desiderium.

Allatum decretum Roma 19a huius mensis a Congregatione Rituum, ut facultas benedicendi res sacras, in quibus unctio non adhibetur, delegari possit ab Archiepiscopis et Episcopis Regni Poloniae. Relatum est in Synodales recens impressas idem decretum, quod vide fol. 417.

Facultas benedicendi res sacras etc. potest delegari in Polonia.

Octavo die post mortem Charissimi Dębiński, nempe 24a istius mensis, Gregorius Pistor externus, ex nostra familia, peste similiter extinctus est et a vespillonibus in coemeterio Bmae Virginis sepultus.

Gregorius Pistor externus moritur.

Litterae Basilii Golinii Rectoris Academiae contra Societatem. Contra quas Borastus scripsit libello impresso latino.

Basilius Golinius, Academiae Cracoviensis Rector, sub hoc tempus pestis dum Bronovicis moraretur, litteras dedit 26ª huius mensis, tum ad Sochaczeviensia tum ad alia Comitiola et eorum Marsalcum, nomine Academiae contra Scholas Societatis nostrae et contra nostros contumeliosissimas et quibus Nobilitatem contra nos concitare contendit. Respondit his litteris, sequenti anno, Gregorius Borastus Regius Sacellanus, Secretarius et Bibliothecarius, ut suo loco patebit, cuius liber prodiit Bransbergae tali titulo: Ventilatio litterarum, quas Basilius Golinius Academiae Cracoviensis Rector ad Sochaczeviensem aliosque aliquot Nobilitatis Poloniae conventus, ante publica Regni Comitia habitos, scripsit de Patribus Societatis Jesu ad Academiam Cracoviensem non admittendis, facta a Gregorio Borasto Utriusque Iuris Doctore, Regio Sacellano Secretario et Bibliothecario Bransbergae Typis Georgii Schonfels Anno 1623. Contra easdem litteras scripsit R. P. Stanislaus Zakrzewski polonice tali titulo: Proca Dawidowa piącią kamieni uzbroiona. Sed quia non tam contra Golinium, quam contra totam Academiam iste libellus prodierat, non satis felicem habuit successum, imo multas acerbas Academicorum responsiones subiit, ut suo loco fusius dicemus. Porro litterarum Basilii Golinii polonicarum (quas et latine conversas initio sui libelli posuit praedictus Borastus) talis est tenor: Msciwy Panie Marszałku. Z Ichmciami pospolu Naszemi Msciwymi Pany. Academia Krakowska iako zawsze pod opieką i zasłoną Ordinum Regni beła, tak teras od swoich Adwersarzow uciśniona, u WW. Naszych MM. Panow ratunku y obrony ządliwie prosi. Oicowie Jezuitowie iako wszedzie tak y w Academiey byc chcą, y onę zgubiwszy, swoie szkolki rosposcierac usiełuią. Na co gdy im wszelakie sposoby, dziwnie wymyslne, nie poszły, tego roku iusz gwałtem (na armate się zdobywaiąc) dysputy zaczynali. W czym wielką nieprzystoiność łacno każdy uważy, nietelko że gwałtem się wdzieraią et per armatam potentiam (gdzie pod postawą pokorną wniść nie mogli), ale się tesz tego powazaią nad assecuratią K. J. M. którą nam dał na blisko przedtym Seimie przez J. M. X. Arcibiskupa Gnieznienskiego, Regni Primatem, że nic attentowac nie mieli, azby o tem sententia Seimu stanęła (falsum id est, negat enim Archiepiscopus, se tale responsum aliquando dedisse, cum id negocium ad Comitia non pertineat). Zaczym na taką ich chciwość Politici patrząc w głos mowią (czego my o nich iako o ludziach zakonnych nie rozumiemy), że oni

43. Et polonice Stanislaus Zakrzewski, non felici successu.

Litterarum Golinii tenor.

Falsa crimina nobis imponit et violentiam.

Falso asseritur data Assecuratio.

Avaritiam et Calimachiam nobis imponit.

przez te swoie szkoły wioski chwytaią, a nieba ludziom palcem ukaziąc, sami obiema rękami swieckie dobra łapaią, Calimachią iakąś ulaleka na szyie slacheckie zaciągaiąc. My im życzemy, aby beli beati et florentes w Kosciele, ba y w swoich szkołach, których iusz tak gęsto nasadzili, ze po chwili y Klechy ze wsi wyganiac muszą, ale przy tym prosimy, aby się w kącik nasz starodawny y ubogi (w którym pod dwieście lat za maluchnym nadaniem wiernie R. P. służymy) nie wdzierali. Czego u nich wyprosić nie mogąc, do WW. się naszych MM. Panow uciekamy, gorąco y usilnie prosząc, aby to WW. ich MM. Panom Posłom miedzy puncta polecić raczeli: żeby ci Oicowie sposobami swemi arcymisternymi Akademiey gubić zaniechali. Co gdy będzie, y szczescie Swiętych Przodkow Pan Bog WW. przywroci, y libertates WW. aliquando respirabunt. Oddaie się przy tym y z Akademią w łaskę WW. Naszych M. Panow. Z Bronowic pod tę rosypkę Krakowską dla Powietrza 26 Novemb. A. 1622 WW. Naszych MM. Panow Sługa powolny Basilius Golinius Rector Acad. Cracovien. mp. Inscriptio harum litterarum talis erat: Naszemu wielce Mciwemu Panu Je Msci Panu Marszałkowi Z Ich Msciami pospołu Naszemi Mciwemi Pany na Seymik zgromadzonemi w Sochaczewie etc. etc. od Akademiey Krakowskiey pilnie a pilnie należy. Hucusque litterae Golinii, quas tamen Golinius, ut sequenti anno 4ª Martii videbimus, negavit se scripsisse. Afferuntur et aliae litterae eiusdem similes, sed hae sufficiant.

Multitudinem nostrarum scholarum sugillant.

Auxilium nobilitatis contra nos postulant.

Et in invidiam coram ea nos vocant.

Inscriptio litterarum.

Mortuus hoc mense, seu 20ª huius, insignis Domus S. Barbarae Benefactor Paulus Wolucki, Episcopus Cuiaviensis, Ravensis Collegii Fundator, Camenecensis, Luceoriensis, Gedanensis Promotor et multorum aliorum huius Provinciae nostrorum domiciliorum ac omnium Nostrorum amantissimus parens. Et tunc, dum Episcopus Camenecensis esset, Abbatiam simul Mogilensem administrans, et cum ad Luceoriensem et postea ad Cuiaviensem episcopatum promotus esset, varias eleaemosynas nostrae domui submittebat, nempe 200ª florenos quolibet anno, praeter alia non pauca in rebus, quibus identidem nobis subveniebat, non contentus jis beneficiis, quae plurimis in locis aliis nostris conferebat. Mortuus autem est, postquam ad mortem consuetis Sacramentis optime sese communivisset et plurima in opera pietatis distribuisset.

44. Moritur Paulus Wolucki Episcopus Cuiaviensis Maximus noster Benefactor in variis locis.

Ab aliquot annis manebat penes illum (id enim sibi a R. P. Provinciali impetraverat Episcopus) P. Petrus Fabricius noster, qui quarto post Episcopi

Moritur P. Petrus Fa-

bricius Episcopi confessarius. Varia eius munia in Societate.

mortem die, ipse etiam ex hac vita mortali ad illam immortalem transivit. Magnus is erat vir in Societate et plurimis annis in gubernatione variis in locis detinebatur; nam Collegii Pultoviensis, Jaroslaviensis, Residentiae Torunensis, ad cuius etiam initium erat missus, Collegii post Calissiensis, domus Probationis Cracoviensis erat multis annis Rector; post Praepositum Provincialem ac deinde Praepositum S. Barbarae agebat, demumque circa finem vitae, primo penes Andream Opalenski, Episcopum Posnaniensem, et deinde penes Paulum Wolucki praedictum morabatur. Erat etiam Minister Collegii Vilnensis quinquennio. Docuit Syntaxim medio anno Bransbergae, Vilnae uno anno, Humanitatem medio, ubi etiam fuit studiorum Praefectus fere per unum annum. Erat vir magnae orationis et cum Deo coniunctionis ac simul mortificationis tam externae quam internae amantissimus, disciplinaeque religiosae tum in se tum in aliis tenacissimus, maxime dum alios gubernaret. Zelus singularis animarum in eo apparebat, dum perpetuo fere, quocumque venisset, concionibus faciendis et confessionibus excipiendis daret operam. Convertit in linguam Polonicam duos illos Cardinalis Bellarmini spirituales libros de Gemitu Columbae et septem verbis Christi in cruce et alia nonnulla parabat, quae mors superveniens non permisit, ut perficerentur. Natus est in Maiori Polonia in pago Zadzim. Ingressus Societatem Bransbergae, anno Dni 1570, 14ª Maii, in qua per 52 annos vixit. Factus Scholasticus approbatus Pultoviae, anno 1572 in Maio. Factus Professus 4 Votorum Niesvisii, 6ª Augusti, anno 1590 in manibus Pⁱˢ Joannis Pauli Campani Provincialis. Mortuus Vratislaviae[1]) in oppido Episcopi Cuiaviensis, 23ª Novembris ibidemque in sepulchro Suffraganei Cuiaviensis est sepultus. Volentibus enim nostris, qui Torunio venerant, cadaver eius Torunium devehere, non permiserunt Praelati Vratislavienses[2]).

Variae eius virtutes. Libri in Polonicum ab eo conversi. Patria. Aetas Societatis et gradus. Sepultura.

Eleaemosyna Novembris.

Eleaemosyna mensis Novembris erat florenorum in pecunia 115. A Joanne Jazowski fl. 80. A Dº Biderman Proconsule fl. 20. A Dº Alans fl. 10. A quadam Catharina Virgine fl. 5. Res submissae fl. 14 aestimatae; nempe a Dº Petricovio pisces, panes, vinum. A Dº Szydlowski crematum, avena. Miserat Dª Gabriel Szembek ad S. Barbaram pro pauperibus panes 180, pultes hordeaceas et ciceris coretos tres, pisorum coretum unum et medium. Miserat etiam Dª Paczek panes 200. Quae omnia sunt distributa pauperibus, viduis, artificibus egenis etc.

45. Thomas Bonkowski externus noster famulus peste moritur. Optime de nobis meritus.

Thomas Bonkowski, famulus noster externus, cum coepisset prima huius mensis male haberi, ita vehementis pestis venenum eum occupavit, ut vix duobus diebus postea supervixerit, nam circa mediam noctem 3ª huius mensis mortuus est, nec quidquam profuerant preciosa medicamenta illi data. Servivit is tribus nostris Fratribus peste extinctis: Martino Okręglicki, Michaele Samarzewo, Matthaeo Dębinski. Servivit praeterea ad fabricam S. Petri annis 13 et in praediis Collegii Torunensis annis septem, semperque se bonum, fidelem et de nobis egregie meritum exhibuit. Sepultus per vespiliones in coemeterio Bmae Virginis ante templum S. Barbarae. Conductus erat unus externus, qui in morbo illi serviret. Uno die ante mortem Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae sese

---

[1]) Vladislaviae. Włocławek. [2]) Vladislavienses.

muniverat, quae toto tempore pestis simul cum nostris fratribus singulis septimanis frequentabat.

Festum S. Barbarae sicut et antecedentem Dominicam 1am Adventus cum reliquis sequentibus sine cantatis Sacris expedivimus, quia necdum tutum erat cantores convocare etc. — Festum S. Barbarae.

Eadem die responsum Roma habuimus, non posse domum Professam ex Domibus penes hortum sitis ullum censum, etiam ad aliquod tantum tempus, pro eodem horto reparando accipere, quia hoc esset genus reddituum, qui sunt omnino interdicti domibus Professis. — Nullos census ex hortis domibus accipere possumus.

Dus Gregorius Rudkowski reddidit votum, argenteam nimirum tabellam, ad altare S. Ignatii, 5a huius mensis, dataque illi recognitio in scripto, eam acceptam esse, a P. Valentino Rusconio. — Votum Bo Patri appensum.

Circa festa Natalis Dni a 24a ad 28am quia iam pestis remittere coeperat, magnus ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistae concursus in nostro templo fuit.

Praeter istos, qui domi mortui sunt, quos supra retulimus, ex iis, qui extra domum manebant, obiit solus P. Sigismundus Obricius, Vice-Praepositus domus, 30a istius mensis. Erat is Maior Polonus, Petricoviae natus. Ingressus erat Societatem Bransbergae, anno 1581, cum aetatis annum ageret 15, in eaque fere 42 annos vixit, sexagesimo enim aetatis anno vita hac mortali vivere desiit. Studuit in Societate Rhetoricae anno uno, Philosophiae annis tribus, Theologiae annis quatuor. Docuit a schola infima ad Poeticam inclusive, annis octo. Praefectus Studiorum erat anno uno. Collegii Lublinensis et Luceoriensis Rectorem agebat annis fere tredecim. Concionatus in variis locis annis sex, ut interim taceam missiones longioris temporis, quas obibat, praecipue cum Paulo Wolucki Episcopo tunc Luceoriensi, cum quo et Romam iverat, et Andrea de Bnin Opalenski, Episcopo Posnaniensi: apud utrumque enim plusquam duos annos consumpsit iisque ad res varias praeclare agendas magno incitamento fuit. Quia vero Luceoriam sub illud tempus missus fuerat, ad initia illius Collegii ponenda, quo Regnum Poloniae atrocissimo civili bello (concitata per quosdam malevolos contra Pientissimum Regem maxima nobilitatis parte) ardebat, mirum et quam multa illi devoranda erant et cum Nobilitate Volhiniae, eius enim Provinciae Luceoria Metropolis est, et cum Venerabili Capitulo Luceoriensi, in quo multi Praelati, pessime de nobis persuasi, omnem movebant lapidem, ne fundatio illius Collegii successum haberet. Prudentia tamen singulari religiosaque mansuetudine omnes difficultates superavit bonus Pr. Obricius successoribusque longe minora superanda reliquit. Post magnam deliberationem et prudentiam, exquisita consilia, res aggredi solebat et postea suaviter ac fortiter ad suum finem deducebat. Hinc Nobiles astuti ac Bonorum Ecclesiasticorum hostes, litibus cum eo agere metuebant, experti eum vix aliquando in hoc genere victum. Rarum talentum conversationis Dominus illi concesserat, ob quod multi, etiam ex Regni Proceribus, libentissime cum eo de rebus conscientiae agere solebant. Venerat Cracoviam fere ante duos annos, quibus licet fere semper valetudinarius esset, quia tamen non decumbebat, egregie illa, quae illi committebantur, exequebatur. Praeposito deinde domus Romam, uti supra dictum est, discedente,

46. Moritur Staniątkis P. Sigismundus Obricius. Patria eius et ingressus in Societatem. Studia in Societate. Varia munia. Missiones.

Labores in fundatione Collegii Luceoriensis.

Prudentia et conversationis talentum.

Nostrorum in absentia dum curat agit

cum sub tempus vices eius obit et tum iis qui domi relicti erant, tum aliis, qui extra domum manebant, prospicit de victu aliisque necessitatibus, sive ob itinerum difficultates, quas frequenter subibat, sive ob curarum molestias, coepit magis in dies debilitari. Evocatur interim (dum Czaievicis apud spectabilem Dum Joannem Wisemberg, Proconsulem Cracoviensem, nonnihil moraretur) ab Abbatissa Staniątkoviensi Staniątkos, apud quam non ita pridem magna reformationis illius Monasterii posuerat fundamenta. Ubi dum id quod coeperat, exhortationibus et confessionibus simul excipiendis, vacans strenue prosequitur, incidit in quartanam duplicem, quae postea conversa in continuam febrim, decem integris septimanis eum lecto affixit ac tandem ad mortem adduxit. Mirum est, quam multa et spiritualia et temporalia auxilia illud monasterium ob bonum Patrem a morbo liberandum adhibuerit, tum continuis orationibus pro eius valetudine restituenda et corporis variis afflictionibus susceptis, tum plurimis pharmacis, magnis sumptibus procuratis et adhibitis. Sed placuit Domino eum ex hac mortalitate educere. Mortuus itaque est Staniątkis, penultima Decembris, postquam consuetis Ecclesiae Sacramentis fuisset munitus et in templo eiusdem monasterii honorificentissime sepultus. Nam praeter varios Religiosos et 40 externos Sacerdotes, tam difficili tempore ex variis locis evocatos, qui omnes pro eius anima Sacra faciebant, uno ex Patribus Franciscanis devotissimam concionem habente; hebdomadarias insuper, menstruas et annuas pro illo exequias piae illae Virgines instituerant easque longo tempore continuabant, nam putabant eum in laboribus, propter illas susceptis, occubuisse.

Et Staniątkis exhortationibus Confessionibusque incumbit. In morbum incidit et moritur. Sepelitur in templo Monasterii Staniątkoviensi honorifice.

47. Remittente peste cantus in nostro templo resumitur. Eleaemosyna Decembris. Annua templi. Nostrorum qui domo aberant varii labores.

Ultima huius primae vesperae de Circumcisione Domini cantari coeptae et sequentibus postea festis ac Dominicis cantata Sacra more consueto habebantur, peste per Divinam gratiam iam non saeviente.

Mense Decembri submissa eleaemosyna pecuniaria fl. 89. A Virgine Sophia fl. 20. A Dō Jacobo Francowic pellione fl. 40. A Dō Alans Proconsule fl. 25. A Virgine Zaszanska fl. 7. Ab aliis fere fl. 6. Res in carnibus, cremato, caseis, piscibus et aliis datae, constabant fl. 20. Templo per hunc annum in pecunia dati fl. 1151. In supellectili sacra fere 150.

Ex iis quae ad certum diem mensis referri non poterant non pauca sunt. Et quidem ii. qui domo discesserant et inter externos per septem fere menses in octo locis, ob pestis luem, morabantur, concionibus faciendis et confessionibus excipiendis eorum, apud quos manebant, strenue incumbebant, ad ea etiam loca, quae erant tuta, identidem excurrebant, non sine magno fructu. Et interruptus sane erat nonnihil ministeriorum Societati nostrae consuetorum cursus, ob pestilentiae labem, decem tamen haeretici et unus schismaticus Ecclesiae sunt reconciliati. A turpi questu corporis similibusque obscoenitatibus 32 abducti. Confessionum totius vitae nullus certus potuit inveniri numerus. Omnes enim in tanto periculo imminentis pestis se constitutos cernentes, aut ea omnia, quae totius vitae decursu se comisisse recordabantur, aut praecipua quaeque per sacram Exomologesim eluere non dubitabant. Quaedam gravissimis obruta sceleribus, dum ter in somno monita esset, ut alicui ex nostris confiteretur (iis enim antea non confitebatur), paruit tandem post luctam multiplicem. Et qui-

Conversio haereticorum et aliorum.

Monita in somnis, ut nostris confitere-

dem dum cum magno doloris sensu confessionem aggreditur, ingenti vi pallium superius detrahi sentit, licet utraque manu fortiter illud detineret, absolutione tamen accepta, et terrore gravi liberata est et pallium immotum advertit. Quaedam ob mariti verbera aliasque molestias, violentas manus dum sibi inferre parat iamque laqueo iniecto sese deiicere tentat, visa muliere, humana specie augustiore, mentis impotentiam obiurgante et laqueum praecidente, gemebunda errorem agnovit, facta coram nostro Confessione. Dissidia inter aliquot paria sopita, ex quibus duo erant, qui duello litem dirimere constituerant In uno loco ex iis, ad quae missiones nostrorum erant instituae, mille hominum confessiones per duos nostros auditae. Moniales duorum monasteriorum exercitiis nostrae Societatis excultae ad eaque egregie sese compararunt, quae illarum institutum exigebat et reformationem diu optatam, obviis ulnis susceperunt. Invocatione S^{i} Pris Ignatii quaedam ex partu difficillimo sortita est facillimum. Nobilis quidam cum uxore per quinquennium sine prole manebat, voto facto Beato Patri nostro, prolem masculum suscepit et ad altare S^{i} Patris in nostro templo tabulam argenteam appendit.

tur, dum morem gerit iuvatur Miraculose alia prohibetur, ne violentas manus sibi inferat. Missiones fructiferae.

Auxilium S. Patris.

Prodigium quoddam in sua templi historia P. Petrus Kamocki hoc anno factum annotat, licet multas necessarias circumstantias non adferat. Dum quaedam foemina festo die (locum in quo id factum non adiungit) panes pinseret, ab uno ex suis monetur, ut tantisper expectaret, donec in Sacro elevatio absolveretur illis verbis vulgaribus: Azby bełо po Bozym ciele. Illa audita monitione, blasphemis vocibus respondet: Takiesz tesz to moie ciałо, quae cum dixisset, illico utraque manus palae, qua in furnum panem inferebat, adeo tenaciter adhaesit et accrevit, ut nulla arte avelli posset. Quia cum palam nonnulli abscindere tentarent, tantum infelix foemina totius corporis dolorem sensit, ac si cor illius vulneraretur. Cognati manifestam blasphemiae poenam considerantes et cognatae compatientes, eam cum pala manibus adhaerente, omnibus qui intuebantur obstupescentibus, per Wieruszyce[1]) Częstochoviam in Octobri vexerunt. Multi id Wieruszycensium ex ore foeminae audientes ac eius vectoris, iurati affirmarunt. An fuerit adiuta Częstochoviae nec ne, nihil tunc temporis sciebatur. Cuias fuerit ista foemina, ex quo pago et quo nomine vocata, non annotavit P. Kamocki.

48. Dum quaedam die festo panes pinsens blasphemat, punitur miraculose.

Ducitur Częstochoviam.

Aliud per modum prodigii idem P. Kamocki annotat, hoc anno factum aliquot hebdomadis post Pentecosten Cracoviae, nempe ingentem parvarum noctuarum numerum tecta nonnullorum templorum et culmina turrium quarundam complesse, tamque noctu, quam media luce, voce lugubri clamitasse. Multis id praesagium videbatur pestis, quae hoc anno plurimis in locis in hoc Regno saeviebat.

Noctuarum parvarum multitudo quid praesagiat.

---

[1]) Wieruszyce est pagus non longe distans a pago Kamyk, ubi P. Kamocki tunc morabatur, ut eodem anno nr. 33 Wielewicki in suo diario significaverat.

Annus Domini 1623.

Mutio Vitellesco Societatis Jesu Praeposito Generali, Georgio Tyszkiewicz Praeposito Provinciali, Joanne Wielewicki et illo in Novembri alio discedente Mathaeo Bembo Domus Professae S. Barbarae Praeposito.

1. Numerus nostrorum. Revocantur ea, quae tempore pestis non fiebant. Concursus ad Sacramenta.

Manserunt in domo S. Barbarae nonnisi 26. Sacerdotes videlicet 16, Adiutores temporales 8, Lectores ad mensam 2.

Die festo Circumcisionis Domini tandem omnia ordinaria in templo nostro more solito fieri coepta et Sacra cantari et conciones ex cathedra consueta peragi, ob pestem iam cessantem. Magnus vero hoc die concursus fuit ad Eucharistiam et Poenitentiam finitoque Sacro cantato, solenniter Hymnus Te Deum laudamus decantatus in gratiarum actionem pro iis, quos Deus a peste conservarat.

In festo etiam Epiphaniae valde multi ex pagis (iis enim, toto tempore pestis, aditus ad templa non patebat) ad nos convenerunt ob Confessionem et sacram Communionem.

R. D. Stanislai Zakrzewski liber pro nobis nullo operae pretio.

Prodiit in lucem, 7ª huius mensis, libellus Apologeticus pro nostra Societate, R. Dⁱ Stanislai Zakrzewski, Canonici Regularis S. Theologiae Doctoris, contra epistolam Basilii Golinii Academici, sed nullo operae pretio, uti superioris anni, 26 Novembris, breviter innuimus, ubi etiam praedictam epistolam de verbo ad verbum posuimus.

2. Mors Pris Leonardi Lessii.

Mortuus insignis vir Societatis, 15ª istius mensis, Leonardus Lessius, natione Belga, patria Brechtanus in Brabantia, vir et singulari virtute et variis scientiis graecis latinisque, maxime vero Theologicis, ornatissimus. Has enim plurimis annis in Academia Lovaniensi, magna cum laude et auditorum frequentia, profitebatur. Extant eius et manibus teruntur eruditissimi libri:

Libri eius varii.

1) De Iustitia et iure caeterisque virtutibus cardinalibus. 2) De attributis Divinis, libri 14. 3) De Decretis Divinis, Libertate arbitrii et Praescientia Dei conditionata. 4) De praedestinatione et reprobatione Angelorum et hominum et De praedestinatione Christi. 5) De summo bono, libri 4. 6) De animae immortalitate et De Providentia Dei, libri 2. 7) De Statu vitae deligendo et Religionis ingressu, quaestiones 12. 8) Consultatio, quae fides et religio sit capessenda et Utrum quivis in sua fide ac religione salvari possit, cum Appendice, qua quaestionibus quibusdam, quae ipsam Consultationem spectant, respondetur. 9) De Anti-Christo et eius Praecursoribus Disputatio Apologetica genuina, qua refutatur Praefatio Monitoria falso Regi Britanniae adscripta 10) De bono statu eorum, qui vovent et colunt castitatem in saeculo. 11) Hygiasticon, seu ratio valetudinis bonae et vitae, una cum sensuum, iudicii, memoriae integritate ad extremam senectutem

conservandae. Subiungitur Tractatus Ludovici Corneri Veneti ex italico in latinum ab ipso P. Lessio conversus.

In festo SS. Fabiani et Sebastiani Martyrum praeter processiones, ad templum S. Sebastiani fieri solitas, variae aliae devotiones in variis templis ac in nostro etiam Cracoviae institutae erant pro peste avertenda.

3. Gregorii Borasti liber pro Societate nostra.

Impressus est Bransbergae liber Gregorii Borasti, utriusque Juris Doctoris, Regii Secretarii et Bibliothecarii, contra Golinium, 21ª istius mensis, cuius 26ª Novembris anni superioris fecimus mentionem et in quo vir doctissimus non tantum praedictum Golinium egregie refutat, sed etiam Societatem nostram singulariter propugnat.

Comitia Regni Varsaviae.

Datum initium Comitiis Regni Generalibus Varsaviae, 24ª huius mensis, quae postea sex septimanis more consueto durarunt. In iis multa erant constituta pro tollenda confoederatione eorum militum, qui ex bello Turcico redierunt et stipendia soluta non habebant, pro cohibenda militari licentia, pro Kozacis in certo ordine continendis, pro moneta mala sensim extirpanda, pro rerum pretiis certis etc.

Redeunt nostri post pestem domum.

Cum iam Cracoviae nihil periculi esset, rediit cum tribus sociis P. Michael Ponecius ad domum S. Barbarae, 25ª huius mensis, curaque domus, tamquam Minister et Superior a P. Obricio ante mortem designatus, P. Valentinum Rosconium liberavit. Redierunt postea reliqui nostri et hoc et sequenti mense.

Debitum solvitur domui pro Dno Homonai.

Reddidit Viennae, 30 huius, P. Daniel Vasarhelini 100 fl., qui supererant ex debito Dni Homonai, cui Praepositus domus S. Barbarae, anno Dni 1620 in Januario 200ª fl. dederat mutuos, ut ibidem annotatum est et alios 100 reddiderat iam antea P. Dobohai. Itaque accepit tunc P. Vasarhelini a P. Joanne Wielewicki Praeposito domus S. Barbarae Cracoviensis, qui Roma redibat et Viennam diverterat, recognitionem acceptorum 200 fl. Quod adeo tarde hoc debitum fuerit restitutum, non alia causa fuit, quam mors inopinata praedicti Dni Homonai, de qua suo loco diximus.

Eleaemosyna huius mensis.

Eleaemosyna huius mensis pecuniaria erat fl. 154. A Palatino Cracoviensi fl. 56. A Mfco Dº Joanne Zebrzydowski[1]) Ensifero Regni fl. 20. A Dº Wizenberg Consulari fl. 20. A R. Dº Trcinski Archipresbytero fl. 12. A Dº Philippo Bibliopola fl. 12. A Mfca Virgine Szydlowska fl. 12. Ab aliis reliqui. Res submissae constiterunt fl. 20.

Legati Academicorum contra nos in Comitiis.

Profecti erant ad Regni Comitia Legati Academicorum Varsaviam, 3ª Februarii, ut contra scholas nostras agerent, sed nihil tunc effecerunt ob multitudinem negociorum, quorum plurima ad sequentia Comitia erant dilata. Erant autem hi Legati: Jacobus Naiman Juris utriusque Doctor, Joannes Petricius Medicinae Doctor et Ustiensis Collega maior ac Procurator Universitatis.

[1]) Filius Nicolai Zebrzydowski [† 1620] quondam palatini Cracoviensis.

4. Redit Roma Praepositus domus cum sociis. Alberti Męczynski reditus in Poloniam commode accidit.

P. Joannes Wielewicki Praepositus Domus, ex itinere Romano, ad quod in Augusto anni superioris sese contulerat, 13ª huius mensis rediit Cracoviam cum suo socio Matthaeo Zberowski et cum Alberto Męczynski, adhuc novitio. Eo enim consilio iusserat Admodum R. P. Noster Praedictum Męczynski Roma discedere, ut in hac Provincia (ad quam suo tempore redire debebat) et aliquot menses, qui in Noviciatu supererant, expleret et studia postea commodius aggrederetur ac difficultates, quae cum cognatis, ratione bonorum intercedere possent, facilius expediret. Et sane id optimo consilio factum, eventus brevi post docuit, fratre germano nostri Męczynski, qui solus restabat, duos fere post annos moriente, ob cuius mortem, ob bona paterna, quae in Albertum Męczynski omnia erant devoluta, plurima eaque non parum intricata negocia intercesserant. Redierat ex eodem Romano itinere P. Joannes Gruzewski, Provinciae Lituanicae Procurator, cum Martino Niedzwiecki suo socio, qui postquam aliquot diebus in domo S. Barbarae quievisset, Varsaviam post discesserat. Post reditum autem suum P. Joannes Wielewicki variis diebus huius mensis reddidit variis communicationem meritorum Societatis, nempe: Dᵃᵉ Catharinae Zurkiewicowa 14ª, Dnae Agneti Stopkowna et Virgini Barbarae Słupska 16ª, Admodum RR. DD. Georgio Tyszkiewicz et Erasmo Kretkowski 17ª huius mensis.

Variis data Communicatio Meritorum Societatis.

Libri Academicorum contra R. D. Zakrzewski.

Contra librum pro nobis Apologeticum R. D. Stanislai Zakrzewski, de quo 7ª superioris mensis egimus, prodierunt tum hoc mense tum sequentibus, tres variorum Academicorum libri Cracoviae impressi. 1ᵘˢ est M. Praeclaide S. Theologiae Baccalaurei et Professoris 18ª huius mensis in officina Mathiae Andreoviensis cum tali titulo: Vindiciae scripto in Academicos F. Stanislai Zakrzewski Ord. Canonici Regularis ad nuncios municipales oppositae. 2ᵘˢ est M. Jacobi Vitellii, Academiae Cracoviensis Professoris et Facultatis Philosophicae Decani, impressus Cracoviae, in officina Francisci Cesarii cum tali titulo: Confutatio convicii a F. Stanislao Zakrzewski Ordinis Canon. Regul. contra Academiam Cracoviensem in Comitiis Warszaviensibus iactati. 3ᵘˢ Liber est sine nomine authoris et sine loco impressionis polonicus, Cracoviae tamen, ut ex typo colligitur, qui addit Facultatem Superiorum, nimirum ad imprimendum, cuius primi duo nullam fecerunt mentionem, tali inscriptione: Tarcza obrony Profesorów Akademiey Krakowskiey przeciwko procy Dawidowey X. Stanisława Zakrzewskiego Zakonnika Canonicorum Regularium. Additum illud psalmi 90: Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis a timore nocturno. In omnibus quidem his libris vix aliquid solidi continetur, praeter acclamationes, exaggerationes et furores, plurimi tamen non solum externi, sed etiam nostri vitio id vertebant R. Dᵒ Zakrzewski, quod in suo contra Golinium libro non solius Go-

1ᵘˢ

2ᵘˢ

3ᵘˢ

5. Quid in libro R. D. Zakrzewski variis displicebat.

linii epistolam confutat (quod diligenter fecit Gregorius Borastes), sed in totam Academiam et in omnes Academicos invehitur. Molestum id erat prudentioribus Societatis nostrae hominibus, maxime cum intellexissent, librum R. D[i] Zakrzewski Calissii, consciis quibusdam nostris minus prudentibus, impressum fuisse, quamvis non defuerint, qui id negarent.

Famosus liber Polonicus contra Societatem.

Sub idem tempus prodiit liber famosus Polonicus contra nostros sine loco impressionis et sine nomine authoris, quamvis typus manifeste ostendat Cracoviae impressum. Ita autem inscribitur: Obzałowanie przeciwko Oicom Iezuitom za Akademią Krakowską przez iednego Alumna teyże Akademiey Szlachcica polskiego na Seym podane. Hic liber brevi cum aliis et ab Episcopo Cracoviensi et a Nuncio Apostolico Lancilloto damnatus et prohibitus est, ut suo loco patebit.

Professio Pii Joannis Siepelcii.

Admissus ad Professionem 4 Votorum P. Joannes Siepelcius, 19[a] istius mensis, quae in Dominicam Sexagesimae inciderat, in templo S. Barbarae, celebrante domus Praeposito. Eadem die peracta Renovatio Votorum, quam ea, quae praecedere solent, praecesserunt.

Oratio Triduana.

Ratisbonae in Comitiis Imperialibus solenni ritu Dux Bavariae Maximilianus Elector Imperii renunciatus est et in locum Friderici rebellis substitutus 26[a] huius mensis, ipsa videlicet Dominica Quinquagesimae. Hac etiam die datum initium in templo S. Barbarae Orationi triduanae, quae more consueto ad 28[vm] huius mensis inclusive est continuata, magna populi frequentia ac devotione

Joannem Baptistam Lancillotum Nuncium Apostolicum novum salutat Golinius Academiae Rector malo successu, quem postea excusabat.

Intererat conclusioni novus Nuncius Apostolicus, Joannes Baptista Lancillotus, qui ante duos dies Cracoviam venerat. Postquam vero de eius adventu cognovisset Basilius Golinius, Academiae Rector, adiit eundem multis Academicis comitantibus et oratione excipere voluit, sed illi oratio sive ob oblivionem, sive aliquam aliam perturbationem, male successit, interrupte enim et inconnexe loquebatur et confusus cum suis abierat. Sexto post die ad Nuncium rediit, excussans se de malo successu salutationis et offerens illi orationem propriam impressam, qua antea Episcopum Cracoviensem Martinum Szyskowski, in primo ad suam Cathedram ingressu, nomine totius Academiae excipiebat. Adiecit deinde se de publicis negotiis velle agere cum Nuncio. Dum assensisset Nuncius, ita rem quam proposuerat est aggressus: Patres Jesuitae Cracoviae docere volunt, quod fieri non potest. Nam vel nostras scholas usurpare vellent et nos cessare deberemus, vel alteram scholam a nostra erigere et sic una

6. Varia contra scholas Societatis loquitur coram Nuncio.

destruet aliam. Rex etiam iuravit, se nostra privilegia servaturum,
Refutat eum Nuncius. quae etiam Nobilitas defendet. Respondit Nuncius, se nondum quidem de negocio informatum, existimare nihilominus et Regem Academiae servaturum iuramentum et Jesuitas non cogitare, ut aliena usurpent et non esse sufficiens argumentum ruinae Academiae ob erectionem Collegii, cum tot exempla sint contraria: imo excitandam ostendebat industriam Academiae per scholas Patrum aemulatione. Addebat denique nullo modo Academiam impedire posse, ut Societas ea, quae voluerit, suis Cracoviae non legat. Contra haec ita Golinius: Magnas artes habent Jesuitae attrahendi ad se omnes, unde si permitterentur pro suis aperire scholas, pro omnibus statim paterent. Subiecit Nuncius: Quare vero iisdem artibus Academici non utantur?
Et ad varias obiectiones Golinii respondet. Addidit deinde: Si suam sententiam vellet cognoscere, putarem D^um^ Golinium, uti Rectorem, praecipuum debere esse autorem scholarum Cracoviensium Societatis. Vel enim Patres Societatis habent excellentem doctrinam, vel non. Si non, cur ab iis timetis? Si habent, cur doctrinam excellentem vestris alumnis, qua a Patribus imbui possent, invidetis? Respondente Golinio: Doctores Academiae optime docere sine Societate. Deinde praeclare se scire, quid sit factum Viennae et quanta desolatio Academiae facta sit ob Societatem etc.
Defendens Societatem. Dixit Nuncius: de doctrina Societatis se esse optime persuasum et quantum ad bonam educationem spectat, sentire se quod in Societate sit melior quam alibi. Non esse insuper eandem rationem Viennae, ubi nutu Imperatoris fiunt omnia [fiunt] ob haeresim grassantem, et
7. Cracoviae. Institit hic Golinius, ostendens etiam in Academia esse modos educandi bonos et vigere disciplinam per exclusiones, carceres, mulctas pecuniarias. Respondit Legatus, talem disciplinam servire tantum iis, qui sunt provectioris aetatis, non iis, qui sunt in tenera aetate, ideoque educationi Patrum conferri non posse. Hucusque colloquium Golinii cum Nuncio, quod ipsemet Nuncius retulerat P. Friderico Szembeco ad se vocato, a quo etiam tunc temporis accipere voluit informationem de hoc nostro negocio cum Academicis et accepit ac vehementer probavit eum modum, quem nos cum Academicis servare voluimus. Obligationem tamen illam, ut nostri Studiosi in Academia aliquas audirent lectiones cum non probaret, data erat illi illa ratio, ne videlicet Nobilitas suo tempore haberet occasionem nostrarum scholarum Cracoviensium claudendarum, si videret studiosos nostros non subesse aliquo modo Academiae.
Colloquium hoc cum Golinio habitum ipsemet Nuncius retulit.

Per mensem Februarium accepimus pecuniariae eleaemosynae fl. 393. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 175. A Dº Rab fl. 26. A Rmo Dº Suffraganeo Thoma Oborski fl. 21. A quadam legati post mortem et redditi fl. 24. Ab alia fl. 18. A Mfco Dº Szydłowski fl. 12. A Dª Dobroszewska fl. 14. A Virgine Sophia fl. 8. Ab aliis reliqui. Iam frumentum, casei, butyrum, carnes variae, pisces et alia poculenta et esculenta submissa, fl. 152 sunt aestimata. Eleaemosyna mensis Februarii.

Ipsa feria 4ª Cinerum, quae in 1am Martii inciderat, Illmus Nuncius Apostolicus Sacrum lectum in nostro templo habuit omnemque nobis post Sacrum benevolentiam ostendit.

Venit Generosus D. Nicolaus Borek ad Superiorem domus 3ª huius mensis et significavit de iis, quae ante mortem Mfcus Dus Jordan domui S. Barbarae legaverat eademque die ad rationem praedictorum misit fl. 200ₛ. Legati Dⁱ Jordani.

8. Litterae Basilii Golinii ad Episcopum Cracoviensem.

Misit nostris Martinus Szyskowski, Episcopus Cracoviensis, litteras Basilii Golinii, Academiae Rectoris, propria manu ad se scriptas, 4ª Martii, quibus omnino negat, litteras ad Comitiola variorum districtuum contra nostros datas eius nomine suas fuisse, vel se de illis scivisse. Extant hae litterae in archivio huius domus earumque tenor est talis: Illme et Rme Dne Dne Colendissime etc. Pisał nie wiem kto list na Seymiki therazneisze imieniem moim (y ieszli tesz pisał nie wiem) y udawaią mię Patres Iesuitae nietelko przed W. M. mym M. Panem, iakobym ia pisał: ale tesz pisma insze szkaradne wyszły y wychodzą między ludzie, y na mie iako na Rectora, y na Akademią. Pozal się tego Panie Boże. Nikt o tym lepyei nie wie na swiecie iedno Bog a sumnienie moie, żem nie pisał. A tak mie przecie senem prope octogenarium gratis wizuc z Honoru wszytkiego, na który pracowałem ia tak wiele lat od dziecinstwa mego, y miałem go zupełny z łaski Pana Boga miełego: a teras ne honeste quidem mori possum. Cosz czynic? Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Kiedyby lata y zdrowie dopuszczało, inzbym ia beł u W. M. dawno mego M. Pana. Ale yżem przeziąbł in ista fuga infectionis, y nieprzyszedłem ieszcze ksobie, proszę uniżenie nie racz mie W. M. MM. Pan wypuszczać z łaski swey dawney. Ja we wszytkim służyć y o dobre zdrowie W. M. MM. Pana, Pana Boga prosić będę. 4ª Martii 1623. Illme ac Rmae D. V. Servitor Basilius Golinius S. T. D. Canonicus Cracoviensis et Rector. Quibus omnino negat se ad Comitiola contra nostros aliquid scripsisse.

Ad has litteras respondit Episcopus graviter, significans Dum Golinium liberum fore, si litteras praedictas non scripsit, sed omnino necessarium esse, ut inquiratur in eum, qui scripsit et sparsit per Comitiola, cum Patres Societates habeant originalia. Ostendit Quale responsum dederit Episcopus Golinio.

praeterea Episcopus, hunc scriptorem litterarum incidisse in bullam Coenae Domini, eo quod confugerit ad forum civile in causa scholarum, quae est ecclesiastica. Ad haec obiurgat Golinium, quod in templo SS. Petri et Pauli disputationes Theologicas Patrum Societatis per Bedellum perturbaverit, non sine scandalo et loci sacri violatione etc. Misit et hoc suum responsum, datum Golinio, nostris Episcopus, quod servatur inter ea scripta, quae ad Golinium spectant.

Quae probabilitates ostendant, non scriptam praedictam epistolam a Golinio.

Quidquid tandem sit de authore epistolae ad Comitiola contra Nostros, non improbabile multi putant, ab aliquibus perditis nomine Golinii fuisse scriptum et sparsum, characterem imitantibus et sigillum Academiae, alicubi acquisitum, apponentibus. Confirmarunt id ipsi Academici, qui Varsaviae sub tempus Comitiorum superiori mense, dum morarentur et contra has litteras, ne aliquid vel illis vel Academiae obessent, protestationem facerent, ita inter caetera in praedicta protestatione Varsaviae, facta 21ª Februarii anni huius, aiunt: Quamvis non credamus R. D. Golinium eas scripsisse, si quidem et stylus eius esse non videtur et ipsemet, die 14ª Februarii anno praesenti, in convocatione plena Universitatis asseveranter negavit, se quidquam litterarum ad Comitiola Regni dedisse, idque duplici scripto privato sub iuramento testatus est etc. Ipsi praeterea Academici, si fuissent conscii istius epistolae a Dº Golinio profectae, nunquam contra eam protestationem fecissent.

9. Horti nostri possessio accepta.

Cum nonullae difficultates circa hortum a nobis emptum identidem emergerent, tandem per communes amicos eo res deducta, ut pro varia supellectili et pro piscibus, qui in piscinis relinquebantur, 140 fl. per nostros darentur et possessionem horti statim nostri acciperent, quod et factum est 31ª huius mensis, valde bene nobiscum procedente Dº Gutteter, etiamsi Evangelicus esset, et satis multa nobis relinquente in domo horti, ad quae relinquenda non tenebatur.

Missiones per Quadragesimam.

Per Quadragesimam sicut in templo nostro ter qualibet hebdomada, nempe die Dominica, feria quarta et 6ª, concio habebatur, ita et in templo S. Andreae propter Moniales, quae id expetierant, idem fiebat per varios nostros. Per idem tempus aliquot missiones institutae erant Staniątkos, Sandecum, Bolechowicos, Więclawicos consueto fructu.

Gaboris Betleni machinationes irritae.

Circa finem Comitiorum, quae ante medium hunc mensem erant conclusa, varias instructiones Serenissimus miserat et arcensi et civili magistratui Cracoviensi, ob occultas practicas Gaboris Transylvaniae Principis, qui Cracoviam ex improviso occupare spoliareque moliebatur, sed tandem eius conatus erant irriti.

A Successoribus D[i] Pieniążek mortui, de quo 18[a] Maii anni superioris ria retulimus, pro 1200[is] fl. vix sexcenti sunt dati, qui omnes in expensas ris sunt conversi. Quae res praeclare nostris admonuit, ut in legatis acce- is intricatis sint valde cauti. In funus D[i] Pieniążek omnia expensa, quae erant data.

Submissa hoc mense eleaemosyna in pecunia ascendit ad fl. 582, nempe legato D[i] Jordani Succamerarii Cracoviensis fl. 200 et alii 200, quos lega- at quaedam D[a] Sloszarzewa Legatum similiter R. D. Simonis [1]) Sacristiani [ae] Virginis fl. 50. Virgo Słupska, a quodam tulit fl. 40. A Domino Michael ier fl. 30. A Monialibus S. Andreae fl. 20. A D[a] Oświecimska fl. 10. Ab aliis iqui. Res datae ut: 20 coreti tritici a R. D. Parocho Więclawiensi, carnes, es, panes, vinum, aromata ab aliis, fl. 57 sunt aestimatae. Eleaemosyna Martii.

Indixerat per Dioecesim Episcopus Cracoviensis omnibus Sacerdotibus ra funebria pro peste mortuis in suo episcopatu ideoque et nos morem ges- us huic pio mandato et 5[a] huius mensis omnes nostri Sacerdotes in nostro plo praedicta Sacra habuerunt. Sacrum praeterea unum cantatum fuit. Sacra per Dioecesim pro defunctis in peste.

10.

Scripserat occultissime Jacobus Naiman Academicus, iuratissi- us Societatis nostrae hostis, famosum libellum contra nos (ad quem, fama postea constans erat, Georgius Dux Zbarascensis non par- m suam operam contulerat cum aliis nobis infensis) occasione protestationis P[is] Valentini Rusconii, Procuratoris Provinciae, anno periori 28[a] Julii factae, contra protestationem Universitatis. Et huic ello talem dedit titulum: Responsio ad famosum libellum, a Pa- ibus Societatis in Academiam Cracoviensem scriptum, et nomine eprotestationis vulgatum. Ita iste homo, omnem occasionem quae- ns virulenti sui odii in nos depromendi, Reprotestationem iuridicam ne ulla iniuria verborum, ob summam iniuriam Societati nostrae atam necessario factam, famosum libellum vocare non dubitavit. uia vero praeclare intellexerat, tam venenatum librum palam ac anifeste et cum Superiorum approbatione nullo modo imprimendum isse: ideo ad haereticam civitatem Torunensem confugit, usus opera ius Academici Magistri Piotrowicki, qui toto tempore, quamdiu ty- graphus famosum libellum non perficeret, et typo attenderet et To- nii moraretur, quod et fecit. Coepit ergo liber hic occulte spargi, rca 11[am] huius mensis, Cracoviae et eum a R. D. Krupka Cano- co acquisitum R. D. Andreas Lukomski Canonicus Cracoviensis Szembeco Friderico misit. Hic lectum tulit Lancelloto Nuncio Apo- olico. Legit Nuncius et obstupuit ac statim librum hunc impium, nosum ac talem iudicavit, qualem haereticus isque, qui summo odio

10. Jacobi Naimani famosus libellus Responsionis.

Imprimitur Torunii attendente ad typum uno Academico.

Spargi coepit Cracoviae.

Lancelloti Nuncii Apostolici de eo iudicium.

[1]) Gierlakowski.

Societatem prosequitur, scriberet. Et addidit, se quidem nolle Academicos ad se citare, iam quia totum negarent, paratissimum tamen se esse ad ea procuranda, quae in tanta iniuria Societati illata nos facere conveniret. Cumque subiecisset P. Szembek, optare se Commissionem ab eo dari aliquibus Praelatis ad inquirendum autorem, libentissime assensum dedit, postea tamen adiecerat expedire, ut prius ab Episcopo Academici examinarentur, an librum suum agnoscerent et approbarent. Quod consilium placuit. Eadem die retulit id totum P. Fridericus Szembek et Stanislao Lubinski tunc Abbati Tinecensi et Andreae Lukomski Canonico, ab utroque petens, ut Commissariorum de authore tam impii scripti inquirentium munus obire non detrectarent, cui uterque libenter assensum dedit. Cognita hac re Nuncius Apostolicus Lancellotus libenter eam approbavit, adiungens nihilominus, ut Episcopo Cracoviensi P. Szembek rem totam significaret, ne videlicet haec Commissio illi molesta esset et ut exemplar Commissionis in scripto tale illi daremus, quale optaremus.

Suadet Commissionem instituendam in inquirendum autorem.

Qui Praelati ad Commissariorum munus se obtulerint, rogati.

II. Eadem praeterea undecima huius mensis die ex captivitate Turcica trium annorum rediit in Poloniam et Cracoviam venit Ill^mus Stanislaus Koniecpolski Campiductor, omniumque maxima laetitiae est exceptus.

Stanislaus Koniecpolski ex captivitate Turcica liberatus.

Nocte 13^am huius mensis sequente ortum erat in Civitate incendium, sed brevi est sopitum.

Ob Lancellotum Nuncium Apostolicum die Parasceves, quae in 14^am huius inciderat, in Domo Probationis prandium sumentem, aliquot nostri ex domo S. Barbarae propter eum cum ipso Superiore eo sese contulerant.

Episcopus contentus, ut Nuncius Apostolicus manum Commissioni admoveat.

Eadem die ab Episcopo Cracoviensi acceperat P. Szembek litteras, quibus iis responderat, quae ad eum ante tres dies in negocio libri famosi datae erant, et significaverat, se contentissimum fore, ut Nuncius Apostolicus manum eidem apponeret simulque Commissionem ad inquirendum de authore miserat.

Petrus Sobański et Nicolaus Rubinkowski fiunt Sacerdotes.

Petrus Sobański et Nicolaus Rubinkowski, Sabbato sancto, facti sunt Sacerdotes in templo Cathedrali per R^mum D. Thomam Oborski, Suffraganeum Cracoviensem.

Incendium magnum apud Judaeos.

Ante mediam noctem ipsius diei Paschatis ingens apud Judaeos excitatum incendium, quo plusquam quinquaginta domus absumtae dicebantur. Antecesserant varia incendia minora tum in vicinis pagis, tum in suburbiis Cracoviensibus.

Petri Sobanski primitiae.

Excepimus prandio in domo S. Barbarae Nuncium Apostolicum cum Suffraganeo Cracoviensi et aliis, 17^a istius mensis, qua etiam die P. Petrus Sobański primum Sacrum cecinit solenniter.

Dum prima vice in horto (cuius possessionem in fine superioris mensis acceperamus) 20ª huius mensis recreationem institueremus, excepimus omnes nostros, qui Cracoviae erant, prandio et coena ac nonnullos externos, ex iis praecipue, qui maximi erant Promotores in emendo horto, nempe Dum Abrahamum Ronenbergum, D. Słowikowski, D. Petricovium, Dum Belzam et alios. Prima in horto nostro recreatio.

Ante annum tres currum tectum coriaceum relinquerat apud nos praepositus Casinensis Hungarus asservandum. Eum ergo 22ª huius mensis remisimus per vectores, qui data opera pro eo venerant et qui noti erant P. Lucae Gladissio. Currus Praepositi remittitur.

Lustratio Nobilitatis Cracoviensis Palatinatus facta est 24ª istus mensis, sed quia nullus penitus ex Senatoribus in ea comparuit (nescitur quam ob causam), ideo non sine querelis et exacerbatione nobiles ex campo redierunt, nullo penitus ordine facto. Lustratio Nobilitatis sine ordine.

Acceptum eadem die a nobis depositum Dⁱ Bobrownicki in cista viridi per Dum Zakrzewski ab eo missum.

P. Nicolaus Rubinkowski primum suum Sacrum 23ª huius mensis, quae in Dominicam in Albis inciderat, solenniter expedivit, quo tempore eius parens nobis et aliis multis cognatis, qui convenerant, prandium in domo S. Barbarae lautum dedit Pis Nicolai Rubinkowski primitiae.

Misit Episcopus, 25ª istius mensis, omnia, quae petebamus ratione libri famosi contra nos editi, nempe excommunicationem in scribentes, imprimentes, vendentes libros famosos, maxime librum praedictum. Litteras ad Academiam, litteras ad omnes tres Commissarios pro nostro negocio, nempe ad R. D. Stanislaum Lubiński Abbatem Tinecensem, ad R. D. Andream Łukomski Canonicum Cracoviensem, ad R. D. Martinum Kłocinski[1]), Praepositum Corporis Christi. Litteras praeterea ad R. D. Joannem Zerzinski, Canonicum et Officialem Cracoviensem, quibus mandabat, ut praedictam inhibitionem et excommunicationem promulgaret. Quod si id facere detrectaret, ut id R. D. Lukomski nomine Episcopi praestaret. Nuncius etiam Apostolicus, qui sub id tempus ad Episcopum excurrerat, significaverat nostris, invenisse se optime dispositum Episcopum ratione nostri negocii. Hac etiam die, ex variorum litteris Torunio ac Varsavia datis, cognitum est praedictum Responsionis famosum libellum Torunii impressum, commorante uno ex Academicis in Monasterio PP. Dominicanorum, qui typo attendebat; eiusdem libelli mille exemplaria impressa; Georgium Nowodworski aulicum Regium, 500 exemplaria in aula Dⁱ Wladislawski, clausis per duas noctes com- 12 Variae litterae Episcopi in nostro negocio cum excommonicatione ad varios. Torunio et Varsavia significatur de loco impressionis libelli famosi, de numero exemplarium, de Nowodworski etc.

[1]) Kłoczyński erat primo scriptum et tunc in Kłociński emendatum est.

pactoribus, ut compingerentur, procurasse Varsaviae. Eundem Nowodworski, cum eius factum per compactores, quibus ita ut par erat non solveret, vulgatum esset, citatum a Marsalco[1]) iussu Regis etc. Haec omnia iam etiam perspecta habuit Episcopus, unde chartulam ad P. Szembek ex litteris Castellani Cracoviensis miserat, in quibus et Responsionis libellum famosum approbabat et citationem, contra Nowodworski datam, vehementer improbabat. Unde etiam aliqua signa dabat Episcopus cuiusdam, ut ita dicam, titubationis in hoc nostro negocio, ob defensores libelli famosi ita potentes. Redditae litterae Episcopi Cracoviensis per P. Fridericum Szembek et P. Nicolaum Lancicium tribus Commissariis nostri negocii, 26ª huius mensis, nempe Abbati Tinecensi Stanislao Lubinski, Andreae Lukomski et Martino Kłocynski (sic). Omnes suam operam singulariter obtulerunt, sed potissimum Praepositus Corporis Christi, qui rem adeo atrocem gravissime ferens, magis compatiendum censebat autoribus eius, quam Societati innocenti.

Commisariis dantur litterae Episcopi.

Eadem die electus est ab Academia Rector Jacobus Naiman, iuxta vaticinia multorum Academicorum, qui asserebant, eum eligi debere ob conatus Societatis impediendos.

Electus Rector Jacobus Naiman.

13. Insuper eadem die prodiit in Maiori Polonia impressa prohibitio Andreae de Bnin Opalinski, Episcopi Posnaniensis, ratione libelli Responsionis, in qua post declarationem, qua ostenditur praedictum librum famosum esse, interdicitur sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda et sub aliis censuris lectio, impressio, detentio, venditio, ligatio eius et aliorum similia. Sparsus iam erat liber iste per Maiorem Poloniam, ideoque ire obviam voluit Episcopus Posnaniensis eo modo, quo potuit, tot malis, quae libri famosi secum adferre solent[2]).

13. Damnatur ab Episcopo Posnaniensi liber Responsionis.

Facta etiam Cracoviae intimatio prohibitionis bibliopolis et typographis [facta], applaudente Vicario Episcopi, Joanne Zerzynski, quod utrique parti id prohibitum fuisset.

Publicatur prohibitio Cracoviae bibliopolis et typographis.

Eleaemosynae per mensem Aprilem perceptae in pecunia summa erat fl. 644. A Dº Abrahamo Ronenbergo, post mortem fratris, fl. 200ˡ. A Rmo Epi-

Eleaemosyna Aprilis.

[1]) Nescio quem in mente haberet Wielewicki marsalcum, erat enim marsalcus curiae regiae Luca Opalinski, supremi marsalci regni munere fungebatur autem Nicolaus Wolski. Ex sequenti autem nr. 17 ad eundem annum patet marscalum regni Lucam Opalinski in mente habuisse.

[2]) Impressa est haec epistola pastoralis Posnaniae, in officina Joannis Rossowski a. D. 1623, data autem in curia episcopali Ciążymensi, die vigesima sexta mensis aprilis, eiusdem anni. Exemplar ornatissimum, arma Łodzia in fronte habens, annexum est nostro Diario inter fol. 634 et 635 archaetypi.

scopo Chelmensi Mathia Lubinski loco ordinariae, quam dare solebat in rebus, fl. 200. Ratione horti et ratione domus a D^o Gutteter fl. 82. Pro primitiis a parente P^is Rubinkowski fl. 50. A Virginibus pro piscibus mendicantibus fl. 23. A R^mo Suffraganeo Cracoviensi fl. 14. A D^a Pipanowa fl. 12. A R. D. Lukomski fl. 10. Ab aliis reliqui. Res submissae et praecipue frumenta ab Abbate Tinecensi quasi 60 fl. constabant, et carnes a variis quasi aliis 60 et alia minutiora aestimata sunt fl. 159.

Rex damnat librum Responsionis.

Rex Serenissimus Sigismundus III^us postquam cognovisset editum et sparsum librum Responsionis contra nos, statim eundem authoritate sua Regia damnavit et eundem ubicunque inveniretur exurere iussit, datis ea de re litteris 3^a Maii Varsaviae, ubi etiam brevi post executio huius decreti facta, carnifice in foro eundem librum urente. Eadem die, dum casu P. Fridericus Szembek in Doctorem Wolenski (sic) Vicecancellarium Academiae incidisset et de praedicto libro collocutus fuisset, clare respondit, se eundem occasionaliter tantum vidisse et vix unam chartam legisse, eo quod scrupulum haberet amplius legendi optareque se vehementer, ut autor eius inquiratur et tanta malitia puniatur. Addiderat etiam, in epistola Golenii manum et sigillum Academiae omnino ficta esse eumque, qui finxit, ut similiter inquiratur, valde se desiderare.

Idem facit Doctor Wolenski.

Convocatio Universitatis differtur.

Monuerant RR. DD. Comisarii Golenium (quia electus Jacobus Naiman in Rectorem nondum erat confirmatus), ut convocaret Universitatem, 4^a huius mensis, sicuti circa finem superioris mensis pollicitus erat, sed quia una pars Academiae ei convocationi non assenserat, ideo res ad sequentem diem post festum S. Stanislai, seu ad 9^am Maii, dilata erat. Interim 6^a eiusdem mensis exhortationem P^is Friderici Szembek (quam habuit in Congregatione B^mae Virginis Assumptae ad studiosos, praesente D^o Nicolao Wolski, Supremo Regni Marsalco, supra illa verba: Pax vobis, nolite timere, in qua ostendit, pacem Dei a pace mundi esse diversam et persecutiones calumniasque non turbari pacem piorum) quidam M. Wilczek scriptam et auctam mirabiliter traduxit et ad Academicos detulit, a quibus varie eventilabatur. Imo sparsum erat, curare Academicos, ut concionatores contra eam publice agerent. Sed nihil erat factum. Carmelita tantum, ad aedem B^mae Virginis in arenis, aliquid dixerat mystice contra librum R. D. Zakrzewski Proca dictum. Et Dominicanus iuvenis non Sacerdos, Dominica 2^a post Pascha, in sacello Rosarii exhortabatur latine Academicos, ne parcerent sumptibus et caverent,

Exhortatio P^is Szembek falso traducitur.

Unus Dominicanus non Sacerdos tecte contra

nos agens, a suis punitur. ne lupi in vestitu ovium Academiam demoliantur. Ea de re P. Friderico expostulante cum R. P. Chrysostomo et R. P. Nicolao Moscicensi Doctoribus, indagarunt veritatem praedicti Patres et iuvenem illum puniverunt.

14. Veniunt Commissarii ad Universitatem. Post meridiem, 9ª huius mensis, convenit Universitas loco solito ad maius Collegium et significavit DDⁱˢ Commisariis, quod eos expectaret. Veniunt illi, ferentes secum tum litteras Episcopi ad Academiam, tum exemplar famosi libelli, titulo Responsionis insigniti, et honorifice accepti, praesidente Golenio antiquo Rectore, nondum confirmato Naimano, hinc et inde penes Rectorem consederunt. Abbas ergo Tinecensis Stanislaus Lubinski, primus ex Commissariis, hoc

Proponunt Universitati. Universitati proposuit. Inprimis dixit, se mirari tantam tarditatem Universitatis in suo coetu cogendo, quem Commisarii Episcopi pridem requisiverant et quem in gratiam Episcopi sui Cancellarii pridem convocare expediens erat. Deinde se cum aliis ideo missum, ut

1um

2um intelligerent, an Academia infamia scripta et scandalosa contra Societatem Jesu, non sine magno scandalo, pro suo partu agnosceret, vel approbaret, vel autores illorum inter suos sciret, ut videlicet hac re intellecta Episcopus, pro ratione muneris sui, procederet ad eliminandas tales pestes modis debitis. Haec dicens simul litteras Episcopi ad Rectorem Academiae et reliquos Academicos dedit, quarum tenorem vide in libello: Gratis contra discursum ficti parochi edito

3um fol. 263. Addidit praeterea R. D. Lubinski, se ideo cum aliis Concomissariis venisse, ut authoritate Episcopali sub anathemate latae sententiae prohiberet, ut et prohibet, omnia scripta in futurum in favorem partis utriusque et insuper disseminationem etiam alibi im-

4um pressorum. Denique adiecit, se cum R. D. Lukomski et R. D. Klocinski non solum autoritate Ordinarii, sed etiam Apostolica (Nuncius enim Apostolicus Joannes Baptista Lancellotus suam etiam illis Commissionem in eodem negocio miserat) Comissarios esse constitutos ad inquirendum, tum litterarum Golenii ad Comitiola scriptarum, tum libri Responsionis autorem, et se suo tempore iuxta iuris terminos processuros.

Lectae litterae Episcopi publice. Postquam Abbas finem fecisset, coeperunt inter sese Academici in dubium vocare, an praesentibus Commissariis legendae essent Episcopi litterae nec ne: affirmantibus aliis, negantibus aliis. Conclusum tandem affirmative et litterae lectae sunt per M. Gorski Collegam Minorem omnibusque efficaces sunt visae. Ad ea vero, quae Rᵐᵘˢ D.

Abbas dixerat, respondere volens D[s] Golenius, tacito primo puncto, ad secundum nomine Academiae dixit, se libenter responsuros ad quaesita, sed simul petere tempus ad deliberandum et simul exemplar impressum Responsionis, ut iis relinqueretur, eo quod ex illis plurimi essent, qui illud non vidissent. Ad haec D[s] Abbas: Det mutuum D. Krupka Canonicus (aderat enim praesens), ut tot aliis dabat. Titubans Krupka respondit, se illud restituisse iam ei, cuius erat. Reliquit ergo eis D[s] Abbas exemplar, quot tulerat eo pacto, ut illi restitueretur. Ad 3[um] punctum respondit deinde Golinius, optime factum, quod prohibitio data sit pro parte utraque. Ad 4[um] punctum sicuti ad 1[um] hihil omnino dixit. Cum quidam ex Academicis postea dixisset, dum variorum scriptorum, quae sub hoc tempus prodierant Commissarii facerent mentionem: Utinam nulla scripta prodiissent, respondit D. Abbas, Academicos dedisse omnium causam per litteras Golenianas. Replicantibus illis, quod Patrum Societatis Reprotestatio dederit causam, subiecit Abbas: De Reprotestatione iuridice facta vix unus e mille scivisset et ego nunquam de illa scivissem, si vos eam typis non vulgassetis et commentariis non illustrassetis. Atque ita hoc primum colloquium Commissariorum cum Universitate fuit expeditum.

15. Respondet Golenius ad aliqua nempe: Ad 2[um]

Ad 3[um]

Ad reliqua silet. Librorum scriptorum famosorum causam in nostros reiiciunt Academici, sed refutantur ab Abbate.

Eadem 9[a] die huius mensis mortuus est Spectabilis D[s] Adamus Nagot, Consularis, octoginta aliquot annorum senex, Sacramentis omnibus munitus rebusque suis optime dispositis, magno relicto sui desiderio. Is nostris, Cracoviam venientibus, inter primos adhaeserat et reliqua tota sua vita singulari affectu Societatem coluit eiusque fuit propugnator, promotor et benefactor constantissimus. Sicut autem fuit pietatis, ita et communis boni studiosissimus, unde nonnulli eum Ordinis Senatorii pupillam vocabant.

Mors D[i] Adami Nagot.

Jacobus Naiman, qui 26[a] mensis superioris in Rectorem Academiae electus erat, 11[a] primum huius mensis confirmationem suae electionis accepit, mirantibus multis, quibus perspectum erat, quod esset autor famosi Responsionis libri contra nos editi. Quomodo enim conveniebat eum esse Rectorem Academiae, qui et ante Cathedram contra nos et iam virulentam Responsionem et postea non paucos famosos libros scripsit, ut suis locis patebit.

Naiman Confirmatus Rector.

Venit R. P. Provincialis Georgius Tyszkiewicz cum P. Henrico Picherto et altero socio, 14[a] istius mensis, Cracoviam et apud S. Barbaram mansit, ad 19[am], qua die contulerat se ad domum probationis, quam visitabat.

Venit Cracoviam R. P. Provincialis.

D^i Danielis Zaglic mors.

Mortuus, 15^a huius, D^s Daniel Zaglic, altioris ordinis Scabinus, consuetis Sacramentis ad mortem sese postquam diligenter comparasset, nostrorum usus opera. Sub initium adventus nostri Cracoviensis tenere Societatam adamaverat eumque affectum ad mortem usque constanter retinuit. Homo erat simplex et rectus et ob iucundos mores omnibus carissimus. Dum P. Stanislaus Rozrazewski Residentiae S. Barbarae curam ageret, in exstruenda turricula templi et plumbo tegenda quomodo opera usus fuerit D^i Zaglic, fecimus mentionem anno Domini 1588, n. 33.

16. Academici dum responsum differunt.

Monuerant Commissarii Jacobum Naiman, Rectorem iam confirmatum, aliquoties, ut iis quae proposuerant satisfaceret, sed illo varias moras praetedente et ad 16^am huius rem differente et ipsa 16^a nullum responsum dante, concluserunt Commissarii procedendum esse inprimis ad autorem litterarum Golenii inquirendum. Citati ergo nomine Commissariorum omnes Collegae Maiores, Minores, Juristae, Seniores Bursae Juristarum, Pauperum, Hierusalem, 17^a huius mensis, hora 7^a antemeridiana, pro sequenti die; locus illis assignatus aula in platea Canonicorum, in qua D^s Abbas tunc morabatur. Convenerunt sequenti die, quos congregatos ita allocutus est D. Abbas: Quia hactenus nullum responsum dedistis et nullam dilationis causam ostendistis (quod utrumque a contemptu Episcopi et Commissariorum difficile est excusare), ideo non expectato vestro responso, accedendum nobis erat ad id, quod est nobis per Commissionem demandatum et inprimis ad inquirendum autorem litterarum Golenii. Respondit nomine Academicorum Albertus Bolkowski Procurator: DD^os Academicos non comparere iam ut citatos, sed ut conferre de his volentes cum DD. Commissariis, eo quod non agnoscant illorum iurisdictionem et protestentur contra eandem; quia iurisdictionis defectu iudicium esse non potest et iudicium non fit sine actore, qui hic non est. Ostendit R. D. Kłociński, inquisitiones sine iudicio fieri per veram iurisdictionem et id fusius explicavit. Impatiens eius explicatione Jacobus Naiman, in illa verba prorupit: Non est me necesse docere, scit hoc et Paweł Pasnik na grocki ulicy. Prosiemy, abyście w. m. pomnieli, ze suxistis ubera matris huius etc. Indigne ferens id D^s Abbas, monuit Naimanum, abstineret ab eiusmodi comparationibus ac terminis, quae hic non habent locum, etiamsi forte in aliis cathedris iis pro libitu utatur. Se suosque socios non moveri ulla re alia, nisi aequitate et iussa sui Superioris Episcopi velle exequi. Itaque respondeant ommissis altercationibus, quibus videntur approbare litteras, eorum Rectoris nomine scriptas, cum optare debeant exui

Citantur a Commissariis.

Academici non agnoscunt iurisdictionem Commissariorum.

Dum ostenditur iurisdictio, Naiman furibunda verba profert.

Reprehenditur ab Abbate.

quamprimum veste, qua induti sunt, famae malae. Responderunt tunc Academici rogantes DD^os^ Commissarios, ut abstineant ab ulteriori processu, quousque veniat responsum ab Episcopo, ad quem se statim missuros aiebant cum informatione et responsione ad quaesita. Sed dictum illis, satis per 9 dies eos temporis habuisse ad informandum Episcopum, ideo progressuros Commissarios ultra. Instabant nihilominus Academici petentes dilationem in diem sequentem et dari in scripto copiam commissionum. Concessum id illis. Et tunc etiam ab uno ex Commissariis ostensae litterae originales ad Comitiola Golenii, sed negarunt uno ore tam manum Golenii, quam sigillum Academiae. Hanc ostensionem non laudabant alii, quia nondum res iudicabatur et ex ea magis contra nostros coeperunt insolescere Academici. Venerunt sequenti die ad DD^os^ Commissarios Naiman Rector, Golenius Canonicus cum aliis duobus et exceperunt forum exceptionisque in scripto obtulerunt aliquot causas, nempe privilegia varia, dubiam iurisdictionem etc. Miserunt praeterea eodem die Doctorem Krosner Iuristam et Professorem ad Episcopum. Commissarii similiter, 20^a^ huius, de omnibus significarunt Episcopo, potissimum de exceptione et informatione ad ulteriora. Quibus omnibus cognitis, Episcopus multum ex suo fervore remisit, ut postea patebit, et dilationem ad 13^am^ Junii Academicis permisit.

Rogant Academici dilationem ad informandum Episcopum.

Conceditur illis. Negabant litteras Golenii.

Excipiunt forum Academici.

Circa 21^am^ huius mensis coepit spargi quoddam scriptum contra nostros Cracoviae, cuiusdam Georgii Nowodworski, ob famosum libellum Responsionis contra nostros a Naimano scriptum et Torunii impressum, ut antea diximus, Varsaviae disseminatum. Quo accepto et lecto coram nobilitate Georgius Dux Zbarascensis, Castellanus Cracoviensis, maximum nobis apud eam odium conflare conabatur. Sed de hoc Nowodworscii negocio breviter rem, ut erat, attingamus.

17. Scriptum Nowodworscii spargitur in odium nostri.

Impressi Toruniae praedicti libelli famosi sexcenta exemplaria praedictus Nowodworski, vel ut alii scribebant quingenta, acquisivit et a compactoribus violenter detentis aliquot diebus ac noctibus in aula Ladislawski, ut compingerentur effecit, compactosque per aulam Regiam et per Civitatem Varsaviensem spargere coepit. Lectis venenatissimis contumeliis, sicut improbi nobis insultare, ita amici nostri nobis compati conviciaque contra nos acerbissime ferre coeperunt. Ipse etiam Serenissimus Rex, rei indignitate commotus, Supremo Regni Marsalco Lucae Opalenski mandat, ut litem Nowodworscio intendat ob sparsos famosos libellos eumque convictum pro merito pu-

Nowodworski compactos libellos famosos contra nos spargit.

Jussu Regis citatur a Marsalco.

niat. Facit quod iniuctum erat Marsalcus et Nowodworscium legitime ad suum iudicium accersit. Sed vix dato iudicii initio, ob quaedam urgentia negocia discedente Varsavia Marsalco, Venceslaus a Lesno Lesczynski, Vice-Cancellarius Regni et tunc Marsalci officia peragens, coeptum iudicium prosequitur ac in convictum Nowodworscium, de tot compactis famosis libellis (nam ipsi compactores violenter detenti rem, quam volebat secretam, promulgarant ac testimonium contra eum protulerant) et de iisdem distributis, eam fert sententiam, ut statim trium mensium carcerem sustineat, sub poena ablegationis ab aula Regia, et finito carcere, a nostris veniam supplici-ter petat, certa verborum forma sibi praescripta. Declaravit Vice-Cancellarius in eodem decreto, librum Responsionis esse famosum et multa in laudem Societatis addidit. Praeter hoc decretum Rex Serenissimus novum suum addidit illudque in acta Castrensia et civilia inserere iussit, quo et Marsalci decretum confirmat et plurima in laudem Societatis congerit et librum praedictum per praeconem, quod famosus sit, denunciare ac publice flammis in civitatibus regiis eundem absumere imperat omnique eius usu penitus interdicit. Facta statim Varsaviae decreti executio. In quatuor partibus fori praeco, elata voce librum hunc ostendens, famosum esse declaratum ac in Societatem iniuriosissime scriptum, praescripta verborum forma proclamabat, ad quamlibet proclamationem campana praetorii (qua iis, qui ad supplicium educuntur, signum dari solet) insonante. Praeco post in eodem foro librum praedictum carnifici in manus tradidit, quem ille palo, iam antea infixo et lignis circumdato, affigit et affixum exurit. Nowodworski etiam carcerem subierat tresque menses in eo duraverat, quia a nostris nunquam petere voluit, ut ab eo liberaretur, vel ut tempus eiusdem carceris contraheretur. Imposito fine carceri, a nostris qui Varsaviae erant veniam petiit. Post haec omnia scriptum edidit quoddam, cuius initio fecimus mentionem et quod nomine: Pamięc inscripsit, in quo nostrorum acerba dicta contra se, vel ut ille vocat fulmina refert, quae an sint vera ille viderit, nam ea tunc temporis dicta, cum a nostris veniam peteret, vix est credibile. Deinde variis ex capitibus ostendit, se iniuste iudicatum nec convictum, nam nostri eum in re criminali non poterant convincere. Ille etiam non criminaliter, sed civiliter erat citatus, ut nonnulli referebant. Quidquid tandem factum sit, apparuit postea, totum cum eo processum fuisse legittimum, nam et in Comitiolis

A Vice-Cancellario Regni Marsalco absente iudicatur.

Ad carcerem trium mensium damnatur.

Regis decretum de libello Responsionis famoso exurendo.

Fit eius rei executio Varsaviae.

18. Nowodworski carcerem subit et a nostris veniam petit.

Scriptum contra nos acerbum spargit.

districtuum et in Generalibus Regni Comitiis altum de eo erat silentium, quod a nobilitate etiam ob minimam iniuriam apud nos servari non solet.

Professio Pis Brzechffa.

P. Stanislaus Brzechffa in templo S. Barbarae, celebrante P. Georgio Tyszkiewicz, Professionem 4 Votorum fecit, 28a huius mensis, sed in S. Stephano, quia tunc ibi concionatorem agebat, prandium sumpsit, quo etiam cum R. P. Provinciali multi ex domo S. Barbarae erant invitati.

Eleaemosyna Maii.

Percepta Maii pecuniaria erat fl. 479, nempe legati 300i fl. a piae memoriae Episcopo Cuiaviensi Paulo Wolucki. Ab Episcopo Premisliensi Joanne Węzyk fl. 60. A Do Petricovio fl. 31. A Da Anna Krowczyna hortulana fl. 11. A Da Oswiecimska fl. 10. A Monialibus S. Andreae fl. 20 et reliqui ab aliis. Res submissae, ut: vacccae sex a Da Komorowska et ligna et ab aliis butyrum, casei, pisces aliaque minutiora constiterunt fl. 113.

19. Consultores Provinciae.

Venerunt 1a Junii P. Matthaeus Bembus Posnania et P. Andreas Gutteter Calissio Cracoviam ad S. Barbaram, ut tanquam Consultores Provinciae cum aliis, qui erant Cracoviae, praesente R. P. Provinciali, de rebus Provinciae variis agerent, quod et fecerunt, manentes Cracoviae ad 15am eiusdem mensis, qua redierant ad Collegia, ex quibus venerant.

Concludunt cum P. Provinciali de Theologicis lectionibus apud S. Petrum inchoandis pro nostris.

Migravit R. P. Provincialis ex domo S. Stephani ad S. Barbaram 3a huius mensis et praesentibus P. Joanne Wielewicki Praeposito Domus, P. Nicolao Lancicio S. Petri Superiore, P. Mathiae Bembo Posnaniensis Collegii Rectore et P. Andrea Gutteter Calissiensis ac P. Henrico Picherto, propositum ab illo est, quid tandem agendum circa scholas S. Petri, et post varia utrinque dicta conclusum est, sic stantibus rebus, ut privatim daretur initium lectionibus Theologicis pro solis nostris, eaque de re ut significaretur Episcopo Cracoviensi. Consequentibus etiam diebus variae de rebus Provinciae Consultationes peragebantur.

Inquisitionem Academici facientes

Ursit iterum Episcopus Academicos de autoribus indagandis libellorum famosorum et litterarum Golenii. Quare ostendentes, se velle satisfacere voluntati Episcopi, 8a huius mensis solemnem inquisitionem inter suos decreverunt, imo et ad nostros apud S. Petrum et apud S. Barbaram manentes quendam M. Fryionski Praepositum Collegii Minoris cum notario publico, qui citationem per modum innotescentiae, qua omnes, ad quos hoc negocium spectat, citabantur ad audienda iuramenta et depositiones testium, nobis darent, ut moris est in citatione partis actoreae. Cum autem domi non fuissent inventi ulli nostrorum Superiorum, venit praedictus Magister ad hortum nostrum et evocato ad se P. Friderico Szembeco, offerebat illi

Mittunt ad nos scriptum innotescentiae.

Sed illud a nostro reiicitur,

scriptum innotescentiae et protestabatur coram notario, se illud nobis tradere. P. Szembek coram eodem notario reprotestabatur et Superiores nostros domi non esse et neminem nostrum illud scriptum acceptare. Cumque illud legere vellet, iterum protestatus est, se illud nolle audire. Deinde in area illud deponere volenti, tertio protestatus est, iniuriam ab illo fieri, loco exempto impertinentium scriptorum depositione. Adiecit tunc Magister, contenta in hoc scripto ad charitatem dirigi, ne ob nostram causam Academia turbetur et crastina die propter nostros inquisitionem est factura, aequum esse, ut in ea nostri compareant notitia habita. Ad haec iterum protestatus

Ne nostri viderentur esse actores.

est P. Szembek, nostros non esse partem, ut aiunt, actoream eamque nostris affingi non posse, sed Episcopum, instante Rege, uti defensores innocentiae et aequitatis custodes, officio suo fungi. Atque sic expeditus ille Magister. Ideo vero tam fortiter P. Szembek scriptum praedictum reiiciebat, quia ex Jurisperitis intellexerat, Academicos vehementer optare ac urgere, ut nostri essent actores in hoc negocio, utque nos, si ita eos non convicissemus, sicut illis videtur, variis litibus vexare possent.

20. Instituitur Colloquium inter Rectorem Academiae et unum Doctorem et inter duos nostros apud D^m^ Suffraganeum,

Scripserat Episcopus Cracoviensis ad R^m^ D^m^ Thomam Oborski Suffraganeum, ut tentaret aliquos modos, quibus nostros cum Academicis reconciliare posset. Contulit ea de re praedictus Suffraganeus cum P. Provinciali et 11^a^ istius mensis ad colloquium ex parte Academiae ipsum Rectorem Naimanowicz cum uno Doctore, ex parte vero nostra P. Matthaeum Bembum cum P. Henrico Picherto invitavit. Post varia utrinque dicta, quae circa illud versabantur, quod DD. Academici non habeant tale privilegium, ut soli Cracoviae doceant (nam P. Bembus, uti annotavimus anno Dni 1616, n. 9, iussu Regis revidebat omnia Academicorum privilegia eaque habuit perspectissima), ostenderat D. Jacobus Naiman Rector modum reconci-

Sed nullo operae precio.

liatonis non malum feceratque spem pacificae compositionis. Verum cum eundem modum reliquis Academicis Rector exposuisset, postea reiectus ab illis est nullamque pacificam compositionem nobiscum tentandam concluserunt atque ita colloquii praedicti nullus erat effectus.

Commissionis non continuatae contra Academicos

Diximus 20^a^ superioris mensis Academicis dilationem termini ad 13^am^ huius fuisse concessam, sed ea adveniente, nihil omnino fuit, Episcopo videlicet negocium incoeptum relinquente. Varias causas mutati eius consilii non pauci assignabant. Sed potissima videbatur

Georgii Ducis Zbarascii Castellani Cracoviensis fervens pro Academicis epistola, qui inter caetera illud etiam adferebat, quod alia esset Parisiensis Academiae, alia vero Cracoviensis ratio. Quia enim in Galliis absolutum est dominium, ideo a Regibus illam Academiam reformari posse, Academiae autem Cracoviensis reformationem ad Rempublicam pertinere ac proinde, si eam Episcopus vellet reformare, se contra illum protestationem facturum. Vanissima omnino et falsissima hominis, qui sibi nimis sapiens videbatur, oratio, cum reformatio Academiarum in ordine ad docendum, ad statum spiritualem pertineat et cum Respublica Polona reformationem Academiae Cracoviensis semper ad spirituales reiiciebat. Idem Dux debachabatur vehementer contra Episcopum Posnaniensem, quod libellum famosum Responsionis damnasset, sicut et contra Regem, qui eundem librum publice iusserat exurere et Nowodworscium, eum disseminantem, poena supra exposita punire. Ex quibus tamen apparet, Ducem Zbarascium fuisse pridem conscium editionis famosi libelli, imo ab eo, antequam imprimeretur, multi referebant, fuisse revisum et correctum. Non postrema etiam illa mutati consilii causa ex perpetuo conatu Academicorum ac Praelatorum, nobis infensorum, quo contra nos eum incitare et nobis offensum reddere ac nostra omnia etiam minima vel nimium exaggerare, vel in pessimam partem explicare non cessabant. Maxime vero in hoc negocio omnem lapidem movebat Jacobus Naiman Rector Academiae. Hic enim quia praeclare sibi erat conscius, quod famosum libellum Responsionis scripsisset, totam suam industriam in id conferebat, ut in autorem adeo infamis libri non inquireretur, quod et perfecit.

1ª causa: Dux Zbarascensis,

Qui bene conscius erat famosorum libellorum.

2ª Conatus Academicorum et maxime Naimani.

Venerat Cracoviam quidam Dⁿ Sulowski, cui unus Academicus Smieszkowicz in Comitiolis Ravensis Palatinatus litteras Golinii ad Comitiola deferendas dederat, quas ille et acceperat et detulerat. Misit ergo R. P. Provincialis Superiorem Domus, 17ª huius mensis, ad eum petens, ut coram Notario publico fateri non recusaret, illas litteras se accepisse; profuisset enim id negocio nostro, si iuridice constaret. Sed Dⁿ Sulowski, ob certos respectus suos, nullo modo voluit huic petitioni satisfacere, asserens se coram quolibet fateri velle, quod litteras acceperit, sed non coram actis publicis, adiungens praeterea, se non ab ipso Smieszkowicz, sed ab eius puero praedictas litteras accepisse. Ostendebatur varie, nihil eum inde incommodi suscepturum, sed nihil profuit.

21.
Dⁿ Sulowski, qui in Comitiolis acceperat a Smieszkowicz litterasGolinii, non voluit id asserere publice.

Festum B. Aloisii more consueto expeditum est. Utraeque Vesperae erant cantatae et Sacrum R. D. Kretkowski Erasmus Canonicus cecinit.

Ob Tartarorum irruptiones rediit Cracoviam R. P. Provincialis.

Discesserat Cracovia R. P. Provincialis 23ª istius mensis, sed post aliquot dies, ob Tartaros in districtus Samboriensem, Halicensem, Premisliensem, Jaroslaviensem irrumpentes ac per palatinatum Sendomiriensem in Silesiam, ut ferebatur, pergere contendentes praedasque hominum et aliarum rerum cum magna vastitate agentes, rediit Cracoviam, ultima huius mensis et nobiscum octo fere diebus mansit.

Prodiit Decretum Episcopi Cracoviensis Martini Szyskowski, 24ª huius mensis, quo damnavit librum famosum Responsionis latinum et alium polonicum Obzałowanie dictum eaque scripta esse famosa, conficta, impia, calumniosa declarat ac simul interdicit, ne vel illa, vel alia illis similia legantur, vendantur, typis mandentur sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda. Promulgari etiam per templa idem decretum iussit, idque 2ª mensis sequentis factum est. Laudat insuper in hoc decreto Academiam Cracoviensem, quam inclytam et vere Deum timentem vocat, quod specialiter de libris praedictis requisita, non solum pro suo vel suorum partu non agnovit, sed etiam sibi invidiosos et periculosos esse scripsit etc. [1]). Atque ita Academicis datum testimonium, quod eos non scripserint, cum nimis certe constaret, ab iis scriptos esse. Sed sicut facile illis erat totum negare, ita etiam facile fuit in inquisitione, quam ipsimet faciebant, fucum facere. Scripserat Episcopus ad P. Szembek, ut ipsorum negatione essent contenti nostri et responsum erat simplici negatione nos non posse esse contentos, ne viam aperiamus ad innumeras calumnias, quae solis negativis dissolvantur autoresque illarum hoc modo semper poenas evadant. Sed non valuit haec ratio, sicut et aliae.

Laudatur in eo Academia.

Cur non inventi authores.

Eleaemosyna Junii.

Satis largam hoc mense Junio submisit Dominus pecuniariam eleaemosynam, quae ascendit ad fl. 896. A Dno Erasmo Dangiel 500[1] fl., quos nobis testamento legaverat, sed postea adhuc vivens nobis eos 12ª huius reddidit. A Dno Magno Oeconomo [2]) fl. 100. A variis collecti, qui sciri nolebant, fl. 100. Ab

---

[1]) Exemplar huius decreti, dat. quarta mensis Junii 1623, insertum est archaetypo inter fol. 638 et 639. Impressum est folio maiori et incipit: »Cum luce meridiana clarius extet religiosum Ordinem Societatis Jesu in utroque orbe et praecipue in his vastis per septentrionem provinciis, ad gloriam Maiestatis Divinae, catholicae Ecclesiae utilitatem salutemque animarum promovendam plurimum studii operaeque conferre«. In fronte sunt imagines: s. Stanislai E. M. a sinistra, s. Venceslai M. a dextra et arma episcopi »Ostoja« in medio.

[2]) Stanislaus Witkowski.

Episcopo Cracoviensi fl. 25. A R. P. Provinciali fl. 39. A D° Nagoth fl. 10. A Virgine Zasanska fl. 15. A Virgine Szydłowska fl. 10. A D^a^ Apollonia Trigedinova fl. 10. A reliquis alii. Res datae fl. 28 aestimatae sunt.

22. Renovatio votorum.

Peracta Renovatio Votorum more consueto, 2^a^ Julii, Sacrum celebrante R. P. Provinciali in sacello domestico S. Barbarae. Qua etiam die, ut supra diximus, publicatum decretum Episcopi per templa, quo damnabantur libri famosi contra nos impressi, quos Academia pro suis non agnoscebat.

Peregrinatio Raciboriensium.

Ex tractu Raciboriensi Germani Catholici, peregrinatione Cracoviam suscepta, processionaliter cum suis coniugibus et liberis fere 200^i^, 6^a^ huius mensis venerunt Cracoviam, cum suo Custode Raciboriensi et omnes fere in nostro S. Barbarae templo confessi sunt sacraque Communione refecti, cum quibus ipse Custos, superpelliceo et stola ornatus, ad altare accedens eandem sacram Communionem sumpsit. Cumque ab eo causa facti huius quaereretur respondit, id ideo facio, ut adverterent meae oves, me tunc temporis, dum Missae sacrificium non perago, sub una specie sanctissimam Eucharistiam sumere et vanas haereticorum cavillationes, quibus contra unam speciem debachantur, non curare assuescant. Idem Custos sumpsit apud nos eadem die prandium.

Eorum Sacerdos cur cum iis communicavit.

Discessit iterum R. P. Provincialis a nobis 7^a^ huius, cum antea de nonnullis consultationem habuisset. Depositum, quod Illustris D^a^ Cristina Grochowska, 6^a^ istius mensis, apud nos relinquerat, quinto post die, seu 11^a^ eiusdem mensis, a nobis repetiit eique fideliter redditum est.

Depositum redditum.

Excepti nonnulli cives in horto nostro, qui id tacite expetierant et qui ipsimet pro cibo ac potu nonnulla contulerant ad illud prandium et ad coenam, 13^a^ istius mensis. Quia vero Superior nonnullis domesticis ea de re nihil dixerat, volens ut id non omnibus innotesceret, offensi quidam eo, quod non fuissent ad praedictos hospites invitati, pessimam in partem id acceperunt et Superiorem varie traduxerant, tum apud R. P. Nostrum, tum alibi.

Hospitum tractatio in horto quosdam offendit.

Moritur 15^a^ istius mensis Gregorius XV^us^ Pontifex Maximus, cum multis aliis nominibus tum potissimum canonizatione Beati Patris Ignatii et B. Francisci Xaverii de Societate optime meritus. Quae de vita et actis eius hic scribi possent, aliunde sunt petenda.

Mors Gregorii XV.

23. Nuncius Apostolicus Lancellotus damnat libros contra nos scriptos.

Postquam ab Episcopo Cracoviensi et a Posnaniensi, ac simul tum a Rege Serenissimo, tum a Vice-Cancellario Regni damnati fuissent libri contra nos hoc anno scripti et maxime liber Responsionis Naimani, prodiit insuper, 20^a^ huius mensis, Varsaviae damnatio eorundem librorum Joannis Baptistae Lancelloti, Episcopi Nolani et Apostolici ad Regnum Poloniae Ducatumque Lituaniae, cum facultatibus Legati a latere, Nuntii. Quae damnatio impressa Cracoviae, ad plurima loca transmissa fuit tanquam ea, quae omnium episcopatuum in Regno Poloniae et M. Ducatu Lituaniae existentium dioeceses concernebat et obligabat.

Ducissa Jaroslaviensis, declinans Tartaros, venit Cracoviam.

Venit Cracoviam Illma Ducissa Ostrogiae Jaroslaviensis Anna de Sternberk, a tot annis totius huius Provinciae Benefactrix, 21^a^ istius mensis, ut inde postea ad arcem Wisnicensem se conferret, ne perpetuis sollicitudinibus, quas in propugnanda arce et Civitate Jaroslaviensi contra Tartaros sustinebat, morbum sibi accerseret. Venerant cum ea duo ex nostris, P. Christophorus Angelus et P. Hermolaus Buchowski.

Depositum R. D. Petri Chrząstowski.

Eadem die multis precibus effecit apud nos R. D. Petrus Chrząstowski, Canonicus Luceoriensis, ut eius depositum 148 aureorum cum sacculo monetae Moschoviticae Domi nostrae maneret. Impetraverat et illud, ut Superior Domus daret illi recognitionem, sed hac conditione, ut non ei reddatur depositum, nisi reddat recognitionem.

Pueri in Sacristia non servandi.

Prodiit Ordinatio Admodum R. P^ris^ Nostri Romae, 22^a^ huius, de pueris externis in Sacristia nostrorum non servandis, quae per totam hanc Provinciam statim est ad loca nostrorum missa. Publicati processus pro tota dioecesi, 25^a^ istius mensis, quibus iniungebatur, tum 40 horarum, tum diurnae et quotidianae in variis templis orationes, pro maximis Regni necessitatibus et pro peste avertenda. Instituta supplicatio in templo nostro 40 horarum, pro 30^a^ et 31^a^ istius mensis, ad quam non solum ingruentia pericula, sed ipsius etiam S. Patris festum stimulum addebat. Et quidem 30^a^ die, quae in diem Dominicam inciderat, concionatus est R. D. Andreas Lukomski, cum insigni Societatis commendatione. Ad festum vero Sancti Patris Ignatii Illma Ducissa Jaroslaviensis, Joannes Wężyk Episcopus Premisliensis, Stanislaus Lubinski Abbas Tinecensis et Nominatus Luceoriensis, Thomas Oborski Suffraganeus Cracoviensis et multi Praelati ac nobiles convenerant. Utrasque vesperas et summum Sacrum cecinit R^mus^ D^s^ Oborski, conclusionemque Orationis fecit. Concionatus in festo praedicto P. Christophorus Angelus, sed nolens impegit in magnam offensam Academicorum, ob quam sequenti mense maximae turbae contra eum et alios nostros excitatae, ut suo loco patebit.

Processus pro variis Orationibus.

Oratio 40 horarum in nostro templo.

Festum S. P^ris^.

P. Angelus nolens offendit Academicos.

Eleaemosyna Julii.

Eleaemosyna huius mensis erat in pecunia fl. 68. A Ducissa Jaroslaviensi fl. 10. A D^o^ Rab Consulari fl. 13. A Virgine Szydłowska fl. 10. A R^mo^ D^o^ Suffraganeo fl. 10. Ab aliis reliqui. Carnes, butyrum, casei, crematum, vinum, panes, aromata, indusia aestimata sunt fl. 51.

24.

Cur captabant occasionem nostros vexandi Academici.

Senserant Academici Cracovienses non mediocriter, tot scripta contra nostros edita fuisse damnata tam a spirituali quam a saeculari Magistratu, eoque praecipuo. Licet enim pro suis ea non agnoscebant, quia tamen passim notum erat a quibusdam eorum profecta, ideo damnationem contra se directam arbitrabantur. Hanc ob causam in omnem occasionem nostros calumniandi et si possent talionem nobis reddendi, intendebant eamque tali modo invenerunt. In

Verba P^is^ Angeli pro concione

concione de S. Patre Nostro habita P. Christophorus Angelus, tractans varia S. P^ris^ in Rempublicam Christianam promerita ob stu-

da litterarum promota, haec fere verba addiderat: Si ita res se habet, quorsum tot contradictiones pasquini, lapidum et luti in templa ipsa proiectiones, quae vix inter ethnicos et haereticos nobis contigissent? Filii matris meae pugnaverunt contra me. Si sumus unius Matris et Ecclesiae filii, quorsum eiusmodi dissidia? Assidebamus nobis invicem in hac celebri Academia, ex qua multi, qui iam sunt apud nos, prodierant; nostri etiam multi in ea litteris operam dederunt. Quorsum ergo contentiones? Sed sicut quondam Christus apparens nostris dicebat: Ero vobis propitius Romae, licet tot persecutiones essent Romae futurae, ita speramus nobis futurum propitium Cracoviae, licet tantae sint persecutiones. Haec verba avidissime arripuit Jacobus Naiman, Academiae Rector, cum reliquis Academicis et ea tanquam contumeliosa, diffamatoria, scandalum adferentia, Joanni Zerzinski Officiali ac Vicario Generali, hosti etiam nostro capitali, deferunt ab eoque citationem extraordinariam et, ut vocant, peremptoriam, unam pro tribus, contra Superiorem S. Barbarae et contra P. Christophorum Angelum obtinent ac statim, 1ª Augusti, per quendam sacerdotem, nomine Rectoris et totius Universitatis, in manus praedicti Superioris tradunt. Accepta citatione Superior facile coniecit, Academicos, advertentes ad Episcopum Cracoviensem (qui quinque dierum itinere Cracovia aberat) nos statim recursum habere non posse, omnia possibilia tentaturos, omnem movit lapidem, ut res pacifice transigeretur. Itaque et R^mum D. Thomam Oborski Suffraganeum et alios Praelatos, inter quos etiam unus fuit a Ducissa Jaroslaviensi missus, ad Rectorem misit, qui peterent et suaderent pacificam transactionem, sed apud obduratum animum Naimani et contra nos exacerbatum, nihil penitus effectum. Sequenti ergo die res ad iudicium devoluta, in quo mandatum procuratorium manuale, seu privatim factum (nam tale sufficere nonnulli suaserant) a nostro externo procuratore oblatum, quo exemptos nos esse declarabamus et ad Nuncium Apostolicum appellabamus. Sed hoc reiectum est. Quia vero in praedicto mandato nomen tantum Superioris expresse erat positum, reliquorum autem tantum implicite, nec adiunctum nomen P^ris Christophori Angeli, ideo statim tale decretum latum, ut Superior quidem sequenti termino verificationem scripti a se mandati adhiberet, Pater vero Angelus, tanquam contumax, exommunicaretur. Petitum deinde et ab ipso Officiali et ab Academicis, tam per nostros quam per alios, ut ab intimatione et promulgatione ex-

Arripiunt Academici.

Et citationem apud Officialem procurant.

Pacificam transactionem non admittunt.

25. Devoluta re ad iudicium,

Reiicitur mandatum procuratorium.

Excommunicatur P. Angelus.

Adfertur intimatio excommunicationis.

communicationis aliquanto tempore abstinerent. Sed nihil obtentum. Allata ergo est intimatio excommunicationis ad S. Barbaram, 3ª huius mensis et reddita P. Angelo, triumphantibus Academicis ac nobis insultantibus.

Fit publicatio excommunicationis in templo SSmae Trinitatis.

In festo deinde S. Dominici, in templo SSmae Trinitatis, in quo tunc 40 horarum supplicatio peragebatar, praesente Ducissa Jaroslaviensi ac praecipuis Praelatis, copia excommunicationis data est Religioso S. Marci, qui tunc concionabatur, ab Academicis, ut publicaretur. Religiosus ille, sive casu sive perturbatione, loco excommunicationis absolutionem ab excommonicatione Pis Angeli promulgaverat iamque ex suggestu descendebat. Sed Academicis iratis ac minas Officialis intendentibus, excommunicationem clarius explicantibus, iterum rediit ad suggestum ac se dixit prius per errorem promulgasse absolutionem, modo vero iam se promulgare excommonicationem Pis Christophori Angeli. Audita hac excommonicatione, ingens in templo orta vociferatio contra Academicos et contra Officialem, in civitate deinde passim etiam nostri hostes tam atrocem furorem et adeo acceleratum processum contra nos factum improbarunt. Post promulgationem excommunicationis, eius copiam ad valvas templi supradicti affixerant Academici, sed a populo transeunte abrepta et lacerata fuit nec postea ullo alio templo vel publicata vel portis affixa fuit, licet utrumque Academici efficere constituerant. Discesserat interim P. Angelus Cracovia ad unum Domus probationis praedium, ne excommunicationem, licet iniustissimam, contemnere videretur.

Cum ingenti hominum vociferatione contra Academicos.

Copia excommunicationis affixa, lacerata a populo.

26.

Eligitur in Pontificatum Urbanus VIII.

Romae post mortem Gregorii XVmi, quae uti diximus 15ª mensis superioris contigit, electus est 6ª huius mensis in Pontificem Maximum Cardinalis Barberinus, cum 56m aetatis annum ageret et Urbanus VIIIus vocatus est, de quo varia apud eos, qui recenter Vitas Pontificum Supremorum perscripserunt, videre potes.

Bullam Canonizationis S. Ignatii Nostri statim signavit cum Cardinalibus.

Ab eodem Pontifice, in ipso eius Pontificatus initio, prodiit Bulla seu litterae decretales canonizationis S. Ignatii Loiolae Societatis Jesu Fundatoris. Nam licet ea ex typographia Camerae Apostolicae non prodierit nisi anno Dni 1626, tamen in fine eiusdem Bullae ita scribitur: Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1623, octavo idus Augusti, Pontificatus nostri anno p imo. Subscripsitque praedictae Bullae et ipse Pontifex et 28 Cardinales nominatim [1]). Unde colligi videtur manifeste istam Bullam ipsa die electio-

[1]) Exemplar huius Bullae insertum est archaetypo inter fol. 642 et 643, formate 4-o. Continet 8 folia, quorum primum ornatum est imagine s. Ignatii.

nis Pontificiae factam. Coniectura est, hanc Bullam sub Gregorio XV^mo, qui sanctum Patrem canonizavit, iam fuisse paratam et vel ob morbos eius fere perpetuos, vel ob numerum Cardinalium minus sufficientem, vel ob aliquam aliam causam non subscriptam. Itaque post electionem Pontificis, tanquam primam gratiam, aut a Ludovisio Cardinali nepote Gregorii XV^mi, qui in electione Pontificia magnas partes habebat, aut ab aliis etiam Cardinalibus impetratam subscriptionem a novo Pontifice. Statim enim post electionem Pontificis ab eodem variae primae gratiae solent postulari, maxime a Cardinalibus.

Dum se parat Superior domus ad Iudicium Officialis contra Academicos

Instabat 7^a huius mensis, in qua verificatio scripti a se mandati procuratorii Superiori Domus S. Barbarae facienda erat coram Officiali. Itaque ad eam se comparans, suasu peritorum, novum mandatum procuratorium publicum (nam in primo non deerant errores) procuravit. Et quia verificatio primo decreto indicta etiam privatim coram Notario Officialis fieri solet, tentabat eam sic expedire Superior, sed Notarius eam non admisit, dicens sibi nihil a parte contraria eiusmodi commissum. Iam ergo cum R. D. Andrea Lukomski Theologiae Doctore ibat Superior ad Officialis iudicium, dum ab Episcopo Cracoviensi (ad quem Ducissa Jaroslaviensis in nostro negocio ipso die latae excommonicationis duos velites miserat) adfertur illi fasciculus litterarum, in quibus et inhibitio huius processus aliarumque contra nos causarum et absolutio ab excommunicatione P^is Angeli et multa alia pro nobis continebantur. His visis R. D. Lukomski iussit redire domum Superiorem Domus S. Barbarae et ipse, accepta inhibitione ac absolutione ab excommunicatione, cum Procuratore eius venit ad locum iudicii, nullaque initio facta mentione inhibitionis, ut causa procederet, permisit. Advertentes abesse Superiorem Academici nec scripti verificationem ostendere, eum tanquam contumacem accusant et excommunicari petunt. Producit procurator novum mandatum procuratorium authenticum, sed illud statim reiiciunt. Tunc primum R. D. Lukomski ostendit Episcopi inhibitionem. Attoniti ad rem insperatam Academici ad Archiepiscopum Gnesnensem appellant eamque appellationem subscripsit Officialis. Ob inhibitionem tamen ab omni contra nos processu abstinet. Quia vero in praedicta inhibitione aliqua erant contra nostra privilegia, ideo noster Procurator contra ea protestationem fecit, in reliquis omnia suscipiens, eam tamen Officialis non suscepit. Et ita transactum hoc negocium.

27. Accipit ab Episcopo et inhibitionem pro Officiali et absolutionem ab excommunicatione P^is Angeli.

Quae per D^m Lukomski in iudicio ostensa. Ea lis est finita.

Ad magnam instantiam Abbatissae Staniątkoviensis, nostrae Benefactricis, depositum eius monasterii in duabus cistis suscepimus, ob Tartarorum incursio- Depositum Abbatis-

sae Staniątkoviensis.

nes, quae huic districtui imminere putabantur. Cessante tamen periculo in Octobre post acceptum fuit et Staniątkos reportatum.

Ilzam profectus Superior domus

Post aliquot dies ab accepta inhibitione, nempe 10ª huius, absolutio ab excommunicatione P. Christophori Angeli in eodem templo SS^mae^ Trinitatis, ab uno Sacerdote, in frequentia populi, promulgata est. Cognoverat Praepositus Domus P. Provincialem nostrum Ilzae apud Episcopum Cracoviensem infirmum decumbere, ideo ad eum, cum P. Andrea Vąchocio, excurrit et 10ª huius Ilzam venit ac inprimis tum ipsum Episcopum tum R. P. Provincialem de toto negocio nostro cum Academicis instruit. Sequenti deinde die petiimus ab Episcopo, ut tam R. D. Officialem quam DD^os^ Academicos ad Nuncium Apostolicum, bona eius venia, citare possemus; id enim omnino esse necessarium etiam ipse R. P. Provincialis iudicaverat. Concessit tunc quidem id Episcopus liberalissime, sed postea nobis petentibus, ut eandem concessionem in scripto daret, valde aegre et cum multis disuasionibus eam dedit, de quibus omnibus tam Illmo Nuncio quam P. Gregorio Cislak, tanquam Generali Polonicae et Lituanicae Provinciae Syndico, perscriptum erat.

Impetrat ab Episcopo concessionem citandi ad Nuncium Officialem et Academicos.

28.

In templo S. Mathiae Votum Castitatis Vidualis facit Dª Ligęzina.

Mfca Dª Ligęzina, soror R. D. Kretkowski Canonici Cracoviensis, quam non ita pridem quidam perditus rapere voluerat, permittente Episcopo, 15ª huius mensis, in templo S. Mathiae votum castitatis vidualis perpetuum publice fecit, deducentibus eam ad altare Ducissa Jaroslaviensi et Castellana Voinicensi Dª Lubomierska, concionem habente, huic actui accomodatissimam, R. D. Andrea Lukomski, Canonico Cracoviensi. Eadem die lautissime tractavit omnes nostros R. D. Kretkowski in Domo Probationis et plurimos alios hospites.

Decretum Lancelloti Nuncii Apostolici promulgatur Cracoviae.

Joannis Baptistae Lancelloti Nuncii Apostolici decretum contra famosos libellos, quod 20ª superioris mensis prodierat, per varia templa 27ª huius promulgatum est Cracoviae.

Dni Widawski actio de Collegio Petricoviensi irrita.

Per hunc mensem Mfcus D. Mathias Węzyk Widawski de Collegii Petricoviensis fundatione coeperat nobiscum agere et 15 millia pro hac re offerre ac alia polliceri. Sed totum hoc negocium brevi evanuit, nam et summa praedicta vix ad fundum, in quo esset Collegium exstruendum, sufficiebat et aliae magnae difficultates non deerant.

Eleaemosyna Augusti.

Percepta eleaemosyna pecuniaria hoc mense erat fl. 467. Ex legato Dⁱ Jordani fl. 150. A variis, qui sciri nolebant, fl. 100. A Palatino Cracoviensi fl. 84. A Ducissa Jaroslaviensi fl. 40. A Dº Bobrownicki fl. 30. Ab aliis reliqui. Res datae 36 fl. constabant.

Simultas Benefactorum sopita.

Gravis simultas inter duos nostros Benefactores, D^m Szydłowski et D^m Bobrowicki, quae ad magnas caedes spectabat, 5^a Septembris Domi nostrae sopita est.

Resolutio R. P^is Nostri de iis quibus uti non possumus in nostro horto.

Intelleximus 6^a huius mensis revocata fuisse privilegia vivae vocis et per communicationem cum aliis concessa nostris, iterum nobis viva voce esse restituta. Sed non multo post erant deinde revocata. Varia erant proposita R. P. Nostro circa hortum. Ad quae respondens, 9^a istius mensis, supponit in primis sicut teneri Professos ex causa iusta restringere paupertatem, ita etiam ob voti reverentiam etiam in dubiis ad idem obligari. Deinde ad singula, quae erant proposita, talia dedit responsa: Ab opificibus domos horti inhabitantibus non posse nos, ratione habitationis, operas illorum viliori precio habere. Vaccas non esse in horto alendas. Fructus, olera, rosas aliaque id genus, si superfuerint, non esse vendenda, sed danda pauperibus. Alvearia in horto non statuenda nisi pauca, eaque ad recreationem potius, quam ad usum ordinarium. Annotata haec sunt in libro primo Ordinationum inter responsa Admodum R. P. Nostri.

29. Initium lectionum Theologicarum pro nostris in S. Petro.

Datum initium lectionibus Theologicis privatis nostrorum apud S. Petrum, 11^a istius mensis, praelegentibus P. Nicolao Lancicio Rectore Scripturam, P. Agapito Dąbrowski 1^am partem D. Thomae, P. Jacobo Golemowski De iure et iustitia. — Eadem die actae gratiae, tempore mensae, Illmo Gabrieli Comiti a Tarnow Capitaneo Cracoviensi, in refectorio Collegii S. Petri, qui bona plusquam duorum millium annuorum Collegio donaverat et qui tunc cum nostris prandium sumpsit. Agebat vero gratias Paulus Moscicki, Theologiae auditor.

Joannis Gninski litterae contra nostros.

Joannes Tracz Gninski Suffraganeus Posnaniensis, qui in nostris scholis et humaniora omnia et philosophica ac theologica studia expediverat, uno vero vel altero mense, propter gradum Doctoratus, Cracoviae manserat, ob id, quod in Academia assecutus erat, omnium eorum, quae a nostris acceperat, obsequiorum videbatur oblitus et maximum nostri Ordinis hostem variis in locis sese declarabat. Scripserat etiam, 16^a istius mensis, Posnania litteras ad quendam Academicum Cracoviam, plenas odio virulento contra nostros. Sed utinam praedictum odium non magis illi obfuisset quam nostris. Habetur copia eius litterarum domi nostrae.

Collectio R^mi D^i Oborski. Debitum solutum Annae Wnuczkownae.

R^mus D^s Thomas Oborski Suffraganeus, 17^a huius, ad nos veniens, per octo dies collectionem instituit eamque magna cum devotione expedivit.

Venditis Speculi Magni exemplaribus, a P. Wysocki olim impressis, reddita pecunia D^ae Annae Wnuczkownae, 19^a istius mensis, quam ille mutuam acceperat pro impressione. Fecit Professionem 4 Votorum P. Jacobus Pawłowski 21^a istius mensis in templo S. Mathiae, P. Andrea Vąchocio Sacrum habente et eius vota excipiente.

30 Protestatio contra Officialem et Academicos.

Circa finem huius mensis facta Varsaviae solennis protestatio contra R. D. Officialem Cracoviensem et contra Rectorem Academiae aliosque Academicos, nomine P^is Joannis Wielewicki, Praepositi Domus et P. Christophori Angeli. Missa etiam erat copia citationis contra eosdem a P. Gregorio Cislak, ad quem similiter Cracovia omnia ex libris extracta, nostro negocio servientia, erant remissa.

Pestis coepta desiit.

Coeperat ita pestis saevire hoc mense, ut 20 domus intra moenia inficerentur, diligentia tamen Magistratus et inprimis gratia Divina non perrexit ulterius.

Synagoga Calvinistarum inscribitur PP. Bernardinis.

Synagoga Calvinistarum, diruta, a Rege Serenissimo iure caducario data erat hoc mense Stanislao Lubomierski Pocillatori Regni, a quo postea inscripta erat PP. Bernardinis de Observantia.

Eleaemosyna Septembris.

Accepimus eleaemosynae pecuniariae per Septembrem fl. 284 A R^mo D^o Suffraganeo fl. 25. A D^o Bobrownicki fl. 70. A Ducissa Jaroslaviensi fl. 40. A D^o Rab fl. 13. A D^o Piotrowczyk fl. 50. Reliqui ab aliis. Res variae, ut duae tunnae vini a D^o Paulo Rakoci; decem metretae tritici ab Abbatissa Staniątkoviensi; a D^a Komorowska 4 vasa butyri et quatuor sexagenae caseorum; a D^a Wieloweiska siligo et triticum; ab aliis variis casei, butyrum, caro suilla et a D^o Zwolinski bos etc., aestimatae sunt fl. 126.

Dispersio Monasterii PP. Dominicanorum desiit.

Mortuo, ut putabatur, peste uno ex Patribus Dominicanis, 8^a Octobris, quia sine ullo discrimine cum eodem omnes fere conversabantur, magna trepidatio erat in monasterio et maior pars ad varia praedia discesserat. Quia tamen multo post tempore nihil innovatum erat, brevi domum redierunt.

10 Octobris memoria victoriae ex Turcis.

Ob Turcarum imperatorem ante biennium a finibus Regni fortiter reiectum, solenne festum ut 10^a istius mensis perageretur in perpetuam gratiarum actionem quolibet anno, Pontifex Maximus Gregorius XV^us permiserat. Ac proinde hoc anno datum ei rei initium Cracoviae et alibi per Dioecesim duratque id hucusque, licet festum non sit ad populum.

Primitiae multiplices in templis Cracoviensibus.

Ad moniales in Grodek manentes, Virgine Selingowna habitum religionis accipiente, invitatur noster pro concione, 15^a huius, per R. P. Nicolaum Moscinensem Dominicanum, Theologiae Doctorem, qui praedicti monasterii tunc curam habebat. Ibidem etiam tunc unus ex Patribus Dominicanis Primitias habebat eique duo Patres Bernardini ministrabant, quia ex monasterio SS^mae Trinitatis non videbatur tutum aliquem vocare. In templo etiam S. Barbarae tunc unus externus sacerdos primitias cantabat.

Sacellum B^i Kostka extructum ad templum S. Stephani. Domina Kotkowska in extremo morbo eius auxilium experitur.

Novum et egregium sacellum Beato Stanislao Kostka a spectabili D^o Joanne Mazurkowicz, cive Cracoviensi, exstructum, 22^a huius mensis in usu esse coepit, in quam annua memoria eius inciderat. Huius beati fere sub hoc tempus singulare auxilium experta Mfca D^a Kotkowska, Visnicii tunc manens et ex gravissima febri ita decumbens, ut iam animam agere videretur. Tunc ergo ad invocandam opem B. Stanislai et votum concipiendum inducta, mentem in Deum elevat et voce semimortua auxilium Beati implorat. Mirum veluti ex somno expergefacta, oculos aperit et sibi plene restituta, brevi convalescit. Aderat tunc praesens Anna a Stemberk Ducissa Ostrogiensis ac Jaroslaviensis, cum multis aliis, qui merum agnoscentes miraculum, Dominum in suo Sancto benedicebant.

Locaverat Virgo Catharina Zasanska tres, ut vocant, Portugalos cum olla

parva argentea in 30 aureis, a Superiore Domus acceptis, 30ª istius mensis, sed iis redditis, 18ª sequentis mensis accepit id, quod locaverat.

Hoc mense Tartari cum Hungaris, a Gabore ut ferebatur immissis, irruperant in Moraviam et gravissime illam sunt depopulati. 31. Irruptio Tartarorum in Moraviam.

Eleaemosyna mensis Octobris in pecunia erat florenorum 152. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 25. Legati a Margareta Moscha fl. 60, quos Dª Catharina Zurkiewicowa, 12ª huius mensis, attulit. A Virginibus, pro piscibus mendicantibus, fl. 22. A P. Porembski fl 10. Reliqui ab aliis. Pultes variae cum carne suilla et 6 metretae tritici a Monialibus Staniątkoviensibus. Ab aliis etiam siliginis metretae 10, tela, panis, carnes, casei constiterunt fl. 91. Eleaemosyna Octobris.

Venit P. Matthaeus Bembus Cracoviam 4ª Novembris, ut ex ordinatione Admodum Rdi Patris Nostri Praepositum Domus Professae ageret apud S. Barbaram et P. Joanni Wielewicki succederet, qui ab initio Augusti anni 1619 Domum hanc gubernabat. Conpositis ergo rebus variis et instructione sufficienti Successori relicta, discessit P. Joannes Wielewicki Calissium ad R. P. Provincialem, ut eius socium ageret ac itinerum comes esset, 8ª huius mensis. Et P. Bembus statim ad Episcopum Cracoviensem litteras dedit, quibus ei de occupatione sibi iniuncta significavit, benedictionem pastoralem ad munus rite obeundum postulavit et promptum animum ad serviendum cum suis domesticis obtulit. Respondit ad has litteras Episcopus humanissime, concesseratque ea, quae episcopi ratione casuum reservatorum episcopalium, concionum et approbationum ad confessiones Domui nostrae a multo tempore concedere solent. P. Matthaeus Bembus fit Praepositus domus. P. Wielewicki socius Provincialis. Episcopus concedit nostro Praeposito varia.

Prodiit 9ª istius mensis Instructio Admodum Rdi P. Nostri circa litteras missa, 19 continens capita: 1ᵘᵐ De perspicuitate scripturae, 2ᵘᵐ De iis, quae in litteris curanda generatim; 3ᵘᵐ De litteris Provincialium, 4ᵘᵐ De litteris Consultorum; 5ᵘᵐ De litteris Soli, 6ᵘᵐ De triennalibus et annuis Catalogis, 7ᵘᵐ De informationibus et relationibus ad gradus; 8ᵘᵐ De informationibus ad gubernandum; 9ᵘᵐ De iudiciis examinatorum ad Professionem; 10ᵘᵐ De Suffragiis defunctorum; 11ᵘᵐ De Summariis defunctorum; 12ᵘᵐ De aggregationibus Congregationum et Communicatione meritorum; 13ᵘᵐ De iudiciis Censorum librorum ad editionem; 14ᵘᵐ De formula Votorum, 15ᵘᵐ De Congregationibus Provincialibus; 16ᵘᵐ De tractatibus ad alienandum, de contractibus et aliis huiusmodi; 17ᵘᵐ De informationibus ad dimissionem; 18ᵘᵐ De litteris annuis, Historia vel supplementis Historiae Domorum et Collegiorum, 19ᵘᵐ De modo et tempore scripturas Romam mittendi. Haec Instructio, sicuti ad omnes Provincias, ita et ad nostram missa fuit et quia in librum primum Ordinationum relata est, ideo de illa nihil hic amplius dicendum est. Instructio circa litteras Admodum R. Pris Nostri continens 19 capita.

Dedicationis templi nostri festum in 12ᵃᵐ huius mensis inciderat. In eo R. D. Wilcogorski Sacrum cecinit et apud nos prandium sumpsit, cum R. D. Archipresbytero Trcinski et cum nostris a S. Petro ac a S. Stephano. 32. Dedicatio templi nostri.

Eadem die celebre martyrium Josaphati Konczewicii, Archiepiscopi Polocensis, fortissimi et zelosissimi unionis cum Ecclesia Romana inter schismaticos promotoris, qui Vitepscii a schismaticis, unio- Martyrium Josaphati Konczewicii.

nem impugnantibus, crudelissime occissus est. In eius occisi cadaver cum barbari iidem schismatici deseviissent et ex iis una vetula tum puncturis linguae tum vellicationibus capillorum crudelem rabiem exsaturasset, illud tandem in aquas deiecerunt, ex quibus lumine miraculoso proditum, extractum deinde fuit et honorifice sepultum. Adeo atroci schismaticorum barbarie commotus Sigismundus III Rex, Commissarios suos, quorum Supremus erat Leo Sapieha, Palatinus Vilnensis, Vitepscium misit ad inquirendos et poena debita afficiendos iniquissimae caedis authores. Fecerunt illi libenter, quod iniunctum erat et non paucis extremo supplicio affectis in totam Vitepscensem civitatem, quae etiam huius cladis complex erat, ita adverterunt, ut eam iure civitatis in perpetuum privaverint et in ordinem paganorum atque rus colentium cives eius redegerint. Sed de his fusius tum acta praedictae Comissionis, tum vitae et martyrii eius descripta historia, quae passim manibus teritur et brevi etiam imprimetur, sicut et concio de illis non ita pridem P. Fabiani Bierkovii Doctoris Theologiae est impressa.

Eleaemosyna Novembris.

Mensis Novembris eleaemosyna pecuniaria erat fl. 240. A variis per P. Wągrowski fl. 100. A Virginibus mendicantibus fl. 19. A Mfco Do Castellano Ravensi [1]) fl. 40. A Da Sremska fl. 10. A Da Wieloweiska fl. 10. Ab Abbatissa S. Andreae [2]) fl. 15. Reliqui ab aliis. Prandia a Da Rakowa, Da Formankowicowa, Da Gortacka et ab aliis: panes, pisces, carnes, casei fl. 62 constabant.

Festum S. Xaverii et S. Barbarae.

Festum S. P. Francisci Xaverii, 2a Decembris more consueto solenniter peractum, sicut et festum S. Barbarae Virginis, 4a eiusdem, in utroque pontificaliter canente Rmo Do Thoma Oborski, Suffraganeo Cracoviensi, qui in festo S. Xaverii prandium nobis suo sumptu praebuit, quo etiam festo P. Jacobus Golemowski mane in Sacro cantato est concionatus. In festo autem S. Barbarae Sacrum Rorate cecinit R. D. Bobola Gaspar Canonicus, qui simul cum Rmo Do Suffraganeo, R. D. Andrea Lukomski, Erasmo Kretkowski, Stanislao Garwaski, Canonicis, peculiaribus nostrae Societatis benefactoribus, in refectorio nostro cibum sumpserunt.

33. Missio Sądecensis.

P. Melchior Sulkowicz profectus est Sączum, 6a huius, rogatu Monialium, ad earum confessiones excipiendas et ad alia subsidia spiritualia eis praebenda. Socium habuit Lucam Klein.

Adventus R. P. Provincialis. Missio Visnicensis.

Venit R. P. Provincialis Georgius Tyszkiewicz, 22a istius mensis, cum P. Joanne Wielewicki suo socio, et primo Domus S. Barbarae, postea Domus S. Stephani visitationem instituit. Redierunt Visnico, ab Illma Ducissa Ostrogiae, P. Stephanus Wągrowski et P. Petrus Kamocki, 23a huius mensis, ubi duobus fere mensibus degebant, eo enim ob pestem Ducissa sese contulerat, quae plurimas domos Cracoviae occupaverat. Ex civibus tamen Cracoviensibus vix ali-

[1]) Philippus Wołucki.

[2]) Anna Szypowska.

quis hanc ob causam discesserat, quia frigoribus brevi futuris sopiendam pestem indicarant, quod et factum est.

Mortuo Concionatore Bmae Virginis Dominicano P. Piekarski, Eligitur alter Dominicanus R. P. Erasmus

Mortuus erat concionator ordinarius Bmae Virginis Parochiae Cracovien-sis R. P. Piekarski Dominicanus, et Consulares Cracovienses multi in aliquem ex nostris, praecipue vero in P. Matthaeum Bembum, qui etiam in festo S. Ste-phani in aede eiusdem Sancti iussus erat ut concionaretur et avide a civibus auditus est. Sed armatae preces Ducis Georgii Zbarascii, Castellani Cracoviensis, et Comitis a Tęczyn, Palatini Cracoviensis, et Stanislai Lubomierski, Poccillato-ris Regni, effecerunt apud Consulares, ne noster aliquis eligeretur. Itaque 29a huius, electus est R. P. Erasmus Dominicanus, qui Priorem tunc agebat.

Adventus Pis Benedicti Sofo.

Venit ultima huius mensis P. Benedictus Sofo ex Hispania Cracoviam, ut hinc in Lituaniam pergeret et in Vilnensi Societatis Nrae Academia Schola-sticae Theologiae Professorem ageret. Id enim ab Admodum R. Patre Nro Pro-vincia Lituaniae petierat.

Visio de B. Stanislao.

Hoc anno contigerat celebris quaedam visio Bi Stanislai Kostka, Danieli Bonikowski, idioteae, ostensa, quae in anno Dni 1627 in Septembri refertur, quia tunc primum de illa cognitum erat, ac propterea ibidem legenda.

Eleaemosyna Decembris.

Per mensem Decembrem accepimus eleaemosynae in pecunia fl. 335. — A Ducissa Jaroslaviensi 110. A Rmo Cracoviensi Episcopo fl. 15. A R. Do Ar-chipresbytero fl. 22. A R. D. Bobola Canonico Cracoviensi fl. 17. A Regni Po-cillatore fl. 24. A variis collecti fl. 70. A Do Philippo bibliopola fl. 12. A Dno Rab fl. 13. Reliqui ab aliis. Iam siligo, hordeum, triticum, pisa, vinum, crema-tum, carnes, panes, pisces, haleces, butyrum, aromata, tela, a variis submissa, fl. 228 constiterunt.

Eleamosyna templi annua.

Iam templi eleaemosyna per hunc annum erat fl. 1198. In rebus autem: lampas argentea, casulae nigri holoserici et varia alia linea plusquam 100 fl. sunt aestimata.

Haeretici conversi.

Quae ad certum anni mensem referri non poterant, illa inprimis sunt. Viginti aliquot haeretici ad Ecclesiam opera nostrorum redierunt, ut interim ordinaria omnia missa faciamus, qualia sunt sacramentorum Eucharistiae et Poe-nitentiae administrationes, carcerum et xenodochiorum visitationes, verbi Dei, tam in nostro templo, quam in aliis praedicationes.

Residentia Ostrogien-sis hoc an-no coepta. Qualis ci-vitas O-strogia.

Ostrogiam hoc anno quatuor nostri Sacerdotes evocati, quod a multis catholicis pridem desiderabatur, ibique sedem fixerunt. Est autem Ostrogia celebris civitas in Volhinia, Ducum quondam Ostro-giensium sedes; confluentibus tribus fluviis, muro, propugnaculis ac loci natura satis bene munita. Incolae quondam erant soli Rutheni iique schismatici, nam Dynastae loci schismatis graeci erant tenacis-simi promotores, unde hoc loco Academiam schismaticam exstruxe-rant, tanquam suae religionis arcem; sed iam tam catholici quam schismatici in ea morantur, quamvis Judaeorum colluvies utrosque fere et numero et opibus superet. Coeperant postremi Duces Ostro-

giae, catholici facti, rem catholicam in hac civitate promovere, sed iis morte sublatis, soror illorum germana, Anna ab Ostrog (quae Carolo Chodkievicio, Palatino Vilnensi, supremo contra Osmanum Turcarum imperatorem, exercituum Duci, nupserat) eam totam curam obviis ulnis suscepit. Marito enim defuncto, cum quo non integro anno mansit, iustis persolutis, licet ingenti curarum mole pressa fortunarumque variis detrimentis affecta, nostris Ostrogiam evocatis et bona, pro Collegii sufficienti fundatione, offert et aream pro fabrica Collegii, plusquam 18 domibus coemptis et subrutis, offert. Molestus fuit valde adventus nostrorum tum schismaticis bene ominantibus, quod eorum iuventus, defunctis Ducibus schisma promoventibus, per nostras scholas a schismate esset deducenda, tum Judaeis, quorum domus non paucae pro area Collegii erant coemendae, qui etiam ingentem pecuniam offerebant ad nostros ex illo loco dimovendos, sed nihil effecerunt. Statim vero nostri collocati Ostrogiae, consueta Societatis munia exercentes, maximum catholicorum amorem sui excitarunt et multorum etiam schismaticorum, quem in dies magis augendum non dubitamus.

Ab Anna Ostrogiensi Ducissa Palatina Vilnensi evocantur nostri. Et Ostrogiae collocantur ac fundantur. Schismaticis et Judaeis inique id ferentibus.

Annus Domini 1624.

Mutio Vitellesco Societatis Jesu Praeposito Generali, Georgio Tyszkiewicz Praeposito Provinciali, Matthaeo Bembo Domus Professae Cracoviensis Praeposito.

1. Numerus Nostrorum.

Viginti quinque ex nostris numerati in domo S. Barbarae per hunc annum; Sacerdotes videlicet quindecim, Coadiutores octo, duo Scholastici ad mensam legentes.

Adventus Ducissae Jaroslaviensis.

Festum Circumcisionis Domini more consueto, magna populi frequentia devotioneque solenniter peractum 2ª Januarii prodiit Cracoviae liber de Perfectione P. Georgii Tyszkiewicz Societatis Jesu, S. Theologiae Doctoris. Venit Cracoviam Visnicis Illustrissima Ducissa Jaroslaviensis, 3ª istius mensis, cum iam Dei gratia omnia a peste Cracoviae essent tuta. Venerat cum ea P. Hermolaus Buchowski cum suo socio et per aliquod tempus Cracoviae moratus est.

A. P. Melchiore Sulkowicz in missione Sądecensi

Rediit Sączo P. Melchior Sulkowicz, 13ª huius, optime navata opera monasterio Virginum illius loci. Viginti Virgines exercitationibus spiritualibus excultae omnes fere totius vitae confessionem fecerant, exhortationes de instituto religioso quotidianae per unam hebdomadam, clauso templo (praeter alias hebdomadarias) ad eas institutae, magno cum fructu et religiosae disciplinae ac praesertim votivae paupertatis reformatione. Vir nobilis, qui a monasterio graviter dissidebat, cum eodem in gratiam pristinam est restitutus. In festo B. Cu-

fundis, Sądecensis monasterii Fundatricis et Patronae, ad maximam concurrentem plebem nobilitatemque ex Polonia vicinaque Hungaria de gravitate peccati mortalis in communi et deinde contra usuras, luxuriam, Sacramentorum abusum ac impudentem in Confessione pudorem, quo peccata reticentur, concionem institutae, ex quibus plures contractus illiciti correcti et restitutio iis, qui iniuste lucrabantur, iniuncta, unaque multis annis peccata occultans, gemebunda integram Confessionem instituit, adiungens se auditae concionis memoriam nunquam depositurum et dolens, quod hucusque ab hominibus Societatis abhorruerit

multa pia facta.

P. Matthaeus Bembus Praepositus per litteras Lucae de Bnin Opalinski evocatus ad concionandum in funere Andreae Opalinski Episcopi Posnaniensis, superioris anni 19ª Decembris Ciązyni mortui, discessit Cracovia 16ª huius. Caverat enim testamento defunctus, ut in eius funere dictus Pater concionaretur, quod et fecit in magna Illustrium virorum et Magnatum corona, 31ª istius mensis eiusque concio sequenti mense, ut suo loco patebit, est impressa.

In funere Episcopi Posnaniensis concionatur P. Bembus.

Rebus Cracoviae in qualibet nostrorum domo ordinatis R. P. Provincialis discessit Cracovia Jaroslaviam versus, cum suo socio P. Joanne Wielewicki, 18ª huius mensis, quem etiam postea Jaroslaviae ideo ad 1ªm usque Martii reliquerat, ut Patribus tertianis, infirmante tunc P. Christophoro Angelo, praeesset.

Discessit P. Provincialis Cracovia.

2.

Mfca D. Lubomierska, Castellana Voinicensis, 27ª huius mensis, multis praesentibus, in templo nostro candelam cerae candidae cum serto floribusque deposuit super tumulum pientissimae Virginis Barbarae Langae et Sacrum de SSmª Trinitate in gratiarum actionem curavit fieri. Palam vero illud audientibus referebat, se genu ita habuisse obduratum, ut usum pedis habere non posset. Cumque frustra medici et chirurgi remedia adhiberent, se praedictae Virginis opem ac orationes invocasse et statim ex pede affecto sanie erumpente, intra aliquot horas sanitati restitutam fuisse, medicis id manifesto miraculo attribuentibus. Varii post homines piae huius Virginis auxilium invocare eiusque sepulchrum cereis ornare coeperunt.

Dª Lubomierska sanatur miraculose, implorata ope Barbarae Langae, cui votum solvit.

Hoc mense Jacobus Naiman, Academiae Rector, Joannem Rusel, Auditorem Theologiae, eam solam ob causam, quod nostros extolleret et addictus nostris esset, ex Bursa abire iussit, sed provocante ad Episcopum, iterum cum eo concordiam iniit. Alium similiter adolescentem idem Rector eandem ob causam ex praedicta Bursa expedivit. Ita iste homo, minima arrepta occasione, odium nostri patefaciebat. Sub idem tempus reliqui Academici variis modis conabantur avertere studiosos a Congregatione Bmae Virginis Assumptae. Zaportowicz etiam Collega maior asperis et iniuriosis verbis publice contra nostros debachabatur.

Jacobus Naiman eiecit ex Bursa quosdam, quod nobis faverent.

Theologia Antilogica Pis Tyszkiewicz.

Hoc anno prodiit liber P. Georgii Tyszkiewicz contra haereticos tali titulo: Theologia Antilogica seu contradictiones Lutteranorum et Calvinistarum, impressus Cracoviae in 4.

Eleaemosyna Januarii.

Pecuniariae eleaemosynae accepimus mense Januario fl. 434. Ab Episcopo Cracoviensi 100. A Marsalco Regni Do Wolski fl. 100, quos ab eo tulit P. Szembek 15 huius. A variis collecti per P. Wągrowski fl. 100. A quodam fl. 50. A Sądecensibus Virginibus fl. 24. A Palatino Cracoviensi fl. 28. A quodam fl. 10. Reliqui ab aliis. Frumentum a Mfco Do Oeconomo [1]) et a Staniątkoviensibus Monialibus, quae etiam caseum ac butyrum miserunt et mappam. Lepores a D. Komorowska et ab aliis aliae carnes, vinum, casei, fl. 76 sunt aestimata.

Staniątkis concio funebris per nostrum.

In funere Virginis Lodzinska, Monialis Staniątkoviensis, concionatus P. Joannes Sepielcius, rogatu Abbatissae illius monasterii [2]) 5a Februarii.

3. P. Joannis Ponecii Patria, Aetas.

Obiit diem suum P. Joannes Ponecius domi nostrae 6a huius mensis, post tertiam horam pomeridianam. Natus is honestis parentibus, in oppido Maioris Poloniae, Poniec dicto. Ex annis aetatis 71, in Societate 48 consumpsit, quam iam maturus et Artium Baccalaureus in Academia Cracoviensi creatus, ingressus erat. Post rudimenta enim litterarum Poneci et Crobiae peracta, humanioribus litteris tum in Collegio Lubransciano Posnaniensi (nondum enim nostri Posnaniam venerant), tum in Academia Cracoviensi, studens in eadem Philosophiae dedit operam et lauream Baccalaurei, ut diximus, adeptus est, in pluribusque oppidis ac demum in schola cathedralis ecclesiae Posnaniensis iuventutem docuit. Iam enim sub illud tempus Collegium Lubranscianum desertum erat atque ita usque ad Andream de Bnin Opalenski, Episcopum Posnaniensem, perdurabat, sub quo iterum impensis Mfcorum DD. Rozrazeviorum restitutum, Academiae Cracoviensis Magistros habet et non exiguum discipulorum numerum recenset, etiam hoc tempore. Ingressus Societatem anno 1576, 10a Augusti, Philosophiae tribus et Scholasticae Theologiae aliis tribus studuit et post docuit humaniora per tres annos et casus conscientiae per duos, quibus etiam resolvendis domi praefuit Calissii, per 6 annos. Concionatorem ordinarium agebat Calissii, Jaroslaviae, Sendomiriae, Cameneci, Premisliae, annis fere 20; ad id enim munus velut a natura videbatur formatus, ob vocem gravem, sonoram et ob oris totiusque corporis dignitatem. Diligentiam eius in parandis concionibus testantur aliquot tomi in folio, exquisito charactere propria eius manu conscripti, qui rerum copiam et multorum librorum lectionem demonstrant. Multum et haereticis et catholicis suis concionibus profuit, nec paucis in locis iucunda eius memoria, eo maxime nomine, quod multi ab haeresi liberati, fidem catholicam post Deum illi acceptam referant. Praepositum scholarum Pultoviae et Lublini aliquot annis egit. Collegium Jaroslaviense per sex annos, Residentiam Leopoliensem, Camenecensem, Premisliensem per alios sex gubernavit difficillimis temporibus. Et quidem sub eius rectoratu cum tota civitas Jaroslaviensis

Studia in saeculo.

Ingressus in Societatem. Studia in eadem.

Occupationes variae in Concionibus per annos 20.

In gubernatione per annos 12.

---

[1]) Witkowski Stanislaus.

[2]) Anna Caecilia Trzcinska.

rum Collegio ac templo nostro conflagrasset, habebat pauper, quod ageret, in reparando templo et Collegio. Formatus coadiutor spiritualis factus anno 1595, die 22ª Octobris. Senio ac variis morbis et ad extremum hectica febri lente consumptus, die supradicto, postquam Sacramentis consuetis egregie sese munivisset, mortuus est, zeli proximorum, modestiae ac morum suavitatis, devotionis aliarumque virtutum specimina relinquens, et sequenti die more consueto in communi sepulchro est sepultus in sacristia.

Gradus Formati Coadiutoris. Mors.

Prodiit Roma 7ª huius declaratio Cardinalium de eligendis Conservatoribus, quae in Synodo Provinciali postremo impresso videnda est.

4. Declaratio de eligendis Conservatoribus.

Litterae Cardinalis Ludovisii ad Joannem Baptistam Lancellotum nomine Summi Pontificis Urbani VIII, 10ª huius mensis datae de negocio inter nostros et Academiam componendo, permoverant praedictum Nuncium, ut Nostros et Academicos ad se evocaret Varsaviam, ut privilegia sua ostenderent utrique, quibus nituntur et nostri ad docendum Cracoviae et Academici ad prohibendas nostras scholas. Exhibuerunt nostri privilegia, etiam ipsius Academiae et plurima alia. Academici vero nihil attulerant. Vide ea de re datum testimonium Nuncii Apostolici Lancelloti 8ª Aprilis, anno 1626, quod positum est in libello Antigratis fol. 908.

Litterae Ludovisii Cardinalis ad Lancellotum de componendo negocio inter nos et Academiam.

Rediit Radlino P. Praepositus, 13ª huius, quo se contulerat superiori mense cum Stanislao Piątkovio et P. Andrea Kanski, quem Calissio secum duxit, ut Procuratorem Domus ageret in acquirendis extra urbem eleaemosynis. Concio funebris a P. Matthaeo Bembo, Radlini habita in funere Episcopi Posnaniensis, impressa est Cracoviae 20ª huius mensis et postea variis distributa. Ordinatio de amovendis externis a nostra sacristia coepit in praxim reduci, 23ª huius, domi nostrae; tunc enim servitor externus ab ea amotus est.

Concio funebris Bembi impressa.

Res iucunda Cracoviae in uno puero hebraeo ad baptismum adducto, 27ª huius contigit, quae ita processit. Parens praedicti pueri, Posnaniae [1]) conversus opera nostrorum et sacro fonte ablutus, in honorem S^i Patris Nostri Ignatii nomen acceperat, uxor vero eius Judaea cum filio quadrienni Cracoviae manebat. Cupiens ergo filium christianis sacris adiungere, Cracoviam venit, domi nostrae, ne Judaeis innotesceret, sese occultat et per R. P. Erasmum Koniuszewium, Ordinis Praedicatorum, primarii parochialis templi Cracoviensis Ecclesiastem, litteras ad Comitem de Tęczyn, Palatinum Cracoviensem,

5. Judaeus baptizatus facultatem repetendi a Judaeis filii a Palatino obtinet.

[1]) De Judaeo hoc invenitur quoque mentio in Mscr. Annales Colleg. Posn. fol. 95. »Eidem pecunia a Posnaniensibus Judaeis debita ut persolveretur, curatum est a nostris«.

Deferuntur litterae Palatini ad Judaeos.

obtinet, in quibus petebatur, ut parenti neophyto filium repetendi potestas fieret, nec Iudaei ullo ad id essent impedimento. Facit Palatinus, quod ab eo petebatur et litteras in hoc negocio ad Iudaeos dat. Cum autem difficultas in eo esset, qui litteras Iudaeis deferre vellet, ob varios respectus variis id detrectantibus, P^is^ Friderici Szembeci industria duo reperti viri nobiles, qui a Praelatis Cracoviensibus numeroso conquisito famulitio, neophyto parente in veste peregrini et uno oculo instar coeci velato praeeunte, oppidum Judaeorum ingrediuntur et non domum tantum, sed etiam cubiculum, in quo puer cum matre erat, intrant, primores Judaeorum advocant, mandatum Palatini in scripto offerunt. Hic parens pueri, cum velum ab oculo reiecisset, a filio gestiente agnitus, qui etiam ad eum, Judaea matre relicta, accurrere non dubitavit. Iudaei interim aliquid se facturos negare, Palatinum fraude circumventum vociferari, neophytum ingentibus contumeliis onerare, alii denique portas occludere oppidi contendunt, ne puer ex eorum manibus extorqueretur. Sed neophytus cum illo comitatu fortiter eorum impetum reprimebat et ut ignitus Ignatius se filii saluti omnia pericula posthabere palam ostendebat. Concertatione ad noctem perducta, eo res venit, ut Judaei in manus sui ordinarii Judicis, hominis christiani, se die postera puerum tradituros bona fide reciperent. Sequenti post die, pro sua iudaica astutia, nobiles illos viros puerum repetentes, imo et ipsum neophytum muneribus expugnare aggrediuntur, rerum irrito conatu. Fit certior de omnibus P. Fridericus Szembek et statim, exorato praedicto P. Erasmo Dominicano, ut se tam praeclari incepti exhiberet adiutorem, Hebraeorum adit Judicem et simul cum P. Dominicano urget, ut iuxta mandatum Palatini filius in patris veniat potestatem. Tergiversari ille [1]) affirmans iuri naturali contrarium esse, puellum quadriennem, sui impotem, e sinu invitae matris abstrahere et baptismo initiare. Respondet noster, non se venisse cum P. Dominicano ob dubii theologici resolutionem, de quo satis illis constaret, sed ut Palatini mandatum exequeretur. Pergebat ille cunctari, dum statim nostro suggerente P. Dominicanus illi denunciat, se eius tergiversationes Palatino per litteras significaturum. Metu hoc incusso, iubet iudex, ut puer ex oppido iudaico Cracoviam adduceretur; cumque Judaei tumultum praetenderent, ipsemet Judex Nostro et P. Dominicano comitibus, ad

Varie impediunt, ne puer extradatur.

Pollicentur tandem sequenti die, se in manus Judicis Christiani puerum tradituros.

Muneribus variis corrumpere tentant.

6. Adit Noster cum Pre Dominicano Judicem.

Et post varia cum Iudice, pergunt in oppidum Iudaicum.

[1]) coepit.

Iudaeos se confert et frustra iis munera offerentibus, puerum adduci iubet et adductum parenti tradit. Laetissimus parens, sublatum in brachia filiolum, comitante Judice inter Nostrum et Dominicanum incedens, ex oppido Iudaeorum effert, matre interim pueri lamentis mulierebribus omnia complente. Cracoviam cum ventum esset, iucundum omnibus exhibitum spectaculum, qui Nostrum cum P. Dominicano in hac re praeclara operas iunxisse suspiciebant. Varias calumnias contra nostrum Iudaei postea Palatino scripserant, sed totam mendaciorum nubem P. Dominicanus Palatino detexit illique abunde satisfecit. Detentus aliquantum parvulus in nostra S. Barbarae domo, traditus deinde piae matronae, cum omnia fidei rudimenta didicisset lingua polonica, cuius antea nullum usum habebat, ipsa Dominica Laetare, quae in 18^am^ Martii inciderat, ab Episcopo Luceoriensi Suffraganeo Cracoviensi, Thoma Oborski, in primaria civitatis parochia B^mae^ Virginis baptizatus est, Patrino Civitatis Consule[1]) et Patrina Cristina de Gaiow Myszkowska, Castellana Oswiecimensi, assistentibus. In honorem S. Francisci Xaverii nomen Francisci accepit, erga quem parens ipse, sicut et erga S. Ignatium, praecipua devotione afficiebatur.

Adductum puerum Iudex reddit Patri. Defertur puer in Civitatem.

Instructus fidei rudimentis.

Baptizatur in templo Parochiali SS^mae^ Virginis.

Eadem 27^a^ Februarii pro felici Comitiorum Regni exitu habita est in nostro templo oratio diurna cum triplici concione. Peragebantur enim tunc Comitia Varsaviae et in iis plurima ad defensionem finium Regni, ad cohibendam licentiam militarem et ad contributiones decreta sunt.

Oratio diurna in nostro templo pro exitu Comitiorum.

In fine huius mensis Nobilis D^s^ Duracz, Procurator, egressus e templo parochiali, a Dno Modliszewski, Capitaneo Lomzensi, primo aliquot vulneribus affectus, deinde crudeliter in coemeterio occisus. Fugerat ex civitate D^s^ Modliszewski et postea, reconciliato Episcopo, tanta res impune abiit.

Violatio templi parochialis et coemeterii.

Per hunc mensem copiosa nobis a variis concessa eleaemosyna, tam in rebus quam in pecuniis. Et in pecuniis quidem accepimus fl. 925, nempe 500 fl.

Eleaemosyna Februarii.

[1]) Consules pro hoc anno erant a palatino Cracoviensi, Joanne comite a Tenczyn, nominati: Alantse Sigism., Hippolith Paul., Conradt Stan., Naiman Christoph. med. dr., Biderman Georg., Gruszczynski Matth., Nagoth Ada., Blanki Ludov. (cfr. Acta inscriptionum Spect. Senatus Cracov. Mscrpt. Archiv. veter. Mon. urbis Crac. nr. 34 f. 336). Cum autem ex his solus Biderman saepius apud PP. Societatis versaretur, puto ipsum in mente habuisse auctorem nostrae Historiae. Ex libris baptisatorum ecclesiae paroch. B. M. in circulo Crac. facile id comperi possit, sed libri hi incipiunt demum ab anno 1630.

legati a quodam. A D° Luca Opalenski Marsalco fl 150. A Palatino Lanciciensi[1]) fl. 100. A D° Zegocki iudice fl. 50. Legatum redditum per D^m^ Olbrichtum fl. 55. A Coniuge D^i^ Palatini Lanciciensis fl. 30. Reliqui ab aliis. Frumentum, carnes, casei, butyrum, panes, vinum et alia minutiora constiterunt fl. 161.

7. Pro mortuo Laurentio Gembicki Archiepiscopo Sacra et orationes indictae.

Perlato nuntio Cracoviam de obitu Laurentii Gembicki, Archiepiscopi Gnesnensis et Regni Primatis, qui superiori mense contigit, in templo nostro Sacra ab omnibus Patribus habita funebria, cum Sacro cantato, exposito in medio cooperto feretro, supra quod mitra pontificia fuit imposita, 1^a^ Martii. Fratribus etiam omnibus pro eodem coronae erant indictae. Magnus omnino is vir erat in Republica et post episcopatum Culmensem, cum quo simul Regni Cancellarius erat, ac Vladislaviensem, ad archiepiscopatum praedictum pervenerat, singularibusque talentis ad munia tanta obeunda egregie erat instructus. Societatis etiam nostrae fuit longo tempore amantissimus, nec immemor disciplinae, quam in nostris scholis Posnaniensibus, circa ipsum earum initium, hauserat. Sed nonnulli Praelati, Societati nostrae malevoli, eum non mediocriter contra nos concitaverant aliquot annis ante mortem et eo deduxerant ut Seminarium Calissiense, nostrae curae ex fundatione Stanislai Karnkovii eius antecessoris commissum, nobis per decretum in Synodo factum et deinde per Praelatos immissos eripuerit. Unde litem ei intendere debebant nostri, ex qua et ob quam plurimae alienationes sunt secutae.

Malevoli effecerant, ut a nobis ante mortem esset alienus.

Georgius Hungarus in extremo morbo per S. P. Ignatium iuvatur.

Dnus Georgius Hungarus, civis Cracoviensis, parum devotus et nostrae Societati minime affectus, dum ob febrim gravissimam in extremo esset vitae periculo et a medicis iam esset derelictus, suasu confessarii votum S. P^i^ Ignatio nuncupasset, 12^a^ huius mensis, statim a febri liberatus est et omnium opinione citius pristinae valetudini restitutus, tabellam argenteam ad aram S. Ignatii affixit ac de eo cum tota sua familia Sacrum audivit.

Dux Zbarascensis concionem P^is^ Bembi benigne accepit et legit.

Concionem suam funebrem, superiori mense impressam, cum P. Bembus Praepositus Domus per D^m^ Kotkowski Georgio Duci de Zbarasz, Castellano Cracoviensi, 13^a^ istius mensis, misisset una cum litteris, benigne eam accepit ac legit, postea tamen nihil de odio, quod contra Societatem perpetuo habuit, remisit.

Missio Staniątkos.

P. Andreas Kanski cum P. Adamo Ustinio missi sunt Staniątkos ad Moniales, 18^a^ huius mensis, ibique per unam hebdomadam et confessionibus excipiendis et concionibus faciendis vacabant.

Festum S. Joachimi.

Festum S. Joachimi ex praescripto Gregorii XV^i^ Pontificis Maximi, 20^a^ istius mensis, celebrari coepit.

---

[1]) Adamus Czarnkowski.

Ivit P. Praepositus pro festo S. Benedicti Tinecum cum P. Melchiore Sulkowicz, invitatu Stanislai Lubinski Episcopi Luceoriensis et Abbatis Tinecensis, ibique a Sulkowicz habita concio. Missio Tinecum.

P. Joannes Zegocki cum uno Scholastico missus Bolechowicos, 29ª huius, ad iuvandum parochum. et Bolechowicos.

Sub finem huius mensis Clepardiae, in platea longa vulgo dicta, apud fabrum ferrarium, dum in Februario quaedam mortua fuisset et sepulta et eam deinde brevi alia et tertio puer, vix aliquo morbo praecedente, secuti essent, a Magistratu chirurgi ac medici mittuntur, ut intelligerent, an aliqua essent pestis initia nec ne, et domum interim fabri clausam esse volunt. Renuntiant medici nulla pestis signa esse tam in foemina quam in puero. Et id dum fit, quodam loco alia foemina moritur illius domus, in qua etiam nullum prorsus pestis signum erat. Itaque dum varii ea de re consuluntur, concluditur per maleficium id fieri. Effoditur igitur illius feminae, quae primo mortua fuerat, cadaver, quod inventum est ore ad terram conversum et a capite ad cingulum totum rubeum ac mandens lintamina. Clepardenses ergo, suorum sacerdotum consilio, palla ferro acuto circumducta caput cadaveris truncant, unde media fere olla recentis cruoris effluxit, licet a tribus septimanis cadaver fuisset sepultum. Suspectae post domui, in qua nonnulli adhuc periclitabantur, incolumitas restituta est.

8. Clepardiae dum successive in una domo 4 moriuntur

Ascribitur id maleficio

Et effosso primo cadaveri caput palla amputatur

Sicque restituitur incolumitas domui.

Quae in hac re illicita fuerint et an aliqua ex iis licite fieri possent, considerent Theologi Morales, quorum in illa quaestione: An liceat maleficii signum destruere ad obtinendam sanitatem, communis est resolutio, quod liceat et malefico ipsi et cuicunque alteri, sive sit unicum pactum sive duplex, modo ille, qui destruit signum, habeat intentionem destruendi pactum initum, non autem servandi vel cofirmandi. Vide Fillucii tom. 2, tractatum 24, cap. 8, qu. 5ª, ubi citat Lessium, Sanchez et Suarez.

Quid in hac re liceat, quid non.

Eleaemosyna mensis Martii pecuniaria erat fl. 270. A Dº Razik, ad rationem 200 fl. post mortem Catharinae Swiętkowna, fl. 60. A Dº Wizenberg fl. 40. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 25 A Palatino Cracoviensi fl. 28. A Dº Ożarowski fl. 10. A Dº Białobrzeski fl. 10. A variis collecti fl. 20 A reliquis alii. Frumentum, vinum, pisces, halecum duae tunnae, aromata submissa constiterunt fl. 217. Eleaemosyna Martii.

Venit ad nos 1ª Aprilis P. Mathias Hainal Hungarus, qui additus erat comes profectionis Mfci Dⁱ Horvat Hungari, ad Serenissimum Regem Caesarei Legati, qui Varsavia cum redirent Cracoviam, inde ad Caesarem redituri, nos inviserunt. Sumpsit prandium apud Dⁿ Harvat Legatus Caesareus ad Regem.

eundem Legatum cum Patre praedicto, 2ª huius, P. Praepositus et iterum cum eodem apud Dᵐ Ważyński quarta huius, qua etiam Dˢ Harvat Cracovia discessit.

9. Die Parasceves in nostro templo sepulchrum Domini incenditur.

Die Sancto Parasceves, qui in 6ᵗᵐ huius mensis inciderat, a funesto casu divina benignitate sumus servati. Exstructum erat in templo nostro more recepto sepulchrum pro SSᵐᵒ Christi corpore, opere eleganti. Tabulatum ligneum eius structurae tectum erat papyro, rupis cavatae similitudinem imitante. Ergo dum lampades extinctas Frater noster Sabbato Sancto accendit, improvidus papyro admovet candelam, quam manu tenebat. Papyrus oleo imbuta celerrime ignem corripit, qui tabulatum cum parte stucturae superiori subito inflammavit. Accurrerunt nostri cum aliis et elato inprimis SSᵐᵒ Sacramento flammam extinguere, tabulatum deturbare, aquam affundere incipiunt, unde ingens ex fenestris, quae statim apertae erant, prodire coepit fumus, quo viso rumor percrebuit, templum nostrum incendio magnum damnum accepisse, altare maius exustum esse, fornicem ruisse et alia id genus, quae malevoli maiorem in modum amplificabant. Et sane maius altare vicinum flammae in summo erat periculo, sed divina providentia auxilium evidens praebente, etiam linea tela, qua erat obductum, ignem non concepit. Perfuncti tanto periculo, gratis Deo actis, raptim theatrum composuimus, nigro panno contexiumus, inter insignia Passionis Dominicae SSᵘᵐ Sacramentum deposuimus, templum a fumo liberum, olenti thimiamate repletum, aperuimus, maxima bonorum gratulatione et malevolorum, qui plurima nobis falsa exprobrabant, confusione. Adeo vero extemporaneum illud veluti sepulchrum omnium oculis placuerat, ut nonnulli prius non tam ob imminens periculum, quam de industria a nobis sublatum arbitrarentur, ut videlicet alterius spectaculo oculi multitudinis detinerentur. Plurimi ergo concurrebant ad illud visendum. Augebant enim sepulchri Dominici celebritatem devoti de Christi morte et cruciatibus idiomate vernaculo threni. Inter hos pueros erat quoque ille parvulus Franciscus, nuper baptizatus, de quo in Februario diximus, qui suos quoque versiculos mira gratia non tam pronuntiabat, quam balbutiebat. Addit P. Petrus Kamocki, in sua templi historia, rupem papyraceam contra suam prohibitionem manifestam (erat enim Praefectus templi) inscio se per sacristianum factam eiusque inobedientiam hoc modo a Deo punitam.

Extinguunt nostri incendium

Et iterum extemporaneum sepulchrum aliud ponunt

Magna omnium admiratione et satisfactione.

Declarationes devotae in illo.

10. Christophori Ducis in Zbarasz litterae et eleaemosyna.

Peracta postea festa Paschalia ab octava huius mensis ad decimam inclusive more consueto. Christophorus Dux in Zbarasz, datis litteris ad P. Matthaeum Bembum, Praepositum Domus, 11ª istius mensis, testatus est, gratam sibi accidisse concionem funebrem impressam sibi missam et domui eleaemosynae 100 fl. adiecit.

In Miechoviensi solennitate nostri concionantur.

Quia in Miechoviensi monasterio, recepta aliqua consuetudine, Dominica 2ª post Pascha festum Paschatis quotannis iterari solet ac eo modo prorsus celebrari, ut in ipso festo, ideo ad talem solennitatem Mathias Lubinski Episcopus Chelmensis et Praepositus Miechoviensis invitavit P. Matthaeum Bembum, Praepositum, et P. Melchiorem Sulkowicz fere 24ª istius mensis, qua etiam die P. Praepositus mane et P. Sulkowicz post prandium sunt concionati.

Missio per parochias cum R^mo D^o Suffraganeo.

Circa finem huius mensis iterum praedictus P. Sulkowicz cum P. Adamo Ustinio, adiuncti R^mo Thomae Oborski Suffraganeo, aliquot parochias obierunt magno cum fructu per conciones, doctrinae catechisticae explicationem et Poenitentiae ac Eucharistiae Sacramentorum administrationem, quod etiam sequenti mense factum.

Eleaemosyna Aprilis.

Pecuniariae eleaemosynae per mensem Aprilem accepimus fl. 322. A Christophoro Duce in Zbarasz fl. 100. A variis per P. Kamocki et P. Kanski fl. 66. A Virginibus, quae pro piscibus mendicabant fl. 32. A D^o Rab fl. 13. A D^o Suffraganeo fl. 10. A D^o Lukomski Canonico alii 10 et a D^o Bobola Canonico similiter 10. A D^a Wielowieska fl. 10. A D^o Gabriele Szembek fl. 10. A Monialibus S. Andreae fl. 10. Reliqui ab aliis. Iam res submissae, ut vini tunna a D^o Zwolinski, ligna a D^a Komorowska et D^o Dębinski, frumentum a D^o Rogozinski, butyrum, casei, carnes, placentae et alia id genus aestimata sunt fl. 261.

II. Evocatur noster ad infirmum Episcopum.

Sub finem praecedentis mensis inciderat in gravem morbum Episcopus Cracoviensis, in quo ad extrema fere deductus erat, quod tamen et ipse vix advertebat spe evadendi morbum et cubicularii, more recepto apud Magnates, partim celabant, partim extenuabant. Advertit periculum R. D. Georgius Tyszkiewicz Canonicus Cracoviensis et statim 1^a Maii P. Fridericum Szembek Cracovia evocat; nec is moratur et veniens ad Episcopum, eum in maximo periculo vitae amittendae comperit. Sed quia nocte insequente, ultro ac nemine cohortante, authore ipso Deo, votum S. Stanislao Regni et Ecclesiae suae Patrono nuncupavit se, si valetudini restitueretur, sepulchrum illius novis ornamentis adiectis illustrius effecturum et in id ad 50 millia florenorum expositurum, sensit illico gratam fuisse Deo suam devotionem, nam febris in sudores resoluta spem recuperandae valetudinis, quae iam vix aliqua erat, omnibus fecit. Cognita hac re P. Szembek Praesuli divinum beneficium gratulari et simul pro eius incolumitate pia ac religiosa remedia excogitare non destitit. Induxit peregrinationem ad sacellum S. Borromaei, quod non multum distabat, quam suscepere 20, inter quos undecim erant ex clero, omnes familiares Episcopi et splendore natalium clari. Totum illud iter piis colloquiis insumptum et in sacello preces pro aegro fusae. Post tutelari Divo a singulis aliquid oblatum in eoque sacello, necdum enim erat concameratum, ad eius fabricam promovendam relictum. Reliquo tempore sermonibus piis, tum ad profectum spiritualem, tum ad bonum dioecesis pertinentibus, Pater Szembek dabat operam, ad quos statis horis bis in die Episcopum accedebat. Infra octo dies ter Sanctissima Eucharistia, Sacro coram eo habito, refecit,

Qui facto voto exornandi sepulchrum S. Stanislai, melius incipit haberi.

Peregrinatio pro eius incolumitate suscipitur ad S. Borromaeum.

Piis colloquiis et Sacramentorum susceptione occupatur.

quam ille nonnisi genibus flexis et in lachrymas effusus suscipiebat. Sub idem tempus persuasit P. Szembek Episcopo, ut interdiceret Religiosis S. Francisci conventualibus, ne corpus B. Salomeae, Boleslai Pudici Regis Poloniae germanae, publice populi cultui exponerent et tantisper illarum reliquiarum veneratione abstinerent, donec ipse sanitati restitutus, Cracoviae omnia diligenti examine investigaret et quid facto opus esset statueret. Morem gesserunt praecepto PP. Franciscani, cum magno suo bono, nam postea ob varias Episcopi, quae intercedebant, curas ac labores, quibus praedictum examen impediebatur, anno Dni 1530 per Commissarios Episcopi verum corpus B. Salomeae inventum est, 6ª Martii, de quo eodem tempore plura referemus. Egit praeterea tunc temporis P. Szembek cum eodem Praesule, ut et scholas S. Petri promoveret et quam plurima sacra piacularia pro se mortuo fieri curaret. Demum discedendi impetrata potestate, domum rediit, 6ª Maii, allata pro domo eleaemosyna 200 florenorum.

Incertarum reliquiarum cultum interdicit.

De variis aliis cum Episcopo agit P. Szembek et discedit.

12. Egit Officialis cum Praeposito domus, ut a citatione liber sit, sed frustra.

Data erat Varsaviae citatio contra Dᵐ Officialem Joannem Zerzynski a Nuncio Apostolico ob iniustam excommunicationem contra P. Angelum latam anno superiori et reddita eidem Officiali. Ideo 2ª huius mensis egit D. Officialis cum P. Bembo Praeposito per R. D. Malinowski Academicum de remittenda hac citatione. Responsum est a P. Praeposito, integrum nobis non esse sinere privilegia nostra violari, sed potius nos contra violatores ipsorum, ad posteritatis exemplum, iure agere teneri, cum maxime iubente Admodum P. Nro Generali haec citatio est procurata. Additum et illud: D. Officialem, si causae suae confidit, non debere iudicem reformidare. Minabatur Malinowski multa, sed quia vana erant, quae proponebat ad terrorem, dimissus est re infecta.

Iuramenti novam clausulam addunt Academici,

Quam reiiciunt

Superiori mense in Aprili iuramento, quod Studiosi [1]), dum in Album Universitatis inscribuntur, relata est per Academicos in Metricam illa additio: Quamdiu Cracoviae manebo, non dabo operam aliis praeceptoribus, nisi qui sunt sub obedientia Rectoris etc. Qua etiam clausula ab aliquot annis coeperant uti DDⁱ Academici. Hac re cognita Nuncius Apostolicus Lancellotus, videns manifeste eam clausulam esse et contra privilegia Sedis Apostolicae, concedentis Societati etiam ibi, ubi sunt Academiae, docere et cum maxima iniuria

[1]) Praestant.

Societatis coniunctam, statim tales, 4ª huius mensis, Varsavia ad Episcopum dat litteras: Ill^me etc. Academici Cracovienses nuper instituerunt novum quoddam iuramenti genus a discipulis, qui ibidem in studiis informantur, emittendum, nimirum: Iuro quod, quamdiu Cracoviae manebo, non utar aliis Praeceptoribus, nisi his, qui sunt de obedientia Rectoris. Id aperte Patribus Societatis adversatur eorumque privilegia de medio tolit. Quamobrem aequitati maxime consentaneum puto adversus eorundem conatus totis viribus obniti. Non dubito igitur, quin Illma D. V^a auctoritati propriae insistens, huiusmodi iuramentum abolitura sit etc. Cohortabatur praeterea Episcopum, ut id quamprimum praestaret. Commotus graviter ea re Episcopus decreverat, ut a concionatoribus declararetur, hoc additum iuramentum et decretis Sedis Apostolicae esse contrarium et sine suo scitu fuisse inductum et conscientiam nullo modo ligare posse. Sed Patres Societatis, advertentes praeclare tali ex cathedra promulgatione DD. Academicos graviter perstringendos, effecerunt apud Episcopum, ut in aliud tempus differri posset et sufficere interim, dum nomine eius significetur omnibus, tale iuramentum nullum esse nec conscientiam ligare.

Et Nuncius apostolicus Tanquam iniustam contrariamque Sedi Apostolicae Etiam ipse Episcopus, Qui etiam iubet declarare esse nullam.

Auditor Nuncii Apostolici Varsaviae nostram causam cum Officiali Cracoviensi limitaverat ad sequentem mensem, ob certas rationes. Hoc forsan nesciens D^s Laurentius Smolenski, 22ª Maii, quae dies assignata erat, comparuit Varsaviae in monasterio PP. Bernardinorum coram D^o Aemilio Alterio J. U. Doctore et Auditore Generali causarum curiae Ill^mi Nuncii Lancelloti [comparuit], protestans de diligentia contra Patres Societatis, qui eius Principalem citarunt et petens, eum a termino absolvi liberumque pronunciari, citantes vero in damnis et litis expensis condemnari, ut latius patet in mandato procuratorio ibi recitato. Sed responsum: limitatam esse causam.

13. Laurentius Smolenski Procurator Officialis protestatur contra nos, Sed causa nostra limitatur ad certum tempus.

P. Melchior Sulkowicz cum P. Valentino Tarlovio ad monasterium Sądecense, postulante id plurimum Abbatissa illius loci[1]), 23ª huius, sunt missi ibique per duas septimanas in concionibus, exhortationibus Poenitentiaeque et Eucharistiae administratione occupabantur.

Missio Sądecensis.

Ipso die Pentecostes, qui in 26^am inciderat, datum Leopoli signum consuetum ex arce superiori adventantium Tartarorum, qui iam in Regnum irruperant et obvia quaeque vastabant.

Tartarorum irruptio in Regnum.

[1]) Anna Rosalia Lipska.

Novi cancelli, qui supererant ante maius altare et minora adiacentia, 29a huius, sunt collocati. Venit R. P. Provincialis cum P. Joanne Wielewicki socio suo Cracoviam divertitque ad domum probationis 30a istius mensis, ubi varias de rebus Provinciae consultationes instituit et mansit Cracoviae ad 5am Julii.

Hoc mense aperta erat conspiratio contra Regem, Reginam et totam prolem Regiam quorundam procerum Regni, inter quos duo dicebantur Spirituales fuisse, sive Episcopi, sive alii Praelati. Hi omnes constituerunt inter se, conscripto exercitu, occultissime Regem aggredi eumque captum cum coniuge ac liberis in custodia honesta ad mortem usque detinere. Res ista prius imperatori Ferdinando innotuerat quam Regi ideoque summa celeritate ab imperatore ad Regem erat perscripta. Post etiam ab aliquibus Regni incolis, inter quos etiam erant duo nostri, ad Regem erat delata. Cognitis his omnibus, Rex cum stupore omnium tantam proditionem nihili fecit et omnino dissimulavit, confidens videlicet Deo et suae innocentiae. Obtulerunt se non pauci ad istos proditores capiendos. Nuncius etiam Apostolicus Lancellotus obtulerat se ad illos spirituales, si fuissent convicti, degradandos, ut brachio saeculari tradi possent, sed nihil omnino voluit Rex tentare pientissimus et patientissimus. Sola enim patientia sua ac dissimulatione istos conspirantes, de quorum conspiratione iam perspecta et cognita ipsimet sciebant, volebat punire. Quod tamen multi in hoc Rege non laudabant. Iidem conspirantes iam decreverant, capto Rege, modo supradicto novi Regis electionem et coronationem indicere. Sed dissipata sunt impiorum consilia.

In fine huius mensis pro avertendis Tartarorum incursionibus et simul pro peste amovenda, cuius iam signa non pauca ostendebantur, indictae orationes per Junium omnibus et saecularibus et religiosis.

Praeceptae pecuniariae eleaemosynae per Maium mensem erat florenorum [illegible]. Ab Episcopo Cracoviensi 215. Ab Episcopo Chelmensi Mathia Lubinski fl. [illegible]. A variis per P. Wągrowski fl. 40. A Do Wizenberg fl. 20. A fratre unius [illegible] fl. [illegible]. A Do Suffraganeo[1]) fl. 10; reliqui ab aliis. Iam vas vini a Mfco Do [illegible], Capitaneo Sendomiriensi, frumentum a variis et triticum, carnis, vini, butyrum, scandulae constiterunt fl. 168.

In templo arcensi peracta consecratio in Episcopum Luceoriensem [illegible] Lubinski, Abbatis Tinecensis, 2a Junii.

1) Thomas Oborski.

15. Causae nostrae dat initium Varsaviae P. Cislak

In negocio nostro contra D^m^ Officialem Cracoviensem comparuit 3^a^ huius Varsaviae P. Gregorius Cislak, producens citationem contra partem adversam. Dumque obiiceret Smolenski, Procurator Officialis, nos sine facultate Generalis litem intendisse ideoquae admittendos non esse, respondit P. Cislak, et ex voluntate R. P. Generalis se esse Lituanicae Polonicaequae Provinciae Procuratorem et a Gregorio 13° concessam facultatem Societati omnes hostes ad quemcumque iudicem citandi. (Nondum tunc acceperat litteras Admodum Rdi P^ris^ Nostri P. Cislak, in quibus iusserat nostros ob tantam iniuriam iure agere cum R. D. Officiali; per errorem enim tarde ad eum erant missae). Petiit deinde P. Cislak, ut frivolis eiusmodi exceptionibus reiectis ad causam veniretur, ob ingentem iniuriam nostris ab Officiali illatam. Itaque Perillustris D^s^ Auditor iurisdictionem in praesenti causa fundavit, reiectis omnibus protestationibus et allegationibus. D^s^ Smolenski post protestationem de gravamine et aliis, quae illi displicebant, petiit cautionem in forma iuris in et supra bonis in Dioecesi Cracoviensi consistentibus, quod actores ad finem litis sint perseveraturi (quia videlicet nunquam habent fixum locum) et expensas litis sint soluturi, si rei fuerint declarati. Reiecit P. Cislak, ut ridiculam, impertinentem et non necessariam petitionem cautionis. Reiecit et ipse Auditor praedictam petitionem et postea omnes protestationes et appellationes frustraneas refutavit.

Contra Officialem Cracoviensem,

Cuius Procurator Laurentius Smolenski,

Impertinentes adfert exceptiones, sed reiicitur.

Eadem 3^a^ die Junii R. P. Provincialis apud S. Stephanum suis Consultoribus et aliis, quos ad id vocaverat[1]), an in S. Petro aliquae novae lectiones imminente renovatione studiorum essent inchoandae nec ne, eaequae lectiones an Philosophicae esse deberent, an Casuum Conscientiae. Nam et legatum Alberti Męczynski pro S. Petro admittebat Admodum R. P. Noster Generalis et afflictum Collegium a Tartaris Leopoliense libenter Auditores Casuum Conscientiae alicui alteri loco concederet et nos esse in posessione lectionum praedictarum aliarumquae ante litis contestationem, quae cum Academicis imminet, conveniret. Post varios ea de re discursus, illorum maior pars erat, qui censebant pro nostris solis, non vero pro externis, addi posse Philosophicum cursum idque ea conditione, si redditus fuerint sufficientes. Externi enim eo tempore nullo modo admittendi videbantur, tum ne magis irritarentur contra nos Academici, tum quia

An novae lectiones Cracoviae inchoandae praeter coeptas, deliberat R. P. Provincialis cum suis.

Ut pro nostris Philosophia inchoaretur, non pro externis, conclusum.

[1]) Proposuit.

Serenissimo Regi polliciti eramus, nihil nos ratione externorum docendorum inchoaturos, nisi tentata prius cum Academicis unione tum ob alia plurima tunc adducta. De Casibus etiam Conscientiae ut legerentur tunc, proposuerat P. Szembek, ut Societas quamprimum acciperet possessionem Seminarii, quod R. D. Łukomski fundare constituerat. Sed quia conatum praedicti Praelati Capitulum impediebat et ex consilio Episcopi nihil voluit tentare idem D. Łukomski, nisi prius pacem habeamus cum Academicis, ideo et haec res ad ipsum R. D. Łukomski reiecta.

Casus cur tunc non legerentur?

16. In translatione ossium B. Michaelis Gedroć

Sublevatio et translatio ossium Beati Michaelis Gedroć, Religiosi Ordinis S. Mariae de Metro de poenitentia seu patientiae SS. Martyrum, 4a huius mensis, in templo S. Marci Canonicorum mendicantium peracta est per Rmum D. Thomam Oborski, Suffraganeum, praesente, adiuvante ac dirigente totum negocium P. Friderico Szembek. Imo dum diueretur vetus sepulchrum et ossa aliquot in cistula palmari fuissent reperta eaque praedicti Beati a nonnullis existimata: restitit P. Szembek, expectandum censens, quousque ipsum sepulchrum in ipso muro templi sub terra situm, aperiretur, quod eo in muro Beatum quiescere Polonorum Chronica testarentur essetque unus adhuc superstes religiosus eiusdem ordinis, qui patefacto sepulchro eodem ante plures annos interfuit et ossa Beati propriis manibus attigit, circa quae postea longiorem murum superstructum referebat. Hoc itaque sepulchro reserato, sacra pignora in eo reperta sunt, quae manibus P. Szembek in magna argentea pelvi et in cistula reponebantur et in unum collecta omnia Rmo Do Suffraganeo, pontificio habitu ad maius altare sedenti, obsignanda sigillo traderentur ac postea in intimo templi sacrario, pluribus sigillis communita, tamdiu asservarentur, quamdiu novum sepulchrum pro illis non fuerit extructum. Haec dum peraguntur, accurrebat populus pignora sacra, ex terra levata, globulis attingens et aliquid saltem ex Beati veste vel loculo Reliquiarum loco postulans, cuius pietati utcunque satisfactum est. Habuerat etiam idem Pater Szembek ad praedicti Beati sepulchrum, antequam fuisset apertum, concionem ad populum, de omnibus, quae peragenda erant, eum instruens.

Quae a P. Szembek facta et persuasa.

A Rmo Do Suffraganeo sacra pignora obsignantur et postea ab aliis.

Gradus Pis Alberti Ruszkowski.

In festo Corporis Christi, quod in 6am Junii inciderat, primus qui in S. Petro gradum accepit erat P. Albertus Ruszkowski, Coadiutor Formatus spiritualis factus, Sacrum celebrante P. Nicolao Lancicio Rectore Collegii.

Miserunt Academici cum Alberto Mathiae Bolkowski Procuratore et cum nonnullis Magistris ac Studiosis, protestationem R. P. Provinciali 7ª istius mensis [protestationem] contra scholas nostras, quod nimirum loco Theologiae nostri in iis Iurisprudentiam legant, eo quod de iure ac iustitia lectiones habeant et insuper, quod undique Studiosos congregent. Certe haec protestatio quoad lectiones de iure et iustitia aut ex summa ignorantia Theologiae Scholasticae, praedictam materiam continente, profecta est, aut ex summa malitia et libidine nostros vexandi. Erat inter hos, qui cum Protestatione venerant, M. Daniel Sigonius, qui petebat a R. P. Provinciali, ne sibi et suis vitio verteret, dum ea, quae illis iuncta erant a Superioribus, facerent et ut talem protestationem tolerarent. Respondit R. P. Provincialis, non paucas eiusmodi stultitias iam se tolerasse et hanc ipsam se toleraturum, sicque Academici sunt dimissi. Consilium nihilominus per P. Lancicium a Praeposito Corporis Christi[1]) iussit expetere R. P. Provincialis, quomodo nobis post talem protestationem cum Academicis esset procedendum.

Protestatio Academicorum contra nostras scholas et stulta et iniqua.

Quid ad eam P. Provincialis responderit.

Comparentibus in nostro negocio Varsaviae, 12ª istius mensis, P. Gregorio Cislak et Dº Laurentio Smolenski coram Auditore Nuncii Apostolici, petebat Dˢ Smolenski, ut produceretur devolutio causae ad Illᵐᵘᵐ Nuncium, sed respondit P. Cislak, id praepostere peti post fundatam iurisdictionem. Obiicienti deinde quod nos, relicto ordinario Episcopo, statim causam ad Illᵐᵘᵐ Nuncium devolverimus, respondit P. Cislak, fuisse consensum Episcopi in litteris datum, 9ª Octobris anni superioris. Post haec D. Auditor litem contestari mandavit et procedere ultra. Dˢ Smolenski appellavit ad Sedem Apostolicam ab hoc interlocutorio et P. Cislak petiit, ut haec appellatio tanquam frivola et a levi accessorio reiiceretur. Dante Dº Auditore Apostolos refutarios, Dˢ Smolenski ab iis appelans coepit ostendere gravamen nostris nullum factum fuisse, sed iure processum, quia in Synodo dioecesana Cracoviensi conclusum erat, ut qui citatus in primo termino non comparuisset, statim possit reputari contumax et excommunicari et ita factum Pⁱ Angelo, qui nec per se nec per Procuratorem comparuit. Ostendit P. Cislak, fuisse gravamen

17. Velitationes Pis Cislak et Dⁱ Smolenski

Coram Auditore Nuncii Varsoviae.

Ostenditur

[1]) R. D. Martinus Kłociński.

nostris a Dº Officiali illatum gravamen.

et nostros per mandatarium comparuisse, licet a iurisdictione excepissent, tum quia contra ius commune et provinciale simul factus noster contumax et excommunicatus et cum ingenti scandalo excommunicatio fuit in illum promulgata et in praeiudicium privilegiorum Apostolicorum. Ad haec non respondens Dⁿ Smolicki (sic) petiit sibi copias extradi, quod ut fieret iussit Dⁿ Auditor et terminum assignavit ad producenda omnia iura, causam concernentia. Post haec nihilominus Dⁿ Smolinski, pro parte sui Principalis, ab interlocutoriis et gravaminibus interposuit appellationem ad Sedem Apostolicam, petens eam admitti. Sed Dⁿ Auditor stetit in decretis et appellanti dedit refutarios, sed ab his iterum appellavit Dⁿ Smolinski.

Petit Smolinski copias sibi extradi et iterum appelationem interponit, sed frustra.

18. Ad ostendenda iura citantur et nostri et Academici a Nuncio.

Citati tam nostri Cracovienses apud S. Petrum manentes, quam Academici a Nuncio Apostolico Varsaviam, 14ª illius mensis, ut comparerent et iura ac privilegia ostenderent, tam Academici ad nostras scholas prohibendas, quam nostri ad easdem inducendas. Res ita processit, ut ipsemet Lancellotus Nuncius Apostolicus refert in eo processu, quem anno 1626, 8ª Aprilis scripsit et qui in libro Antigratis positus est a fol. 208. Cum ad tempus in citatione assignatum et Academici et nostri comparuissent et inprimis ab Academicis Nuncius quaesivisset, an aliqua privilegia scholas Societatis prohibentia haberent? Responderunt, ea privilegia se habere in Academia, sed secum ea non tulisse. Quaesiit postea Nuncius a nostris et inprimis a P. Nicolao Lancicio, Collegii Cracoviensis S. Petri Rectore, quae haberent nostri ad docendum Cracovie iura. Ostendit P. Lancicius et multorum Pontificum privilegia, concedentium Scholas Societati ubique ac etiam in locis, ubi sunt universitates, et Regem Augustum (sic) concessionem, qua permisit, ut in Regno libere exerceremus omnia instituti nostri munera et Regis Sigismundi III expressam ad Collegium Cracoviae erigendi facultatem et denique ipsius Academiae Cracoviensis consensum, anno Dⁿⁱ 1583, 1ª et 4ª Februarii datum coram Alberto Bolignetto [1]) Apostolico Nuncio, Episcopo Massanensi. Praeter haec, quae a P. Lancicio allata sunt, ipse Rex Serenissimus, qui tunc Varsaviae morabatur, misit ad Nuncium R. D. Joannem Lipski, Cancellariae Maioris Regentem, declarans palam mentem suam esse, ut nostri scholas Cracoviae aperiant. Magnae fuit admirationi Academicis, dum ostenderetur ab ipsa Academia

Nulla iura Academici adferunt.

Nostri ostendunt varia.

Rex coram Nuncio declarat, se velle scholas nostras Cracoviae.

[1]) Bolognetto (nuntius 1581—1584) erat episcopus Massae Maritimae.

consensus datus pro nostris scholis, nam de hac antecessorum suorum voluntate vel nihil sciverunt, vel se scire dissimulaverunt. Ostendebant itaque (an ficte an vere, illi viderint) non se abhorrere ab unione nostrorum cum Academia, sed rem prius omnem ad suos perlaturos et de ratione concordiae se deliberaturos, nam se modo missos a suis esse sine ulla potestate tractandae cum Societate concordiae ideoque se petere dilationem termini. Concessit id illis non gravate Nuncius et diem utrique parti iterum Varsaviam veniendi praefinivit 15 Septembris, ut eo tempore de re tota statuerent ac definirent. Sed postea cognitum est, Academicos negocium hoc ad Sedem Apostolicam a D° Nuncio Romam revocasse, eo consilio, ut cum nostris iure experirentur. Sub idem etiam tempus mala fide nobiscum processerant Academici. Cum enim praeter illorum opinionem instrumentum publicum sub Bollognetto (sic) Nuncio Apostolico concessionis scholarum nostrarum, ab Academia factae, ostendissemus, petierunt a nobis mutuum. Dedimus illis, sed illi nunquam postea illud nobis volebant restituere, iam amissionem illius, iam varia alia praetendentes. Cumque post 7 annos in Comitiis Coronationis in manibus Jacobi Naimani, coram Senatoribus Regni ad negotium nostrum deputati, cum nostris colloquentis, illud noster vidisset et hunc defectum candoris Academicis obiecisset, subrisit tantum Naiman et ad id, quod obiectum erat, non respondit.

Petunt dilationem Academici, quam illis Nuncius assignat.

Sed postea hoc negocium a Nuncio revocarunt.

Iidem acceptum mutuum a nobis Instrumentum nolunt restituere.

Eadem 14ª die huius mensis comparens coram Auditore Nuncii P. Cislak, iuxta exigentiam termini, accusavit contumaciam partis adversae, nihil iuxta decretum ultimo latum facientis, nec documenta, quae habet, producentis, nec producere curantis. Produxit praeterea septem documenta gravaminum et iura et libros exemptionum ordinis sui et petiit admitti et partem adversam ad poenas in iis contentas, ad damna et expensa, ad revocationem protensae sententiae et publicationis eiusdem condemnari. Ad haec D^s^ Smolinski, stans sub tuitione appellationum et protestationum, copias productorum a parte adversa cum termino ad dicendum contra ad 8^am^ iuris petiit. Iussit Auditor copias petitas extradi et terminum ad dicendum contra, ad secundam iuris assignavit.

19. Accusatus Smolinski documenta non producens,

Dilationem iterum petit.

Eadem insuper 14ª die Cracoviae in foro ad tubas denunciatum de periculo a Tartaris imminente.

Periculum a Tartaris.

Circa hoc tempus iterum D^s^ Wężyk Widawski, qui domi nostrae apud S. Barbaram hospitium habuit, egit cum R. P. Provinciali

De residentia Pe-

tricoviensi iterum agitur.

de Residentia Petricoviensi, ad quam offerebat 15 millia. Et facta est illi spes aliqua id obtinendi.

P. Bolcius Leopolim mittitur.

Venit P. Crispinus Bolcius Gedano Cracoviam, 16ª huius mensis, huc enim a R. P. Provinciali fuit evocatus. Postquam eius causa examinata et iudicata fuisset, non est amplius redire Gedanum iussus, sed Leopolim, ut conciones germanicas et curam Germanorum haberet, missus.

Exequiae Supremo Regni Thesaurario Benefactori.

Solennibus exequiis in templo nostro 17ª huius parentatum Nicolao Danielowicz Supremo Regni Thesaurario, non ita pridem mortuo, tanquam insigni Societatis in hac Provincia et in domo S. Barbarae benefactore ac defensore.

20. Consultatur de Actore coram Nuncio.

In festo B. Aloisi R. P. Provincialis ex parte citationis ad ostendenda iura coram Nuncio Apostolico, de qua 14ª diximus, a suis Consultoribus et ab aliis quaesivit, quis nam tunc apud Nuncium Actorem agere deberet, an nos, an Academici? Conclusum de Academicis, quia nos illi Romam detulerunt ad Congregationem propagationis fidei. De modo etiam unionis cum Academia nostrorum iterum tunc actum et conclusum, ut ille sit, qui sub P. Joanne Argento erat propositus. Punctum etiam de lectionibus solvendis, qui eas non audirent et de iis, qui gradus peterent, explicatum clare. Conclusum etiam tunc de Reprotestatione Rectori a Procuratore Provinciae danda contra protestationem 7ª Julii oblatam, quae fuit data per Smeikowski notarium. Multa posita erant in hac Reprotestatione et de cohibitione Studiosorum et de nova clausula iuramenti. Et quia in Protestatione Academicorum vocati erant nostri externi studiosi, qui ad Theologicas lectiones nostrorum sponte veniebant Auditores notatissimi: ideo consilio inito cum eorum consanguineis conclusum, ut etiam nomine ipsorum fieret Protestatio contra Rectorem et eidem traderetur, quod et factum est.

De modo unionis cum Academia.

Missa Rectori Academiae Reprotestatio duplex.

Tartari circa Premisliam et circa Jaroslaviam

Venit Jaroslavia P. Stanislaus Pakosz 22ª huius mensis et retulit seriem incursionis Tartaricae, paulo ante factae. Ad civitatem Premisliensem castra fixerant. Unum ex Patribus Carmelitis, dum ad eos ob quendam redimendum pergeret, interfecerunt. Divisis agminibus circumiacentes pagos et oppida spoliabant exurebantque. Praedium Lowce Collegii Jaroslaviensis incenderunt. Pawłosiolum etiam tentabant, sed defendentibus studiosis re infecta abierunt, unum tamen e nostris, rem strenue manu agentem, Stanislaum Kuklinski vulnerarunt et pro mortuo spoliatum reliquerunt. Jaroslaviam etiam tentabant irrito conatu. P. Stanislaus Porembski, Residentiae Crosnensis Superior, vix eorum manus fugiens, Brzozoviam evasit, et multa alia.

et alibi quae faciunt.

Eadem die virgo quaedam Cracoviae post gravissimam febrim et caducum morbum ad extrema deducta et iam agonizans, parentibus et aliis nonnullis praesentibus, votum pro ea ad B. Aloisium facientibus, eadem die convaluit et postea vota reddidit beneficiumque Dei meritis B. Aloisii asscribens, non desinit praedicare.

Unius virginis iam agonizantis liberatio ex morbo, patrocinio B. Aloisii.

Discessit praeterea hac die P. Nicolaus Lancicius Varsaviam ad Nuncium Apostolicum ob citationem, de qua diximus 14ª huius, et P. Lancicio substitutus tantisper P. Fridericus Szembek apud S. Petrum.

P. Lancicii discessus Varsaviam ad Nuncium.

Visitans R. P. Provincialis templum S. Barbarae 25ª istius ordinaverat, ut chorus superior nostrorum continuaretur usque ad chorum supra portam maiorem, sed id varias ob causas nonnisi post sex fere annos perfectum.

Visitatio templi nostri.

21.

Post tot controversias inter P. Cislak et Dᵐ Smolinski agitatas, tandem 26ª huius mensis latum decretum contra Dᵐ Officialem Cracoviensem Varsaviae pro P. Wielewicki et pro P. Angelo, in quo inter alia talia sunt verba: Dicimus, pronunciamus, decernimus, sententiamus et deffinitive declaramus, nulliter et de facto iniuste perperam et sine maturitate ac male fuisse ac esse dictum P. Christophorum Angelum per dictum Admodum R. D. Officialem Cracoviensem excommunicatum declaratum ac publicatum proptereaque sententiam praemissae excommunicationis una cum omnibus inde secutis revocandam, cassandam et annullandam, prout revocamus, cassamus et annullamus eundemque P. Christophorum iam a quibuscumque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis contra eundem per dictum Admodum R. D. Officialem, occasione praemissorum quomodolibet fulminatis et publicatis in forma Ecclesiae consueta, absolutum penitus et liberatum omnino tanquam talem in omnibus et singulis ecclesiis, monasteriis et aliis locis publicis, ubi ipse excommunicatus declaratus et publicatus fuit, etiam ex ambona et alias et ut moris est publice, alta et intelligibili voce intra Missarum et aliarum divinarum horarum solennia denunciari et declarari ac quoscunque cedulones forsan contra eundem, occasione praemissorum quomodolibet affixas cassari et lacerari volumus et omnino mandamus et quascumque litteras desuper necessarias et opportunas decernimus, concedimus et relaxamus. Dictumque Admodum R. D. Officialem Judicem, qui iniuste, perperam, de facto nulliter et sine maturitate, non sine maximo populi Christiani scandalo, sententiam excommunicationis praedictae protulit et promulgavit, poenis contra tales temerarios iure sancitis et expressis, quarum tamen expressionem et moderationem

Decretum contra Officialem pro nostris, quo decernitur Iniusta et temeraria Officialis excommunicatio contra P. Angelum

Eaque revocatur et annullatur.

Decernitur etiam D. Officialem

Poenis subiacere, iure sancitis.

declarationem arbitrio nostro reservamus, puniendum fore et esse censemus et declaramus victumque victori in damnis et litis expensis, quarum taxationem nobis vel cui de iure imposterum reservamus, condemnamus etc. Publicata haec sententia fuit eodem die. Appellaverat D[s] Smolinski ab hac sententia et permissa erat apellatio, praefixo termino sex mensium, de quo termino tanquam nimis arcto non erat idem D[s] Smolinski contentus.

Et litis expensas solvere debere.

Caesi Tartari a D[o] Koniecpolski.

Venit rumor laetus 27[a] huius mensis de caesis Tartaris ad Dniestrum fluvium a Stanislao Koniecpolski Campiductore Polonici exercitus, commisso praelio cum iisdem. Cantimir Dux illorum vulneratus, eques in fluvium desiliit, periculum declinans, reliquus exercitus in fugam versus, multi aquis absorpti plurimi ex captivitate liberati et maxime multa millia puerorum, quos Tartari fugiendo deseruerant, ad Campiductorem reducta, quae iterum ille ad loca, ad quae spectabant, remitti curavit. Non levis etiam praeda hostibus erepta.

Alienationes sopitae.

Non leves alienationes inter domum S. Barbarae et Collegium S. Petri intercesserant ratione eleaemosynarum, quas Collegium videbatur a S. Barbara data opera avertere, sed sunt sopitae per R. P. Provincialem.

Eleaemosyna Junii.

Accepimus eleaemosynae in pecunia per mensem Junium fl. 384. Ab Episcopo Posnaniensi D[o] Wężyk fl. 100. Ab Episcopo Luceoriensi D[o] Lubinski fl. 100. A Palatino Cracoviensi fl. 28. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 25. A variis per P. Wągrowski fl. 50. A Dno Widawski fl. 30. A D[o] Suffraganeo fl. 10 A R. D. Bobola fl. 10. Per P. Sulkowicz fl. 10. Frumentum, carnes, butyrum, caseus, panes, vinum, crematum constiterunt fl. 111.

22. Renovatio votorum.

Peracta 2[a] Julii Renovatio Votorum in domus S. Barbarae sacello domestico, celebrante R. P. Provinciali, qua etiam die accepit P. Praepositus ab Admodum Rndo P. Nostro Generali litteras de nonnullis in Domus Professae gubernatione observandis, quarum tenor talis: Rnde in Christo Pater. Pax Christi etc. Cum conveniat Domum Professam, in qua tanquam in praecipuo Provinciae domicilio graviores plerumque Provinciae Patres commorari solent, reliquis Provinciae domiciliis accurata religiosae desciplinae observantia perfectaque Constitutionum, Regularum Ordinationumque ad institutum nostrum pertinentium exercitatione praeire, ut ab ea caeterae familiae, in quibus iuniores educantur instituanturque, exemplum vitae et morum petere possint: Officii mei esse duxi, eam suscepta nuper Domus istius gubernatione commonere, ut quantum humana infirmitas patietur ita illi praeesse studeat, ut ea reliquis omnibus in perfecta instituti nostri approbatarumque consuetudinum custodia exemplo esse possit. Quot cum omnibus, quae Constitutionibus et Ordinationibus, sive toti Societati communibus, sive Provinciae isti propriis fieri exoptem, tum praecipue in nonnullis, quae hisce subiicio: 1°) Ut ratio victus et vestitus Domus

Circa gubernationem Domus Professae

Admodum R. P. Noster aliqua praescribit observanda:

1[m]

istius sit plane conformis moribus et consuetudinibus in Provincia ista iam pridem receptis neque patiatur, ut novae aliquae exceptiones immunitatesve praeter eas, quas praecipua alicuius infirmitas exiget, introducantur. 2°) Ut si quae esculenta et poculenta certis personis ab externis missa fuerint, ea distribuantur in commune. Et quamvis conveniat, ut Superior iis, ad quos missa sunt, paulo ampliorem inde partionem dari curet, non sinat tamen, ut ulli eam quasi debitam sibi importune exigant. 3°) Ut sit frequens usus publicarum poenitentiarum in Refectorio. 4°) Ut Conferentiae Casuum diligenter fiant neque facile intermittantur. 5°) Ut recreationes a prandio et coena sint magis spirituales et religiosae. 6°) Et quoniam subinde non desunt qui existiment, commorantibus in domibus professis maiores corporis commoditates, quam iis, qui in Collegiis degunt, concedendas, R. V^a^ omnino curet, ut si qui forte id sibi persuasum habeant, se in hac parte falli intelligant, cum non minus in domo Professa quam in aliis domiciliis consueta receptaque victus frugalitas sit observanda. Haec R. V^a^ pro eo affectu, quo bonum Societatis prosequitur, valde cordi habeat et me subinde admoneat, qua ratione et fructu ea executioni mandavit. De caetero Sanctis suis Sacrificiis et Orationibus me commendo. Romae 25^a^ Mai 1624 anni. Mutius Vitellescus.

2^m^ 3^m^ 4^m^ 5^m^ 6^m^

23. Episcopum offensum nostris ob Constitutionem Dioecesanam in iudicio reiectam, nostri reconciliant.

Ivit R. P. Provincialis cum P. Praeposito Matthaeo Bembo Wawrzyncicos ad Episcopum Cracoviensem 3^a^ istius mensis, ut ei offenso satisfacerent. Scriptum ei erat Varsavia, P. Cislak Procuratorem P^is^ Angeli, constitutionem Dioecaesanam, ut sine praevia monitione una vice possit aliquis prae tribus citari et in primo termino excommunicari, non esse a Sede Apostolica approbatam et esse contra commune ius et contra Provincialem Synodum. Quia vero praedictae Constitutionis author erat Episcopus, a suis quibusdam persuasus, valde moleste tulit id a nostro coram Nuncio Apostolico dictum et scripserat ad R. P. Provincialem, graviter expostulans, quod hac ratione indigne ab hominibus Societatis tradetur, cuius ipse esset studiosissimus. Venientes nostros accepit benigne Episcopus et satisfactione accepta offensam remisit.

Discessus P^is^ Provincialis.

Discessit R. P. Provincialis Cracovia Sendomiriam cum suo socio P. Joanne Wielewicki 5^a^ huius.

Instrumenta publica pro nostris scholis approbantur a Nuncio apostolico.

Joannes Baptista Lancellotus Nuncius Apostolicus illa instrumenta publica, quae illi de concessione Academiae Cracoviensis, ut nostri Cracoviae docerent, sub Bolignèto Nuncio facta, ostensa erant et viva voce et scriptis litteris 9^a^ Julii huius anni datis, vera et non dubia esse declaravit, quidquid moderni Cracovienses Academici contra eas debacharentur. Vide libellum Antigratis fol. 206.

Albertus Zytek Cantor templi nostri peste moritur.

Albertus Zytek, Cantor templi nostri per 40 annos ab ipso fere nostrorum Cracoviam adventu, pestem hausit et intra tres vel quatuor dies, consuetis Sacramentis a nobis procuratus, 15^a^ istius mensis obiit, homo industrius et in choro musico regendo simplicitatis ac probitatis antiquae. Non parum nos eius mors perturbavit, eo enim die, quo pestem hauserat, domi nostrae cum

nonnullis nostrorum, nihil periculi suspicantibus, familiariter est collocutus. I totum statim Magistratui a nostris est relatum fideliter et aliquanto tempor nostri domi sese continebant. expectantes aliquod signum pestiferae contagionis si forte compareret in aliquo, sed per Dei gratiam in nullo comparuit.

24. Translatio S. Rosaliae Panormi.

Eadem 15ª huius mensis die, celebris translatio Corporis S. Rosaliae Panormi in Sicilia, ob pestem amovendam facta, quae etiam statim amota fuit Deo sic volente. Quomodo vero Cracoviam postea eiusdem Corporis reliquiae pervenerit, quae modo in templo S. Barbarae pie colitur, suo loco dicemus.

Duorum infirmitas in domo S. Barbarae nostros terret.

Circa 18am huius mensis duo nostros domi perterrefecerant, Stanislai Mniszek febris, quam pestilentialem arbitrabamur, et externi subcoqui gravissimus morbus, in quo affirmabat se bubonem sub axilla et pustulas in manu habere. Et quidem accersitus Ds Mathias Woienski Medicus Consularisque Cracoviensis censuit subcoquum esse infectum et statim domo expediendum ad hospitale S. Sebastiani, quod et factum est, sed aeger postera die convaluit nosque metu liberavit. Charissimus etiam Mniszek postquam convaluisset, datus erat socius P. Crispino Bolcio, Leopolim discedenti et discessit hinc, Jaroslaviae mansurus.

Apud S. Petrum mors Joannis Laskowski.

In Collegio S. Petri mortuus est peste Joannes Laskowski Theologiae auditor 20ª huius mensis. Irrepserat in Collegium S. Petri, ut existimatum est, pestis in solennitate SS. Petri et Pauli Apostolorum a duobus peste infectis ibidem celebrantibus et constabat de Capellano R. D. Archidiaconi, qui postquam ibi celebrasset brevi, post peste obierat. Ab his infectus credebatur Albertus Cortiscius, cui tamen remedium est adhibitum. Alii putabant Joannem Laskowski a quodam religioso ex Skalka, Theologiae ibidem auditore, infectum fuisse. Quidquid tandem fuerit, ita nostris apud S. Barbaram degentibus mors Charissimi Laskowski timorem incussit, ut statim hac die ad varia loca discedere coeperint, nempe P. Praepositus cum P. Stanislao Krzywokolski et Stanislao Piątkovio Karniewicos ad Dm Georgium Pipanum Medicum et Consulem Cracoviensem. P. Fridericus Szembek cum P. Joanne Zegocki Luczycos ad generosum D. Gabrielem Szembek, germanum Patris Friderici. P. Petrus Kamocki cum Matthaeo Zberowski Kamykum ad Dm Borzykowski. P. Stephanus Węgrowski cum Alberto Woinicense et cum nonnullis Cracoviensibus civibus Korcinum. P. Valentinus Rusconius, P. Simon Jurkowic, P. Andreas Kanski cum Luca Klein Staniątkos, quanquam inde postea P. Rusconius cum Luca ivisset Czaiewicos ad Dm Joannem Wizenberg et alii similiter domicilia mutaverint, ut P. Kanski cum Jacobo Szostak, qui ineunte hyeme manebant apud Mfcum D. Paulum Lesniowolski Capitaneum Zatoriensem et Matthaeus Zberowski datus fuerit postea socius P. Melchiori Sulkowicz, qui Niepolomicis invitatu Dl Witowski magni Procuratoris arcis Cracoviensis manebat, postquam ex missione Rmi Dl Suffraganei rediisset. Porro ad obsequium peste infectorum domi manserant P. Michael Ponecius, qui Superiorem agebat, P. Andreas Adamus Ustinius concionator ordinarius, P. Martinus Kossowski operarius, P. Stanislaus Zabielski valetudinarius. Ex coadiutoribus autem Laurentius Struminensis, Laurentius Sebastianowicz, Albertus Squiernievius, Jacobus Szostak, quamvis iste non multum

Unde infecti nostri apud S. Petrum et Laskowski. Ad varia loca nostri, apud S. Barbaram manentes, dispergunt ur ob pestem.

Domi qui manserant.

post socius Patri Kanski erat datus (fuit). — P. Albertus Ruszkowski ultima Julii, 25. P. Ruszkowski moritur.
eo ipso S. Pis Nostri festo, peste extinctus est in Collegio S. Petri, in quo sub hoc tempus cum aliis nonnullis erat relictus ob auxilium infectorum. Occasione istius festi non ommittendum id, quod hoc anno contigit. Illustris foemina in gravissima partus difficultate, monita per nostrum, opem S. Ignatii implorat et votivam communionem eius die festo pollicetur, sed nullum levamen sensit. Noster postquam id cognovisset, thecam reliquiariam, in qua S^{i} Patris erant reliquiae, submittit. Vix ea collo infirmae applicata fuit, et subito omnis pariendi difficultas sublata est. Viribus itaque pristinis reddita, votum ad altare Sancti in templo S. Barbarae exsolvit et se clientem S^{i} Pairis nostri semper futuram pollicita. Non pauci etiam, Cracoviae sub tempus pestis degentes, ope eiusdem S. Patris invocata, a periculo contagionis liberati, argenteas tabellas ad eius altare in nostro templo appenderunt. Auxilium S^{i} Patris uni in partu, Aliis in peste.

Circa finem huius mensis P. Szembek excurrerat ad Episcopum Cracoviensem Kobierzynum (pagus is est uno milliari Cracovia ultra Vistulam distans), quo se Episcopus contulerat, ob metum pestilentiae urbem declinans. Hic inprimis obtulit ei litteras a P. Valentino nomine Regio scriptas (obtulit), in quibus petebatur, ut in festo gratiarum actionis, quod solet esse 10^{a} Octobris ex permissione sedis Apostolicae, supplicationes Cracoviae ad templum novum a Rege extructum fierent, tum ut in Regio templo pro beneficio Regi ac Regno praestito gratiae Deo agerentur, tum ut inter tot praerogativas, quas varia templa Cracoviensia habent, templum novum hanc quoque haberet et inde aliquod illi ornamentum accederet. Tergiversabatur initio Episcopus, ostendens se nuper offensum a nostris, ut 3^{a} huius diximus et aiebat hoc negotium ad Venerabile Capitulum referri oportere, in quo cum valde pauci nobis sint bene affecti, verendum, ne ab hac re abhorreant. Tandem tamen victus persuasionibus cessit, licet hoc anno ob periculum pestis a praedicta supplicatione supersedendum fuerit. Dedit et alias litteras Episcopo Illustrissimi Nuncii de nova clausula iuramenti, quam Jacobus Naiman ad arcendos studiosos a nostris scholis excogitaverat et inscio Episcopo, Cancellario Academiae, nova onera iuventuti privilegiis aliorum contraria imposuerat, de quo supra 4^{a} Maii huius anni egimus. Impetraverat insuper ab Apostolico Nuncio Lancelloto, Ordinis nostri studiosissimo, litteras ad novam Cardinalium fidei Congregationem, apud quam Academici nostros traduxerant (quasi in evertendam Cracoviensem Academiam, fidei Catholicae in hoc Regno magnum praesidium, conspiraverimus), quibus aperuit et nostrum in scholis Proponitur Episcopo, ut supplicationes in festo Gratiarum actionis in templo S. Petri fierent.

26. Datae eidem litterae Nuncii de clausura iuramenti nova Academicorum. Litterae aliae Nuncii ad Congregationem Cardinalium de fide propaganda.

Liber contra nos impressus supprimitur.

Cracoviensibus consilium et quid Societas in convellendis haeresibus fideque Catholica stabilienda in hoc Regno praestiterit. Denique cum cognovisset quemdam Academicum contra nostros in Germania librum edere, idem P. Szembek varias litteras a praedicto Nuncio ad Episcopum Cracoviensem, Posnaniensem [1]), Chelmensem [2]), impetravit quibus hortabantur, ut scandala, quae tali libello proseminanda erant, impedirent, quod etiam effecerunt, nam liber hic iam impressus suppressus est.

Missiones Nostrorum per Decanatus cum R^mo Suffraganeo

Quam laboriosae

Et quam utiles

Et quam honorificae Societati.

Quantopere in iis nostrorum labores excitavit D^s Suffraganeus

Labore et exemplo pio.

Quia per Maium, Junium ac etiam Julium continuabantur Missiones nostrorum cum R^mo Thoma Oborski Suffraganeo Cracoviensi, quae hoc anno fere erant coeptae et reliquis postea annis fiebant, non abs re erit aliquid de illis hoc loco dicere. Obibat praedictus Suffraganeus varios dioecesis huius decanatus ob conferendum Sacramentum Confirmationis ad idque nullum admittebat nisi prius Confessione expiatum. Concurrebat ingens multitudo non solum paganorum, sed etiam nobilium ad nostros, qui poenitentibus magna laboris contentione a summo mane ad vesperam aures dabant, exhortationes interponentes, exiguo spacio ad cibum somnumque capiendum relicto. Innumerae Confessiones generales excipiebantur et varii conscientiae nodi expediebantur et eadem occasione indulgentia Missionum Societatis promulgabatur, cuius omnes participes fieri cum vellent, ingenti labore nostros distinebant. Ipso tempore messis rusticani palam a laboribus vacabant, ut longe uberiorem Sacramentorum messem colligerent. Vix sufficere poterat paucitas nostrorum studiis et pietati omnium, maxime cum multorum annorum confessiones essent retexendae, plurimi de restitutionibus instruendi, matrimonia male coalita ad Ecclesiae praescriptum redigenda. Nihil simile factum sua memoria omnes fatebantur. Multi ex parochis et ex nobilitate, qui praeter nomen Jesuitarum nihil de Societate cognoverant, magnam de eius industria in procuranda salute proximorum opinionem conceperant. Versabantur per praedictos menses in his Missionibus ex domo S. Barbarae alternis vicibus P. Melchior Sulkowicz, P. Simom Jurkowicz, P. Adamus Ustinius, P. Joannes Zegocki. Excitabat porro nostros ad indefessum laborem pius Praesul, qui itinera omnia magna ex parte, etsi sexiga (sic) praesto esset, pedibus conficiebat etiam in maximo aestu, victu modesto admodum et frugali contentus, in sacco lineo stramine inserto, sine aliis culcitris, capere somnum solitus, sumptibus parochorum, in quorum Ecclesiis versabatur, parcens, salutis proximorum appetentissimus, in laborando strenuus, ut nostris exemplo et incitamento virtutis esset.

Eleaemosyna Julii.

Summa perceptae eleaemosynae pecuniariae hoc mense, quo nostri ob pestem in variis locis degebant, erat florenorum 56. A R^mo D^o Suffraganeo fl. 10. A D^o Nicolao Danielowicz alii 10. Reliqui ab aliis. Butyrum, carnes, caesei, panes, tela, crematum etc. submissa fl. 37 constiterunt.

---

[1]) Joannes Wężyk.
[2]) Mathias Łubieński.

Septima huius mensis Virgo Felicia Zbilitowska et Cristina Koscianka, praesente P. Petro Birk, Notario Publico Civitatis Cracoviensis et cive eiusdem Civitatis, et D° Stanislao Haller et D. Alberto Zaralinski civibus Cracoviensibus, testibus ad hod specialiter rogatis, fide dignis, libere et sponte dederunt Imaginem quandam Beatissimae Virginis Lauretanae in charta tela subducta, altitudinis unius ulnae et trium digitorum, latitudinis vero tertia parte ulnae, pro templo S. Barbarae, Patrum Societatis Jesu Domus Professae, eiusque donationis possessionem statim adiit P. Stephanus Wągrowski, prout latius patet in authentico instrumento ea de re dato, quod in archivio templi S. Barbarae servatur. D..... circa hanc imaginem[1]) . . . . . 27.

P. Lucas Gladissius 18ª Augusti in Collegio S. Petri peste est extinctus. Eadem die cum intellexisset P. Praepositus P. Nicolaum Szelski Posnania pro domo S. Barbarae venisse, statim eum in Kamyk ad D^m^ Borzykowski misit, ut P. Kamocki ibidem manentem in concionibus habendis adiuvaret, quamdiu Cracoviam ob pestem reditus non pateret. Mors P. Lucae Gladissii. P. Szelski Kamykum mittitur.

Hoc mense Collegium Calissiense R. P. Provincialis visitans, quia statim providendum de novo Patre Spirituali et Confessario Collegii certas ob causas adverterat, non habens tunc alium, socium suum P. Joannem Wielewicki praedicta munia ac insuper Praefecti Maioris tantisper obire iussit 27ª huius mensis, donec alterum substitueret. Sed postea sine socio stabili usque ad mortem permansit, quae sequentis anni Augusto, ut videbimus, contigit. Non valde haec res placuit praecipuis quibusque in Provincia et ipse Admodum R. P. Noster, ne hoc in posterum fieret, prohibuit. P. Provincialis socium suum Sacerdotem Calissii relinquens, sine eo ad mortem mansit.

Pontifex Maximus Urbanus VIII^us^ 28ª huius revocavit licentias erigendi monasteria et Collegia absque consensu ordinariorum. Licentiae erigendorum monasteriorum revocantur.

Hoc mense P. Matthaeus Bembus, Praepositus Domus, nostros per varia loca dispersos visitabat et singulis quantum fieri poterat tum consilia tum auxilia competentia exhibebat. Visitatio nostrorum per P. Bembum.

Hoc eodem mense Joannes Bylina, qui ab uno fere anno, postquam ex Italia rediisset, statim in vocatione fluctuare coeperat et dimissionem a Societate ab Admodum Rndo P. Nostro iam procurabat, non exspectato eo in negocio responso, cum a P. Andrea Wąchocio, ad quem tunc temporis diverterat, ad Matrem cum uno ex nostris socio missus fuisset, socium remisit ac vestibus religiosis abiectis, saeculares induit et impudenter apostata factus est. Quae cum illo postea gesta sunt, suo loco videbimus. Joannes Bylina apostata factus.

Florenos 163 eleaemosynae pecuniariae per Mensem Augustum accepimus. A D° Wizenberg fl. 25. A D^a^ Widermanowa fl. 26. A D° Szembek fl. 30. A D° Suffraganeo fl. 10. A Virgine Apollonia fl. 10. A quibusdam fl. 13. A D^a^ Wisniowska fl. 9. A D° Trcinski fl. 7. A reliquis alii. Panis, carnes, casei, butyrum, crematum, aromata, aestimata sunt florenis 36. Eleaemosyna Augusti.

---

[1]) Verba haec, ab auctore in margine adnotata, temporis iniquitate delata sunt.

28. Mors Elisabethae Sieniawska

Mortua est 20ª Septembris, Lublinum proficiscens, in pago Radawce duobus tantum milliaribus Lublino distante, magna illa Societatis nostrae per hanc Provinciam Benefactrix et Collegii Leopoliensis Fundatrix (et Monasterii Sendomiriensis Monialium S. Benedicti), Dª Elizabetha de Lezenice Sieniawska, Regni Marsalca et Capitanea Ratnensis, cum vixisset annis 50 et mensibus 10 et post mortem viri, cum quo sex tantum annos vixit, 28 annos in viduitate consumpsisset. Quia enim consecrationi in Abbatissam filiae suae Sophiae, Goris tunc temporis cum Monialibus manentis, voluit interesse, quae postulante Episcopo Cracoviensi Martino Szyskowski, per Boguslaum Boxam Radoszewski Kioviensem Episcopum peracta fuit, ideo finito hoc actu Ratnum per Lublinum dum redire cogitat, in ipso itinere, uti diximus, vitam hanc mortalem finivit. Prius tamen illa ipsa die, etiamsi in itinere esset, Sacro Missae Sacrificio audito, Poenitentiae et Eucharistiae sacramentis se ad mortem comparaverat, quod etiam antecedentibus diebus frequenter ob morbos fere continuos faciebat.

In itinere

Dum Goris Ratnum per Lublinum ire vellet.

Edita post vita eius

Edita est post mortem eius fere sexto anno, id est Anno Dni 1629, vita illius Cracoviae per unum ex nostris, nempe P. Laurentium Surligam, Lublini tunc commorantem et Concionatoris munus peragentem. Ex hoc libro plurima scitu dignissima facile peti possunt de hac singulari Matrona, quae rarum et magnum singularium virtutum nostro saeculo huic Regno et Ecclesiae Dei exhibuit ornamentum.

Per P. Laurentium Surligam.

Monet Episcopus Naimanum de libello contra nos edito.

Hoc eodem mense postquam intellexisset Martinus Szyskowski Episcopus Cracoviensis librum contra Societatem iterum ab uno ex Academicis in Germania editum, gravissime id tulit et per litteras Jacobum Naimanum Rectorem Academiae serio monuit, ne res adeo turpes et omnibus piis exosas prodire ex Academia patiatur, deinde ut in authorem serio inquirat. Vide has litteras in libro Antigratis fol. 291.

Eleaemosyna Septembris.

Eleaemosyna mensis Septembris fuit in peccunia florenorum 72. A Rmo Dº Suffraganeo fl. 10. A Dº Mazurkowicz fl. 10. A Virginibus mendicantibus fl. 22, reliqui ab aliis. Butyrum, casei, carnes, cervisia, vinum, panis, aromata, quae erant submissa, aliis 71 fl. constiterunt.

29. Peractum prima vice a nostris Cracoviae manentibus festum B. Francisci Borgiae 1ª Octobris, quod superiori anno Pontifex Maximus eum in numerum Beatorum retulerit ac de eo Sacrum et officium fieri permiserit. Ab aliis vero nostris dispersis pro cuiusque notitia et opportunitate idem festum celebratum, refert P. Kamocki in sua historia, sed id sequenti anno primum factum, ut suo loco patebit, nempe 22ª Novembris et alio. Ob febrim, in quam inciderat, P. Prae-

positus Bembus rediit Cracoviam curandae valetudinis causa et ad S. Stephani domum divertit 10ª huius. Nolebat enim domum S. Barbarae ingredi, quia nostri in ea degentes cum infectis communicabant. Haesit porro apud S. Stephanum ad 4ªm Novembris.

De Supplicatione apud S. Petrum expedienda.

Eadem die coram Capitulo Cracoviensi, Raciborowicis congregato, decretum Episcopi Cracoviensis promulgatum, ut in festo Victoriae seu Gratiarum actionis, de quo antea dictum est, supplicationes ex omnibus templis ad templum SS. Apostolorum Petri et Pauli fierent. Sentiens Dⁿ Joannes Zerzynski decretum contra se ab Auditore Nuncii Apostolici datum, de quo 26ª Junii istius anni diximus, curabat omnibus modis a sede Apostolica novam commissionem, per quam ostenderet excommunicationem contra P. Angelum iustam fuisse etc. et eam acquisivit 29ª huius mensis, cum Pontifex Maximus Tusculi moraretur, suumque Commissarium elegit Joannem Foxium J. U. D. Archidiaconum Ecclesiae Cathedralis Cracoviensis. Quid postea occasione praedictae commissionis factum fuerit, sequenti anno suo loco patebit.

Commissionem contra nostros obtinet Zerzynski Officialis.

Mors Pis Zabielski.

Ultima huius mensis in vivis esse desiit P. Stanislaus Zabielski in domo S. Barbarae. Erat is nobilibus parentibus in Masovia natus anno 1550. Ex annis aetatis 74 dedit Societati 54, nam illi 20 aetatis anno se addixerat. Ante ingressum Societatis humanioribus studiis in Collegio Pultoviensi operam dabat ibique nostri instituti desiderium conceperat et tyrocium Societatis Bransbergae ingressus ac brevi inde Vilnam missus, tum Rhetorica tum etiam Philosophica studia de more percurrit. Mox per annos 12 in variis scholis humanioribus tum Magistrum tum Praefectum Studiorum agens, erudiendae iuventuti incubuit, laborum huius generis tolerantissimus. Vilnam iterum missus Theologiaeque Scholasticae per triennium auditor fuit et post missus Posnaniam, Ministri Collegii munus obiit per tres annos. Ibidem Coadiutor spiritualis factus erat Anno 1593, 2ª Februarii. Romam post accitus est a Claudio Aquaviva Praeposito Generali et ab Anno Dni 1593 ad Annum 1599 in domo Poenitentiariae morabatur, Polonis limina Apostolorum adeuntibus et aliis confitentibus aures accomodans. Roma Cracoviam ubi rediit, in ea urbe reliquum aetatis exegit, multarum virtutum exempla aliis de se praebens, maxime accuratae Regularum observantiae, despitientiae sui, amore paupertatis et patientiae. Otium adeo detestabatur, ut nunquam interquiesceret, quin reliquo a Confessionibus excipiendis tempore vel scriberet aliquid vel precarios globulos in honorem Deiparae procuraret, quos circumferebat, quando vel prodibat cubiculo vel illud repetebat. Rarissime prodibat in publicum angustiis domesticis contentus. Mirus in eo zelus haereticos ad gremium Ecclesiae revocandi, praesertim Arianos, quibus ut scribendo prodesset, multos annos laboravit, etsi irrito conatu, nam non ea fuit eruditione, ut elucubrationes eius in hoc genere lucem aspicere permitterentur. Labor tamen eius

Anni aetatis et Societatis.

Studia extra et intra Societatem.

Varia alia, quae exercebat munia.

30.

Virtutes eius variae.

Labores contra haereticos.

et magnae fuit aedificationis et ut spes est, coelitibus admodum gratus. Libros, quibus aliquae haereses erant inspersae, ut legentium utilitati servire possent, indefesso studio repurgabat. Ad confitentes quotiescunque accersebatur, accurrebat alacriter et quia Canonum perpetua lectione non vulgarem iuris Canonici assecutus erat peritiam, plurimi ad eum et saeculares et spirituales imo et religiosi accurrebant, partim ut in dubiis consilium expeterent, partim ut sua crimina apud eum deponerent. Et quamvis in exigendis peccatorum poenis esset rigidior, non ideo tamen a se absterrebat confitentes. Disciplinae ecclesiasticae in his quos expiabat erat tenacissimus, sicut et perfectae Instituti nostri observationis, unde etiam leves nostrorum defectus non parvum ei dolorem adferebant. Superiores magna reverentia et obedientia prosequebatur, morum candore ingenuo omnibus placebat et perpetua animi pace in maximis etiam perturbationibus perfruebatur. Cum esset satis firma valetudine, ob caloris tamen noxii exuberantiam eius robur depascentem et ob scribendi contentionem in eam incidit aegritudinem (incidit), quae illi suprema fuit, in qua Sacramentis omnibus procuratus, pie et placide ipsa Sanctorum omnium vigilia in Domino obdormivit. Et quia nostrorum pauci domi erant, reliquis ob pestem dispersis (nam tempore pestis iste Pater nunquam domicilium mutare volebat, vel cum mortis periculo proximis inserviturus) ideo ab externis Sacerdotibus, qui eum parentis loco habebant, funus eius deductum est pomeridiano tempore festi Sanctorum omnium et in consueto nostro sepulchro sub maiori altari sepultus.

Diligentia in audiendis Confessionibus.

Candor animi.

Externi Sacerdotes eius funus deducunt.

Per mensem Octobrem accepimus eleaemosynae pecuniariae florenos 145. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 25. A R^mo D^o Suffraganeo fl. 10. A D^o Rab fl. 13. A D^o Wizenberg fl. 25. Ab aliis reliquos. Res submissae in vino cremato, cervisia, panibus, caseis, pultibus, 16 florenis constiterunt.

Eleaemosyna Octobris.

31. Mortuae superiori mense Benefactrici Nostrae Elisabethae Sieniawscae funus maximo apparatu 14^a^ Novembris Leopoli peractum est. Qui in eo nostri fuerint, ex historia Collegii Leopoliensis petendum erit. In extemporaneo nostro sacello ligneo, ea lege erat sepulta, ut postea ad templum, quod magnificum extruebatur, transferretur, quod etiam post annos fere sex factum est.

Funus Elizabethae Sieniaviae Leopoli.

P. Agapitus Dąbrowski 18^a^ huius mensis, postquam diutius ex febri ardentissima decubuisset, in arce Niepolomicensi excessit e vivis, de quo in historia Collegii S. Petri plura sunt videnda, his tantum aliqua obiter innuemus. Erat is nobilibus natus parentibus in Palatinatu Lanciciensi, annos aetatis habuit 45. In Societate, quam 17 aetatis anno fuit ingressus, 28 annos consumpsit et postquam in ea studuisset Philosophiae annis tribus et Theologiae Scholasticae quatuor, docuit postea Philosophiam per 4 annos et Theologiam annis sex. Praefuit tribus annis maioribus studiis. In variis locis per novem annos concionabatur magna cum satisfactione. Egregie sese consuetis Sacramentis ad mortem comparaverat. Sepultus est in templo Monialium S. Clarae Staniątkoviensi, quod medio fere milliari Niepolomicis distabat. Abbatissa enim illius loci Cecilia

Mors P. Dąbrowski. Quibus studuerit et quae docuerit in Societate. Et alia eius munia. Niepolomicis eius funus Staniątkos' deductum.

Trcinska[1]) cum toto monasterio id vehementer urgebat, volens gratitudinem mortuo ostendere illi, qui vivus in illo Coenobio non raro in Concionibus et Confessionibus desudabat illudque ad disciplinam religiosam multis in rebus adduxerat. Plurimos Sacerdotes praedicta Abbatissa, sub illud tempus pestis, ex locis tutioribus ad funus huius Patris convocaverat, ubi etiam P. Melchior Sulkowicz est concionatus, rogatu eiusdem et postea certis diebus in anno funebribus exequiis ac particularibus orationibus cum toto monasterio non raro ei parentabat ac hucusque gratissimam eius memoriam habet. Honorificeque ibidem sepultum.

Prodiit 23ª huius mensis Bulla Urbani VIII Pontificis Maximi Beatificationem B. Francisci Borgiae continens et permittens, ut de eo Sacrum ac Officium a nostris ubicunque dici possit; ab externis autem tam saecularibus quam religiosis nonnisi in Dominio Borgiano. Sed non multo post extensio huius privilegii facta est, ut suo loco videbimus. Beatificatio B. Francisci Borgiae.

Ex hac re manifeste confutatur id, quod attulimus ex P. Petro Kamocki 1ª Octobris huius anni. Si enim hoc mense primum praedicta Beatificatio facta, quomodo superiori Octobre eius Beati festum esse potuit?

Novembri mense accepimus eleaemosynae in pecunia florenos 66. A Dº Archipresbytero[2]) fl. 22. A Rmo Dº Suffraganeo[3]) fl. 10. A Dno Szembek fl. 20. Reliqui ab aliis. Iam siligo, casei, butyrum, cervisia, panes, carnes et bos a Castellana Oswiecimensi[4]) constiterunt florenis 95. Eleaemosyna Novembris.

32.

Venerat R. P. Provincialis post visitatam Maiorem Poloniam et Prussiam Stepocicos circa initium Decembris, nam Cracoviam eum venire minus adhuc erat tutum, ideo ad eum consultationum de rebus Provinciae causa P. Matthaeus Bembus 7ª huius se contulit. Hoc etiam mense P. Petrus Kamocki cum P. Nicolao Szelski, manens in Kamyk apud Dm Borzykowski, persuaserat Dae Lubomierska, ut inter Judaeos, qui sub tempus pestis Cracoviensis ad eius pagum multi sese contulerant, aliquos iuniores (nam adulti ob scelerum consuetudinem in perfidia solent esse obstinati) consideraret et data occasione fidem Christianam pro captu instillaret. Non fuit irritus labor: una etiam puella Judaea 14 annos nata piis monitis locum dedit baptismoque se velle lustrari professa est, imo addidit, se ad Christiana sacra animo semper fuisse propensam, sed defuisse occasionem, qua eorum particeps esse posset. Ut ergo tutius res procederet et non statim in Judaeorum cognitionem veniret, mittitur catechumena ad Coniugem Dⁱ Borzykowski brevique doctrinam Christianam edocta et matura, baptismo in Parochia Soboloviensi, praesentibus multis nobilibus, magna cum alacritate et devotionis sensu, salutari fonte abluta est ab eademque Dª Lubomierska, quae Christianismum primum suaserat, pro unica filia est accepta, quae etiam illi de omnibus necessitatibus providit. Adventus P. Provincialis Stepocicos. Judaea parvula Ad fidem Christianam animum adiicit Et edocta catechismum Baptisatur.

---

[1]) Anna Caecilia Trzcińska (1619—1649).
[2]) R. D. Christophorus Trzcinski.
[3]) Thomas Oborski, episcopus Laodiceae i. p. i.
[4]) Christina de Gaiow Myszkowska.

Eleaemosyna Decembris.

Percepta eleaemosynae pecuniariae mensis huius erat florenorum 237. A variis per P. Wągrowski fl. 117. A Serenissimo fl. 60. A Mfco Do Henrico Firlei fl. 26. A Rmo Do Suffraganeo fl. 10. Reliqui ab aliis. Casei, butyrum, pisces, carnes, pisa, panes, cervisia, crematum etc. aestimata sunt fl. 51.

Annua eleaemosyna templi.

Annua templi nostri eleaemosyna in pecunia erat florenorum 910. Res Sacrario submissae et votivae argenteae tabellae appensae cum nonnullis aliis plusquam 100 fl. constiterunt.

33 Jahia Ottomanicus princeps,

Inter varia, quae ad certum mensem referri non poterant, ponendum hic imprimis illud memoratu dignum. Ottomano Turcarum imperatori, qui ante biennium bellum Polonis intulerat, patruus erat Mustafae ibidem imperatoris Turcici frater natu maior, Christiana matre Graeca natus, Jahia seu Johannes Baptista a Turcis dictus. Is ubi adolescens in Hetruriae Ducis potestatem venit, facta de eius natalibus exactissima disquisitione, splendide educatus est Christianisque initiatus Sacris, Simeonis nomen accepit et pro Ottomanico Principe a Paulo Vo Pontifice et a Rudolpho II Imperatore et a Prorege Neapolitano est habitus nonnullisque in hoc Regno Magnatibus notus. Agitabat consilia de imperio Ottomanico vel in toto vel in aliqua parte adipiscendo eamque ob rem ad Ferdinandum II se conferre statuerat. Pergens ex Macedonia ad Chanum Tartarorum divertit, cui secreto cum se quis esset aperuisset, ad secretum Mecetum (delubri Mahometani id nomen est) deducitur. in quo plurimi libri Arabici servabantur. Hic Chanus percontatur ex Jahia, an aliquando oracula de rerum suarum successu consuluisset. Negat Jahia. Tum Chanus: Experiemur, an prosperam vel adversam sis habiturus fortunam. Tene modo clavum hunc ferreum uno digito, a quo ligneus dependet orbis (usualibus mensae orbibus is erat similis), ego vero interim ex libro quaedam verba secreto legam. Si ad mea verba orbis a tuo digito dependens ordinario solis motu a sinistra ad dextram versus fuerit seque agitaverit, signum erit omnia tibi ex animi sententia eventura. Si contra a dextra ad sinistram, scito te adversa fortuna usurum. Annuente experiendi gratia Jahia, submurmurat quaedam verba Chanus et ecce orbis a dextra ad sinistram convertitur idque toties, quoties ille verborum formulam repetiit. Tum exclamat Chanus actum omnino de salute Jahiae esse, infelix praesagium adversa omnia illi praetendere. Advertens id Jahia, coepit et ipse animo commoveri, metuens, ne Chanus praesagiis credulus et auxilia, quae illi ad Turcicum dominatum tentandum prolixe detulerat, mutata sententia negaret et vinculis constrictum Constantinopolim amandaret,

Agitans consilia de imperio adipiscendo,

Ad Chanum Tartaricum divertit ab eoque est agnitus.

Oracula de illo Chanus consulit,

Quae dum mala praetenderent,

benevolentiam Turcarum, caeso Ottomano per id tempus tumultantium, sibi comparare volens; Fingit ergo Jahia fidem se habere praesagio ideoque cura imperii potiundi abiecta, rebus humanis valere iussis, raso capite Santonum (religiosi isti sunt Turcici) habitu Mecham ad sepulchrum Prophetae Mahometis se pergere ibique privatum ac soli contemplationi vacantem se velle vivere. Collaudavit id mirifice Chanus et aureis mille dōnatum comitatuque ad aliquot dies instructum, fausta omnia illi precatus dimisit. Jahia vero oblata prima opportunitate, pro Asia cursum vertit in Europam, ad Imperatorem Ferdinandum II venire desiderans, magnis emensis itineribus Cracoviam venit hicque per aliquot menses expectans ab Imperatore, ad quem miserat, responsum morabatar apud Mercatorem, paucis admodum notus. Intellexerat de eo P. Fridericus Szembek et coepit se in eius familiaritatem insinuare, qua contracta, ventitabat Jahia ad Partheniam Studiosorum in domo nostra Sodalitatem et coetibus eius exhortationibusque libenter intererat palamque cum Sodalibus Sacramentum Eucharistiae usurpabat, cum prius Confessione Sacramentali apud P. Valentinum Rusconium animam expiasset, nemini tamen Sodalium erat notus. Non raro cum P. Szembek consilia et de promovenda Graecorum cum Ecclesia Romana unione et de Christiana religione in Turcicum imperium, si eo vel parte eius aliquando potiretur, inducenda secreto communicabat. Inductus a praedicto Patre, ut ob adoptandam sibi conatibusque suis Patronam Deiparam eius Sodalitati nomen daret, fecit id alacriter ac ipse nomen suum arabicis, italicis et latinis characteribus manu propria inscripsit. Accepto post ab Imperatore responso, quo Viennam accersebatur, acceptis Patentibus Congregationis litteris manu R^mi D^i Suffraganei, qui tum agebat Praepositum, subscriptis, die S. Stanislai Regni Patroni Sacra Synaxi refectus, accepto praeterea a Congregatione pio munusculo, itineri se dedit.

Fingit Jahia, se deponere curam omni de imperio

Et suscipere peregrinationem Mecham,

Sed post in Europam vertens.

34.

Venit Cracoviam.

Inita cum P. Szembeco familiaritate,

In oratorio Congregationis Sacramenta usurpabat.

In album Congregationis se inscripsit.

Patentibus litteris acceptis Viennam ad imperatorem pergit.

Tres viri nobiles, per nostros adiuti, haeresi abiecta Ecclesiae Catholicae se adiunxerunt. Unus itidem nobilis Schismaticus schisma abiuravit. Confessionum anteactae vitae certus numerus iniri non potuit ob multitudinem. Maxima pars earum fuit, quae ob sacrilegum pudorem, cum integrae non fuissent, necessario repetendae erant. Meretricium quaestum abiecerunt decem. Data opera, ut multae maritatae, viduae et virgines contra mirabiles lascivorum artes egregie sese ac suam pudicitiam tuerentur. Matrimonia non pauca male coalitata, vel legittime adstricta vel omnino dissoluta. Inductus miles, ut mulierem, quam superstite sed domo longius absente marito, coniugis loco per septennium habuerat,

Haeretici et Schismatici conversi.

Confessiones Generales.

35.

Matrimonia male coalita, emendata vel sublata.

liberosque ex ea susceperat, ad legitimum coniugem, quamvis invitam, ablegaret, prolis autem alendae curam ipse susciperet. Maritum suum obiisse mulier rata,

Veneficae conversae. Odia extincta.

nupserat alteri pluresque annos cum eo manserat, sed ad redeuntem postliminio ipsa quoque nostro hortante, posteriori deserto, revertit. Duae veneficae a pernicioso instituto deterritae et Sacramentis expiatae. Inter varia odiorum incendia opera nostrorum extincta, erat etiam illud, quo viri Nobilles duello congressi acceptis utrinque vulneribus contra se exarserant, sed triduo post nostro suadente pristinae benevolentiae sunt restituti. Contractus usurarii multi rescissi et qui ex male pactis locupletiores evaserant, non pauca millia suis dominis restituerunt. In una Missione nostro contra usuras acriter et solide agente, unus 1500os florenos restituit et alii de restitutione admoniti, bona fide satisfacturos sese admonitionem receperunt. Nocturni timores et daemonis quasi ad infernum violenter abripientis spectrum ita unum iuvit, ut statim ad pedes Nostri vitae superioris noxas aperiens sese abiecerit et ineundae religiosae vitae proposito sibi consuluerit. Idem fere alteri adolescenti evenit, qui varia crimina ordinariae in Confessione reticebat et perpetuos daemonis terrores per quietem experiebatur, quotidianum tamen pensum precum Deiparae persolvere non ommittebat. Incidit is casu in unum Assumptae B^mae Virginis sodalem, ei dum omnia aperit, statim ab eodem ad Oratorium predictae Virginis adducitur, Confessione integra animam purgat et in sodalium numerum, quod pridem optabat, suscipitur sicque ab hostis vexatione est liber factus.

Contractus usurarii rescissi.

Timores a spectris illati.

In Sodalitate B^mae Virginis tolluntur.

36. Praeter Missiones, quarum loco suo mentionem fecimus, erat etiam illa celebris, quae Corcinum instituta fuit et quam ita cives expectabant, ut nostris venientibus obviam consulares viri cum Proconsule processerint, rara veneratione nostros excipientes. Non deerant etiam nostri eorum expectationi. Per aliquot menses concionibus habendis, Christianae Doctrinae explicationi et Confessionibus excipiendis totos se dederunt. Vix aliquis in oppido inventus, qui nostris confessus non fuerit, praeter colonos et multos nobiles ex pagis ob eandem causam accurrentes. Indicta erat in illam diem Indulgentia, Missionibus nostrorum a Sede Apostolica concessa, qua annua memoria B. Stanislai Kostka celebratur. Ante vero non pauca nostri pro concione de hoc Beato, huic loco adhuc ignoto, aliqua retulerant. Ingens igitur ad diem praefixum multitudo hominum convenit. Suplicatio solennis instituta. Beati Reliquiae circumlatae et in altari post propositae piis omnium occulis excipiebantur. Confessionibus omnium per totam diem et magnam noctis partem satisfieri non potuit, licet non pauci Sacerdotes in subsidium laboris venissent.

Missio Corcinensis. Quam cives expectabant Et in qua munia Societatis consueta cum Indulgentia Missionum Nostri exercent.

Templi aedificium in eodem oppido aegre procedebat, quod necessarii sumptus non suppeterent. Suggessit noster, ut singuli patresfamilias singulis hebdomadis grossum unum, nullo suo incommodo conferrent, quod libenter consilium acceperunt et ad opus perficiendum sese accinxerunt.

Templi fabrica iuvatur.

Nostri, qui Cracoviae apud S. Barbaram manserant, toto pestis tempore egregiam operam navarunt et peste infectis et aliis, perpetuo Confessiones excipientes, Eucharistiam ad aegros deferentes, conciones nunquam intermittentes, eleaemosynas a variis corrogatas iis, qui domi inclusi fuerant, deferentes. Ut autem studium nostrum civibus non defuit, ita et cives vicissim suam nobis

Nostrorum, tempore pestis Cracoviae manentium occupationes.

liberalitatem deesse nolebant, submittentes impigre, quae nobis sustentandis erant necessaria.

Hoc etiam anno et alae maioris altaris ademptae in nostro templo, ut plus lucis templum habere posset et altare in Sacristia, ex Epitaphio antiquo ad parietem ultra Cathedram concionatoriam olim affixo, renovatum collocatumque est (Germanicae familiae Christophori id fuisse perhibetur, quae ante initam per nostros templi possessionem in eo sepeliebatur) et subselliorum muliebrium quadrum, ad altare S. Ignatii positum, scamnaque certis personis ita distributa, ut tamdiu ab illis possideantur, quamdiu templum frequentare nostrum voluerint; si vero per aliquot menses absentes fuerint, liberum relictum, ut aliis concedantur. Divisus insuper hoc anno chorus penes Sacristiam versus Cathedram concionatoriam, ut una pars eius nostris tantum Concionem audituris serviret, sed id non successit, externis indifferenter illam partem pro libitu ingredientibus.

Varia in nostro templo facta: 1um 2um 3um

4um

Annus Domini 1625.

Mutio Vitellesco Societatis Jesu Praeposito Generali, Georgio Tyszkiewicz Provinciali Praeposito, ac illo mortuo Matthaeo Bembo per aliquot menses eius vices obeunte, simul cum officio Praepositi Domus Professae.

Aluit hoc anno Cracoviensis Professorum domus 24 ex nostris. Sacerdotes videlicet tredecim, Scholasticos lectores mensae duos, Coadiutores novem, ex quibus ad meliorem vitam vocatus est unus Laurentius Opoczno, de quo 28a Augusti, qua die pie obiit, fusius dicetur.

Numerus Nostrorum.

Circa initium huius anni venerunt Academici Cracovienses ad Joannem Baptistam Lancellotum Nuncium Apostolicum Varsaviam eique significarunt, se nullam concordiam cum Patribus Societatis Jesu inire velle negotiumque hoc, Academia supplicante, a SSmo Do Nostro Urbano Papa VIII Romam evocatum eademque petente Tribunali Rotae commissum esse, ut via ordinaria iudicii decidatur. Quibus intellectis Nuncius a tractatu pacis, superiori anno inter nos et Academicos coepto, destitit. Remque ita et non aliter se habuisse idem Nuncius testatur in ea epistola, quam dedit Varsaviae 8a Aprilis Anni 1626, quae posita est in libro Antigratis fol 208 et supra scripta verba fol. 211. Et tamen non sine ingenti impudentia in Comitiolis districtuum, in Comitiis Regni Generalibus et passim in Congressibus coram omni fere hominum statu traducebant nostros Academici, quod eorum causam Romam evocaverimus.

I. Academici significant Nuncio Apostolico se Romam avocasse negocium cum nostris ad Tribunal Rotae.

Cur nostri nonnisi in fine huius mensis redierunt ex dispersione.

Constituerant nostri ad initium Januarii domum redire a Benefactoribus, ad quos superiori anno grassante Cracoviae peste, sese contulerant, uti 20 Julii annotavimus; sed ob Albertum Squiernievium Vestiarium, cui sub axilla et supra oculum ulcera proruperant, continuerunt sese et nonnisi circa finem huius mensis redierunt.

Donatio Palatini libris Vielicensibus inscribitur

Concesserat Joannes Comes a Tęczyn Palatinus Cracoviensis Anno 1620 in Septembri domui S. Barbarae stipendium in salifodinis Vielicensibus toto reliquo suae vitae tempore. Quia vero quolibet trimestri nova semper ab eo recognitio petenda erat, non sine molestia, ideo 13ª huius mensis effectum apud illum est, ut hac donatione eius semel in libros Vielicensis Salifodinae inscripta, sine nova eius recognitione acciperetur a nostris.

Et D. Joannis Zebrzydowski.

Palatini exemplum secutus est Dˢ Joannes Zebrzydowski Ensifer Regni, qui etiam 27ª huius mensis vectigal Vielicense, sibi debitum, nobis ad vitam similiter donavit et libris Vielicensibus inscribi iussit.

Eleaemosyna Januarii.

Percepta eleaemosynae pecuniariae hoc mense erat florenorum 380, nempe legati a Virgine Elisabeth fl. 100 Ab Episcopo Cracoviensi fl. 44. Ex mendicatione P. Melchioris Sulkowicz fl. 80. A Dª Palatina Cracoviensi fl. 20. A Dº Rab fl. 18. A R. D. Archipresbytero fl. 16. A nonnullis fl. 13. Reliqui ab aliis. Iam frumentum varium a variis cum braseis constitit fl. 183. Et butyrum, casei, carnes, vinum, cervisia, pisa 57 fl. sunt aestimata, ita ut omnia, quae in rebus submissa sunt 241 fl. aequaverint.

2. Professio Pis Sulkowicz.

Instituta more consueto Renovatio Votorum, celebrante P. Stanislao Krzywokolski 2ª Februarii, qua etiam die admissus ad Professionem 4 Votorum P. Melchior Sulkowicz, excipiente Professionem P. Mathia Bembo Domus Praeposito, in templo S. Barbarae. Excepti prandio tunc Rmus Dˢ Suffraganeus Thomas Oborski et R. D. Archipresbyter Trcinski.

Reditus Pis Konski.

Ante duos menses P. Andreas Konski cum Jacobo Szostak missus erat ad Dm Lesniowolski Capitaneum Zatoriensem et ad vicina loca rediitque 6ª istius mensis, magno sui desiderio relicto, tum apud praedictum Capitaneum, tum apud vicinos, ob egregiam saluti proximorum navatam operam.

Apparitio mortui Dⁱ Mieszkowski Officialis Premisliensis.

Eadem sexta huius mensis memorabilis fuit apparitio Dⁱ Stanislai Mieszkowski Officialis quondam Premisliensis, qui 1ª huius mensis erat mortuus. Res ita habuit. Redibat ex civitate noctu 6ª istius mensis R. D. Niiowski, tunc Cantor et iam modernus Officialis Premisliensis, a Dº Feliciano Grochowski Notario Terrestri Premisliensi, per quem disuaserat Samueli Bolestraszycki haeretico, ne Pseudominister ab eo inductus more suo contrahentibus matrimonium assisteret illudque confirmaret, tumultus enim contra haereticos inde oriturus omnino timebatur Premisliae. Nec disuasio fuit irrita. Haeretici enim cum suo Ministro Premislia abierunt et alibi suas nuptias celebrarunt. In reditu igitur, dum versus templum S. Petri praedictus D. Niiowski pergit, Dm Mieszkowski ante quatuor dies

mortuum ad fontanam aqua carentem, quae ibi hucusque est, stantem conspicit et ita se alloquentem: Unde D. Vestra venit? Respondente D^o Niiowski se ab eo negocio venisse, in quo non permissum est, ut Minister haereticorum contrahentibus nuptias adesset, subiecit illa: Bene hoc D. V^a fecit. Tum D. Niiowski: Tamen D. V^a est mortua. Respondet: per quatuor dies hic debeo morari et sum absque aqua. Quaerit D^s Niiowski: Quam ob causam? Quia, inquit, me ad iudicia non praeparabam et quia facile Palatinum Belzensem (erat is Adamus Stadnicki[1]) Capitaneus Premisliensis et Striensis) facile ex gravioribus absolvebam. Petiit deinde D^s Niiowski, ut cum eo domum intraret. Respondet: Semel discessi, non amplius redibo. Sed Executores non mihi satisfaciunt, expediant iterum Tricesimam, adhuc enim habent 80 florenos. His dictis disparuit. D^s autem Niiowski statim vocat ad se R. D. Thomam Dąbrowski confidentem mortui et unum ex executoribus, quaeritque, an illi aliquando R. D. Mieszkowski mortuus apparuerit et quantum adhuc ex legatis pecuniae restet. Respondet D^s Dąbrowski non quidem apparuisse mortuum, sonitum tamen deambulantis domi audiri, qui antea non audiebatur. Legati praeterea adhuc restare florenos 80. His auditis retulit D^s Niiowski ea, quae supra sunt relata, et statim pro mortuo iterum Tricesima peracta. Iterum 10^a huius mensis eidem R. D. Niiowski, domo ad templum ex pergula versus gradus pergenti, idem mortuus apparuit et dixit: Eram contrarius Fraternitati Corporis Christi. Promovete illam. His dictis iterum disparuit. Egit deinde hac de re D. Niiowski cum R. D. Korkiewicz Canonico Premisliensi, qui hoc confirmavit, quod R. D. Officialis, dum in vita esset, contrarium sese exhibuerit praedictae Fraternitati.

Et Collocutio eiusdem cum uno ex Praelatis Premisliensibus.

Quas ob causas poenas purgatorii sustineret.

Quae petebat.

Iterum apparet eidem Praelato.

A 9^a Februarii ad 11^am inclusive Oratio triduana peragebatur in templo S. Barbarae consueta frequentia, devotione et fructu. Et quidem die Dominica Episcopus Cracoviensis interfuit summo Sacro, quod a R^mo Suffraganeo habebatur, et ipse nobis prandium praebuit, simulque nobiscum pransi R^mus D^s Suffraganeus et RR. DD. Garwacki ac Szypowski Canonici Cracovienses. Feria 2^a excepti prandio R. D. Archipresbyter et R. Prior Mogilnensis cum socio. Feria 3^a cecinit Summum Sacrum R. D. Tyszkiewicz Canonicus Cracoviensis, qui postea cum R. D. Archipresbytero, R. P. Nicolao Moscinensi Doctore Theologo Ordinis Praedicatorum et socio Concionatore Ordinario eiusdem Ordinis nobiscum prandium

3. Oratio triduana cum solita frequentia ac devotione. Conclusio eiusdem.

[1]) Nomen hoc atramento alio deletum, tamen legi postest. Adamus Stadnicki autem diem obiit supremum a. 1615.

sumpserunt. Conclusit devotionem R^mus^ D^s^ Suffraganeus, antecedente Conclusionem concione a P. Matthaeo Bembo habita et praesente Episcopo Cracoviensi.

Ne uniti permittantur ad latinum ritum transire.

Joannes Baptista Lancellotus Nuncius Apostolicus 24^a^ istius mensis significavit R. P. Provinciali nostro, eam esse voluntatem Sanctissimi et Congregationis de propaganda fide, ne nostri permittant transitum ad ritum latinum unitis. Statim ea de re scriptum est Superioribus Provinciae huius, sicut et Provinciae Lituanicae. Sed non paucae ex hac re postea erant ortae difficultates.

Eleaemosyna Februarii.

Percepimus eleaemosynae pecuniariae per hunc mensem fl. fere 900^s^ (nam Legatum Virginis Elizabethae iam superiori mense positum est et venditi bovis ac vitulorum iam antea scriptorum summae hic ratio ponitur, quod utrumque in rationibus per errorem est positum). A DD^is^ Gawronscis legati ma^t^erni fl. 296. A D^a^ Philippowa legati fl. 100. Aliud 100 itidem legati a Virgine Swietlichowna per D^m^ Razik. Ex vectigali Wielicensi retentorum a M. D^o^ Ensifero[1]) fl. 72. A D^o^ Palatino Cracoviensi pro duobus quartalibus fl. 56. A D^o^ Jacobo Chrzanowski fl. 50. A D^o^ Suffraganeo Cracoviensi fl. 40. A Capitaneo Zatoriensi[2]) fl. 40. A D^o^ Wizenberg fl. 40. A variis per P. Ministrum fl. 20. A D^o^ Gabriele Szembek fl. 10. Ab aliis reliqui. Res submissae a variis 379 fl. constiterunt; nempe frumentum varium fl. 190, pisces fl. 50, haleces fl. 60, foenum fl. 30, vinum crematum fl. 20, casei, butyrum fl. 14, mel fl. 16, carnes fl. 9. Vini etiam missa tunna a Regni Pocillatore[3]), a nonnullis scribitur fl. 60 aestimata, sed eam in rationibus domesticis huius mensis non invenio.

4. Finis Comitiorum Varsaviensium.

Impositus finis Comitiis Generalibus Varsaviensibus 4^a^ Martii, in quibus inter varia contra petulantiam ac magis in dies crescentem licentiam militum constituta. D^s^ Aleksander Koniecpolski ab infamia, quam ob raptum Virginis Deo dicatae, violato monasterio S. Agnetis Cracoviae, de quo ante septem fere annos scripsimus, incurrerat, consensu omnium ordinum liberatus est in gratiam eius cognatorum et maxime D. Stanislai Koniecpolski Supremi equestrium copiarum Prefecti, praeclare de Patria meriti.

Privilegium Cantoris templi nostri.

Ob varias tricas, quae intercedebant inter Magistrum scholae Parochialis B^mae^ Virginis et inter Cantorem templi S. Barbarae, cui nulli pueri parvi ad docendum permittebantur, impetratum privilegium ab Episcopo pro nostro Cantore, ut possit 20 pueros docere tam rudimenta quam alia ad Musicam spectantia, 10^a^ istius mensis.

---

[1]) Joannes Zebrzydowski.
[2]) Paulus Leśniowolski.
[3]) Stanislaus Lubomirski.

Ne imagines Sanctorum non Canonizatorum nec Beatificatorum exponantur venerationi in templis, latum decretum ab Urbano VIII Pontifice Maximo Romae 13ª huius mensis et simul iniunctum, ut eae quae erant expositae statim ex templis amoveantur, nec tabulae votivae ullae iis apponantur. Dicebatur occasio huius decreti ex Urbe Veneta accepta, in qua mortuis Theologis illis, qui Venetos contra Pontificem defendebant, vota varia erant appensa et imagines eorum in templo venerationi expositae. Inhibitio, ne imagines non Canonizatorum et non Beatificatorum venerationi exponantur.

Quidam e regione domus nostrae in platea, 15ª huius mensis, peste erat extinctus, non parum et nos et alios terruerat, sed lues per divinam gratiam ultra non processit. Unus peste mortuus, nostros exterret.

5. R. P. Joannis Prawicz.

Mortuus est 22ª istius mensis R. D. Joannes Prawicz et 24ª in nostro templo sepultus, obtinuerat enim in templo nostro sepulturam dum viveret, quamquam alii 19ª huius mensis scribunt mortuum. Erat is honestis Parentibus Cracoviae natus. Humanioribus litteris primum Cracoviae, postea Jaroslaviae usque ad Rhetoricam inclusive studuit, impensis R. Dⁱ Nicolai Taranowski, cui postea ad mortem usque fidelissimam operam in omnibus obsequiis impendit. Sacris initiatus primo in templo Parochiali Bmae Virginis Mansionarius, deinde cura sui Patroni in templo Arcensi Altarista et Notarius Congregationis Misericordiae fuit, quibus officiis cum omnium satisfactione fungebatur. Senio interim et morbis frequentibus afflicto R. Dº Taranowski ut commodius obsequeretur, Altaristae munus reliquit et totum se tum eius tum Fraternitatis Misericordiae obsequiis impendit. Mortuo post Dº Taranowski, dum de statu religioso ineundo cogitat et varias corporis afflictationes suscipit experimenti causa, an oneribus religionis par esse posset, valetudinem destruit ac se inhabilem religioni reddit. Itaque ad alia pia opera animum convertit, nempe ad Sacrum Missae Officium quolibet die peragendum, orationibus variis diurnis et antecedentibus et subsequentibus, ad inopum cognoscendas et sublevandas necessitates aliaque pietatis opera magno virtutum profectu et magna apud prudentes pietatis opinione. In extremo morbo, qui quatuor vel quinque diebus eum lecto affixit, rebus suis per testamentum bene dispositis et consuetis Ecclesiae Sacramentis munitus, 56º aetatis anno, pie in Dno obiit, die huius mensis supradicto sepultusque est ad limen ostii versus forum in nostro templo. Legavit domui S. Barbarae 300ª florenos, qui postea in Maio sunt redditi.

Studia,

Occupationes

Et obsequia.

Cogitat de religione.

Opera pietatis.

Mors.

Actio polonica in templo S. Petri.

In die Parasceves, qui in 28am huius mensis inciderat, in templo S. Petri devotus Polonicus Dialogus de Passione Domini est exhibitus.

Bylinae Apostasia cur talis a Nuncio non sit declarata.

In Julio superioris anni reliquerat Societatem per apostasiam Joannes[1]) Bylina, uti ibidem annotavimus. Cum ergo ad eam redire nollet et omnem ea de re monitionem contemneret, scripserat P. Fridericus Szembek ad Nuncium Apostolicum Lancellotum sub hoc tempus, ut eius mandato tanquam Apostata et excommunicatus declararetur. Respondit Nuncius, se id propterea non fecisse, quod unus ex nostris contrarium sentiret et id nullo modo expedire iudicaret. Erat is P. Nicolaus Lancicius, quem tali inordinata[2]) compassione vel respectu aliquo alio non parvum errasse, ipsa res postea ostendit. Miser enim Bylina, quia ipso initio eius apostasiae acriora media ad eum ad saniorem mentem reducendum defuerunt, aliquot annis in apostasia permansit et tunc primum ad cor rediit, dum iam et uxorem duxisset et prolem ex ea suscepisset. Ideoque Leopolim iussu Superiorum sese contulerat, habituque nostro recepto, postquam ad indifferentiam sese composuisset et octo dierum collectione facta in Refectorio poenitentiam assignatam fecisset, per P. Mathiam Bielecki Rectorem Leopoliensem, cui id commissum erat, dimissus est ex Societate.

6. Magnum incommodum, quod acriora remedia ad eum reducendum non fuerint statim adhibita.

Eleaemosyna Martii.

Pecuniariae eleaemosynae per mensem Martium accepimus flor. 338. Ab Episcopo Cracoviensi strenae et quartualis fl. 150. A Dō Belza fl. 70. A Virginibus mendicantibus et ab aliis variis fl. 40. A Dō Suffraganeo fl. 10. A Dā Dobroszewska fl. 16. Reliqui ab aliis. In rebus diversis: ligna, pisces, carnes, panes, caseus, butyrum, vinum, aromata, pannus, tela fl. 206 aestimata sunt.

Primitiae R. D. Floriani Tyminski.

Ordinatus erat extra tempora R. D. Florianus Tyminski, Roma diplomate acquisito per P. Lancicium (iussus enim erat, antequam Societatem ingrederetur, omnes ordines maiores suscipere) totoque illo tempore in Collegio S. Petri tanquam hospes manebat, quo sacris initiabatur et postea 3ā Aprilis, quae in feriam quintam post Dominicam Paschae inciderat, in templo S. Petri, magna cum solennitate Primum Sacrum Deo obtulit. Instructum erat eius sumptibus convivium magno apparatu et plurimi ex Ecclesiasticis, ut Rmus D. Suffraganeus, RRDD. Karnkowski, Garlinski, Sarnowski, Dąmbski, Kretkowski, Trcinski, et ex saecularibus, ut Pocillator Regni et Capitaneus Sendomiriensis Dā Stanislaus Lubomirski, D Marchocki, D. Kotkowski et alii non pauci erant invitati tractatique in communi hypocausto, nostris Scholasticis ministrantibus. Ipso qui Primitias cecinerat ultimo loco in mensa sedente praeter morem, quod displicuerat hospitibus, imo et ipse Dā Pocillator invitabat eum, ut sibi assideret. Sed ideo forsan, quia prandium eius sumptibus fiebat, locum primum recusabat. Non in bonam etiam partem a nonnullis nostris acceptum fuit, quod ex aliis domibus nostrorum nemo prorsus fuisset invitatus.

Multos ipse, in Collegio S. Petri manens, invitaverat ad prandium, quod eius sumptu erat comparatum.

---

[1]) Petrus erat primo scriptum, sed alia manu et alio atramento Joannes suprasciptum est.

[2]) In archetypo deletum alio atramento.

De variis tunc D. Pocillator cum P. Lancicio familiariter egit et tandem in fine prandii satis inconsulte, ut postea eventus docuit, attulit P. Lancicius instrumentum authenticum concessionis ab Academia olim nobis factae ad scholas publicas Cracoviae habendas, volens hoc modo instruere convivas de scholarum negocio. Lectum id est et ab ipso D^o^ Pocillatore et ab aliis non paucis, sed eius occasione data ansa discursuum variorum et contra nostras scholas et pro iis. Disputabat contra scholas acriter R. D. Karnkowski, defendebat easdem acriter R. D. Garlinski, aliis diversos in hac re ostendentibus. Acta post prandium gratiarum actione, proripuit se D^s^ Pocillator eumque secuti sunt caeteri hospites. Deduxit eum P. Lancicius usque in plateam; sed abeunte P. Lancicio statim suos, qui penes eum erant, ita allocutus D^s^ Pocillator: Vellent Jesuitae, ut ego quoque in scholas eorum dem assensum, sed hoc nunqnam faciam, quia per hoc ius alienum nempe Academicorum violaretur. Habent in Regno fere 50 collegia et non sunt contenti, ut pauperes Academici hoc unum habeant. Erant apud me plusquam 50 Sacerdotes petentes, ut me opponam scholis Jesuiticis, quia ob eas deseruntur templa et scholae parochiales ob defectum Cantorum, Jesuitis Musicam non docentibus. Et quid discent ex Musica? coepitque representare vocem unius discantistae nostri discipuli. Applauserant his dictis et Marchocki Capitaneus Czchoviensis, licet eius filius in nostris scholis esset, et quidam Zaduski, addebantque mortuum D^m^ Gembicki conquestum fuisse, quod Sacerdotes non possent habere personas necessarias, Jesuiticis scholis ad ordines religiosos subiecta dirigentibus. Addebat deinde D. Pocillator, per scholas Jesuiticas tumultus Cracoviae futuros, cumque D. Archipresbyter Trcinski dixisset, Patres cum Academicis concordiam inituros, respondit: Etiamsi ineant, ego ad has illorum scholas filium meum non mittam, quia per eas iura violantur Academiae. His dictis currum, se ibidem expectantem, consedit. Manifestum est inde talia negocia coram personis dubii affectus nullo modo publice, sed privatim tractanda fuisse, cum praesentibus Magnatibus multi ob certas causas id quod sentiunt dicere non audeant, alii autem iis sese accomodantes nimis multa audeant loqui, quod idem pene iisdem verbis affirmabat R^mus^ D^s^ Suffraganeus, cum biduo post P. Szembecum visitasset, licet nihil de iis ante scivisset, quae D^s^ Pocillator in platea dixerat. Eadem omnia oretenus et P. Praeposito et P. Szembek retulerat R. D. Archipresbyter Trcinski,

Minus prudenter in fine prandii allata Concessio authentica ab Academia nostrarum scholarum.

Post discessum D^s^ Pocillator multa contra scholas nostras loquitur.

Applaudentibus aliis.

7.

Ostensionem concessionis tali tempore, nostros non probantes,

qui omnibus interfuit. Significaverat ea de re P. Szembek P. Lancicio, sed is litteris non credidit, imo eas in malam partem explicabat, nam illo tempore conceperat hanc opinionem, quod P. Praepositus et P. Szembek in negociis scholarum Collegii S. Petri essent illi contrarii. Ex eo etiam quod educente P. Lancicio D^m Pocillatorem in plateam, ubi tunc nihil eorum, quae attulimus dixerat, putabat P. Lancicius, quod cum abivisset ex platea nihil, illo iam absente, Pocillator dixerit, quod omnino falsum erat. Ita etiam pii homines in fervore non raro excedunt et sibi contrarios damnant.

Moleste fert P. Lancicius, sed immerito.

Eadem 3ª Aprilis mane cuiusdam (sic) Academici Bandorkowicz obvium sibi unum nostrum studiosum lapide graviter in capite vulneravit in platea, illud obiiciens, quod ante Classes Academicas frequentasset et iam scholas Jesuiticas frequentaret. Protestati sunt contra hunc eadem die P. Simon Jurkiewicz, Praefectus et M. Daniel Siekierzecki ad acta Castrensia et vulnerum obductionem fecerunt.

Vulnerat unus Academicus nostrum studiosum. Contra quem facta protestatio.

Quidam M. Gorski Senior Conturbenii Juristarum, 4ª huius mensis Clementem Sacerdotem suum conturbenalem ad P. Nicolaum Lancicium misit, ut tecti partem, nuper extructi, eo quod murum conturbenii iniuriis pluviae exponeret, amoveri curaret et se maiorum suorum iussu (fuerant enim id revidentes Rector Krupka cum Jacobo Naimano et aliis) talem servitutem tolerare non posse et in mandatis se habere, ut illam disiiciat, nisi intra unam horam non amoveatur. Respondit P. Lancicius, se existimasse non servitutem, sed utilitatem muro Academico, tot annis pluviis exposito, paratam, maiorem praeterea se pati servitutem ob defluentem ex tecto Academico in suam aream aquam, amore tamen conservandae pacis se facturum, quod petebatur et statim iussit deiici illam partem tecti.

8. Pars tecti ad murum Bursae Juristarum, Ad instantiam Academicorum deiicitur.

Diximus superiori anno 29ª Octobris contra duos nostros acquisitam Romae Commissionem per D. Joannem Zerzynski Officialem contra nostros duos. Ideo constituto Commissario R. D. Joanne Foxio Archidiacono Cracoviensi, 4ª huius mensis missa citatio et ad P. Joannem Wielewicki, qui tunc Calissii aeger morabatur et ad P. Christophorum Angelum, qui in Russia erat, ratione cuius lis haec postea continuabatur, ut suo loco dicetur, nempe 25ª Augusti.

Citatio D^i Foxii contra P. Wielewicki et P. Angelum.

In festo Annunciationis B^mae Virginis, quod hoc anno 8ª Aprilis peragebatur, solenniter in novo S. Petri templo primum Sacrum cecinit R. D. Gallus Ratiborenus, auditor Theologiae apud nos isque primus ex discipulis nostris Cra-

Gallus Ratiborenus primitias canit.

riae factus erat Sacerdos. In eius Sacro omnes nostri Studiosi externi, qui in erant plus quam centum, communicarunt.

Eadem die P. Fridericus Szembek per suum germanum Fratrem D. Gabrielem salutaverat D. Jacobum Naimanum et significaverat, se optare, ut in Rectorem Academiae deligeretur et sub eo viro docto unio inter Academiam et nostras scholas perficeretur. Respondit per eundem D. Gabrielem dubitare se, an ex animo id P. Szembek optet et si optat, non in rem Academiae optare. Academiam nunquam ad unionem venturam et se suosque coniurasse, ut non tractent de hoc negocio. Interim hac ipsa die eunti P. Friderico Szembek ad arcem, obvius fit D. Naiman praedictus statimque post salutationem et iocosa aliqua dicta, coepit confirmare D^a Naiman, quod ante significaverat, se videlicet coniurasse cum aliis et aliquam coniurationem propriis manibus subscripsisse de nulla unione nostrarum scholarum admittenda et se omnibus modis impediturum res nostras. Respondente P. Szembek: se hac ipsa die in Sacro petiisse a Deo, ut hanc coniurationem in melius commutare dignaretur, cum non esset talis qualem fecerat Fridericus Exelector cum suis haereticis contra Ferdinandum; in hac enim Academicorum coniuratione nulli sunt haeretici et multi sunt pii viri; subiecit Naiman, Deum benedicturum suae coniurationi et defensurum eam contra nos, qui aliena iura violare volumus. Tunc P. Szembek: Imo vero vos nostra iura, quae habemus, violatis ideoque nos potius a vobis iniuriam patimur. Hic Naiman ferventius coepit: Modo ait patent fabricae P^is Szembek, quas cum Janidlo habuit de unione. Inveni modum unionis manu Janidlo scriptum ei a P. Szembek oblatum. Obiecit praeterea P. Szembek fidem non servare Academicis toties datam de nostris tantum docendis et non de aliis. Ad haec P. Szembek respondit et Janidlovium nihil mali machinatum contra Academiam et ego illi nihil obtuli in perniciem Academiae, imo hunc modum unionis non a me Janidlovio datum, sed ab Episcopo. Statim Naiman prorupit: Janidlo manu sua huic unioni talem dedit titulum: Infelix Unio ideoque est mortuus in poenam, quod coepisset agere de unione noxia Academiae. Reus est factus imprecationis Jagellonicae contra eos, qui vellent obesse Fundationi Academiae et P. Szembek est causa mortis illius, qui dedit ansam negocii talis tractandi, ob quod conscientia remordente est consumptus. Tunc P. Szembek: Quomodo Janidlovius mihi fuit infensus, vel quomodo causa mortis eius fui,

9. Colloquium Jacobi Naimani cum P. Szembek

De Coniuratione Academicorum contra unionem,

Quam a Deo benedicendam ait Naiman.

De practicis P^is Szembek cum Janidlovio ratione unionis.

Putat Naiman Janidlovium ideo punitum et mortuum quod vellet unionem

Ob maledictionem Jagellonicam.

Reiicit id P. Szembek.

cum me vocaret iam moriturus, ut eius Confessionem exciperem? licet hac in re a suis Academicis fuerit impeditus. Ad haec Naiman: Vocavit te, ut poenam a Deo per maledictionem Jagellonicam immissam videres et timeres, cernens tam cito auferi de vivis Academiae noxios. Imo vero Janidlovius, respondit P. Szembek, tantum abest, ut remorsum conscientiae ob inchoatum negocium unionis habuerit, ut ipse sancte saepius mihi retulerit, Romae in templo S. Petri votum iuratum se fecisse, quod in hoc negocio nostro gloriam Dei maiorem impedire nollet. Obstupuit ad haec Naiman cum aliis, qui aderant. Cumque de commodis et modis unionis inciperet P. Szembek agere, dixit Naiman, se omnino audire nolle. Per iocum tunc P. Szembek signo crucis utramque eius auriculam signavit

Finitum post colloquium amice

dicens: Malignum spiritum in auriculis habetis, qui vos ea, quae gloriam Dei et animarum salutem concernunt, audire non permittit. Accepit iocum Naiman et tandem in fine, cum dixisset P. Szembek, futuram decisionem Pontificis, cui utraque pars morem gerere debebit, respondit: Decidere Pontifex poterit, sed non facere pacem inter nos sicut inter duos catos in uno sacco. Tunc P. Szembek: Et Pontifex adiudicabit et Spiritus S. pacem faciet, quem quia nondum recepistis, haec utilia nec videtis nec audire vultis. Oraturum se, ut vos suo lumine repleat. Respondit Naiman, se quoque oraturum, ut vobis lumen Deus det, ob quod abstineatis ab hoc negotio. Atque ita discessum est. Inter colloquium conquestus erat de Patris Lancicii scripto quodam ad Comitiola Prosovicensia contra Academicos acerbo, de quo ut P. Szembek ageret cum illo petiit, quod illi est pollicitus. Addidit insuper, prima occasione se etiam praedictum scriptum D. Lancicio exprobraturum.

Et piis iocis utriusque.

Querimonia de uno ex nostris.

10.

Offensus nobis Comes a Tarnow ob certas causas apprehensas

Sub idem tempus cognitum a nostris, Comitem a Tarnow Gabrielem Capitaneum Cracoviensem contra Societatem iterum (nam antea similis eius indignatio iam erat sopita) exacerbatum, occasione concionis P. Valentini Fabricii, qua coram Rege de excessu clementiae concionatus, ostendebat per eum et sibi et coniugi et liberis varios obesse obfuturosque esse. Quia enim tunc bannitionem, ad instantiam Capitanei Graboviensis Zarembae contra se factam, Comes tollendam curabat nec id effecerat, quia alia similia locum in Comitiis ob defectum temporis non habebant: ideo praedictam concionem contra se factam querebatur. Addebat praeterea, Regem opera P^is^ Lancicii et P^is^ Szembek (quos suas correspondentias in aula habere

dicebat) pessime informatum de se, qui natura esset iracundior, humiliando (sic). Deinde eosdem Capitaneum Graboviensem in Comitiis subornasse contra se, ut ob eundem finem per bannitionem affligeret, ac ad expendendam magnam pecuniam adducens deprimeret. Sicque, aiebat, eos Machiavelli arte docere Regem modum, quo antiquas familias deprimat. Minabatur deinde, non se futurum nostrarum Scholarum Cracoviensium defensorem, sed eversorem et contra nostros (maxime vero contra P. Szembekum, quem esse dignum, ut e fenestra exiciatur, aiebat) plurima indignationis plenissima adferebat. His ergo cognitis nostri deliberabant, an statim ad eum Zborovum esset mittendus P. Szembek, qui eius, licet ita commoti, mores humoresque tolerare noverat, et quae ad praeconceptas opiniones praedictas efficaciter responderet, an vero adventus eius Cracoviam, qui brevi sperabatur, esset expectandus. Et hoc posterius factum. Nec parum laborandum fuit Pri Szembeco in homine isto, a tam pravis de nobis conceptis opinionibus abducendo.

Minae eius variae.

Rectoris ac Professorum Universitatis nomine datae litterae ad Episcopum Cracoviensem 9ª huius mensis, quarum authenticum exemplar miserat nostris Episcopus, quod etiam hucusque extat. In his de extremo periculo Academiae per nostras scholas imminente, de scholis nostris privato arbitrio inductis, de Episcopo id dissimulante vel facile his consentiente, de infamia Episcopi, si sub illo Academia ceciderit, futura, de impossibilitate huius, ut Academia cum his novis scholis consistere valeat, de nostris obeuntibus et nobiles et cives ob abducendam iuventutem ab Academia et adiungentibus varias Academicorum vituperationes, de solitudine brevi in Academiam inducenda. Protestantur deinde Academici se, si pereundum est, non perire taciturnitate nostra, sed defensorum dissimulatione. Denique et iam contraria experiuntur petuntque adhuc supplices auxilium etc. Commotus non parum erat Episcopus his litteris, eo quod nostri humaniores litteras pro externis illo inconsulto inchoassent, cum tamen polliciti fuissent nostri, se tantum Theologiam ac Philosophiam pro suis lecturos. Et sane quamdiu nostri suos tantum docebant, tantas contra se tempestates non experiebantur. Verum quidem est P. Nicolaum Lancicium ideo scholis humanioribus dedisse initium, ut nos in possessione docendi tam superiora quam inferiora studia inhibitio, quam adversarii procurabant, inveniret. Longe tamen consultius fuisset, si ab ista acceleratione abstinuissemus. Unde et tunc temporis et

II. Litterae nomine Rectoris et totius Universitatis contra nos

Ad Episcopum Cracoviensem.

Datum initium humanioribus litteris pro externis a nostris,

Per P. Lancicium

Nimis acceleratum.

postea multis annis moleste ferebant nostri istam P. Lancicii acceleration em, quae et asserebatur facta insciis Superioribus ideoque Divinam Benedictionem non merebatur. Respondit praedictis litteris Episcopus 14ª huius, de quibus infra.

12. Citatur Romam ab Academicis P. Lancicius.

Quod initio huius annni Academici Nuncio Apostolico significarant de negocio scholarum nostrarum ad Rotae Tribunal invocato, id etiam re ipsa ostenderunt 11ª huius mensis, qua P. Nicolaum Lancicium, tanquam Rectorem Collegii Cracoviensis, Romam citarunt et tamen, ut etiam initio anni fecimus mentionem, perpetuo ac impudenter, a nobis illos Romam evocatos, passim affirmare audebant.

Adventus R. P. Provincialis.

Eadem die venit R. P. Georgius Tyszkiewicz Provincialis Cracoviam cum suis sociis et in domo S. Stephani diversatus est. Hoc etiam tempore P. Adamus Ustinius cum P. Joanne Zegocki ad Missionem profecti, in qua Rmus D. Suffraganeus varios decanatus Dioecesis Cracoviensis visitabat, in eaque non sine maximo fructu plusquam per duos menses sunt versati.

Responsio Episcopi ad litteras Academicorum,

Petierant Academici ab Episcopo Cracoviensi, ne evocationem nostrorum ad Tribunal Romanum impediret. Respondit illis 14ª huius mensis, dum Kielcis maneret, ubi simul et iis litteris, quas 9ª huius dederant, satisfacit. Facta ergo mentione sui erga Academiam animi et suorum meritorum, multa etiam in commendationem Societatis adduxit et probat variis modis, Scholas Societatis non obessse Academiae. Addidit deinde ad componendam pacem inter Academicos et nostros non malam esse viam, rem Romae prosequi et finire et pollicetur illis, quod si Patribus Societatis fuerint interdictae scholae Rotae sententia, eas Cracoviae non sit permissurus, si vero fuerint permissae, nullo modo mandatis Sanctissimi sit repugnaturus. Extant hae litterae in libello Antigratis p. 2, cap. 14, fol. 120. Acceptis his litteris nullo modo iis Academici acquieverunt, sed brevi post ad nobilitatis patrocinium, ut nobis invidiam conflarent, sese contulerunt, quod suo loco patebit.

Quibus illi non aequieverunt.

Facultas alienandi revocata a Pontifice.

Sub idem tempus significavit R. P. Provincialis Superioribus per Provinciam de voluntate Pontificis Maximi, Romae 8ª Februarii hoc anno declarata, qua revocat ad se facultatem alienandi aut oppignorandi bona Ecclesiastica, concessam olim quibusdam Religiosis et in eos, qui alienarent, decernitur maior excommunicatio, a qua nonnisi a Summo Pontifice absolvi possit. Addidit simul et formulam facultatis cuidam Collegio Societatis a Congregatione Concilii Triden-

tini, in qua tamdiu Rector suspensus decernitur a divinis, quamdiu census alienatus redemptus non fuerit.

13. Cur negocium inter nostros et D^m Officialem nonnisi iure terminandum fuit.

R. D. Joannes Zerzynski Officialis Cracoviensis acerbe ferens Nuncii Apostolici Lancelloti contra se, anno superiori 26^a Junii, decretum et varia de nova commissione contra nos acquisita 29^a Octobris cogitans, misit R. D. Malinowski ad P. Provincialem, tunc Cracoviae morantem, 19^a istius mensis, ut cum eodem ageret de modo aliquo litis sopiendae inter se et nostros. Sed quia D^s Zerzynski iam 4^a huius mensis per suum Commissarium R. D. Foxium citaverat duos ex nostris, P. Joannem Wielewicki et P. Christophorum Angelum, et quia nos decretum pro nobis latum per compositionem in dubium vocare non conveniebat, ideo nihil concludi potuit resque iure procedere debuit, ut magis in exitu huius causae, mense Augusto patebit.

Discessum Romanum P. Nicolai Lancicii moleste fert R. P. Generalis.

Abiit Romam P. Nicolaus Lancicius 27^a istius mensis, ob promovendam causam nostram inter Collegium Cracoviense et Academiam. Et moleste quidem tulerat Admodum R. Pater Noster, quod non exspectato a se responso statim Romam iverit assignaveratque eo nomine tum Rdo P. Provinciali tum Provinciae Consultoribus poenitentiam; certum tamen omnes putabant, causam nostram contra Academicos nunquam nos obtenturos, si non P. Lancicius praesens Romae manens, et omni possibili humana diligentia per 6 annos circa illam laborans, illi attendisset. Nam Rdi P. Procuratoris diligentia et ob senium et ob tot Provinciarum negotia nunquam suffecisset. Quia tamen, post causam obtentam, Rex et Republica apud Pontificem obtinuerat (ut in Anno 1633 videbimus) silentium impositum nostris publicis scholis, tam multorum et diuturnorum laborum non bonum successum videbatur haec displicentia Admodum Rdi P^is Nostri praetendere.

Prandium in domo peste infecta nostri sumentes Dei gratia conservantur.

Singularis Divina providentia circa aliquot nostros prandio, in domo peste infecta (de qua illi, qui invitaverant, nihil sciverunt) exceptos, hoc mense apparuit. Nostri enim, licet infectorum lectis assederint iisque, consolationes varias adferentes, nonnulla porrigerent, contagionem evaserunt.

Eleaemosyna Aprilis.

Percepta Aprilis mensis, computando nonnulla vendita, in pecuniis ascendit ad 1218 flor. Nempe pro Monstrantia argentea templo, nisi fallor, S. Petri vendita fl. 600. Pro bobus fl. 110. Ab Illmo Episcopo Chelmensi Mathia Lubinski fl. 200. Legatum Virginis Elizabeth fl. 100. Legatum a D^o Josepho alii 100.

A. R. D. Grochowski S. Michaelis Praeposito fl. 30. A Capitaneo Zatoriensi [1]) fl. 20. A. Dº Rab. fl. 13. A. Rmº D. Sufraganeo fl. 10. A Virgine Sophia fl. 10 Reliqui ab aliis. Iam triticum, carnes, panes, crematum, butyrum submissa fl. 49 sunt aestimata.

14. De cohibendis discolis monet Nuncius Academicos.

Intellexerat Nuntius Apostolicus Lancellotus de summa Academicorum studiosorum insolentia, per quam varias iniurias tum nostris, tum iis qui frequentabant nostras scholas inferebant, ideo 3ª Mai dederat ad Rectorem et Professores litteras, modestissimas quidem illas, efficassimas tamen, quibus eos hortabatur, ut suos studiosos ab eiusmodi petulantiis cohiberent. Extant hae litterae in libello Antigratis fol. 206. Sed et post has et post aliorum similes litteras nulla in discolis Academicis secuta emmendatio, maxime inter mendicos scholares, penes templa parochialia manentes, qui et a grassationibus nocturnis et ab invasionibus hortorum nostrae domus ac Novitiatus et ab iniuriis variis, illatis frequentantibus scholas S. Petri, non abstinebant, imo magis ac magis tam hoc mense quam sequentibus in iis procedebant impune, multis Baccalaureis instigantibus et Professoribus tacite approbantibus. Hinc P. Andreas Kanski cum Jacobo Szostak circa hoc tempus extra moenia certas ob causas dum exiissent et in duos Baccalaureos, nonnihil potos, casu incidissent, unus ex iis Jacobo Szostak nulla data causa in via publica colaphum impegit, a quo cum vicem recepisset et in angustias redactus esset, Sacerdos dum litem vult dirimere, ab eodem petulante Baccalaureo pugno in facie exceptus est et Jacobus pileo spoliatus. Brevi etiam post P. Valentinus Rusconius evocatus ad infirmos, ab impudentibus Academicis et contumeliosis vocibus et lapidibus appetitus fuit graviusque percussus fuisset, nisi quidam intervenientes tantam impudicitiam cohibuissent.

Sed sine fructu.

Variae iniuriae ab Academicis illatae et frequentantibus scholas nostras

Et nostris ipsis.

Dˢ Szczepanski nos invisit.

Magnificus Dˢ Szczepanski ex Prussia veniens. ad pia loca tum Cracoviae tum alibi invisenda cum uno Patre ex nostris itineris comite, qui erat P. Josue Bruno, inter varia benevolentiae ac beneficentiae signa, 8ª huius mensis omnes nostros apud S. Barbaram prandio excepit.

Ex fundatione D. Abrahami floreni 30.

Fundato quodam censu pro Fraternitate Misericordiae, Spectabilis D. Abrahamus Ronenberk (sic) Pro-Consul Cracoviensis apud eandem confraternitatem effecerat, ut ex eo domui S. Barbarae quolibet anno fl. 30 darentur. Itaque 17ª huius mensis datum initium huic rei et delati 30 fl. per Notarium Sodalitatis domum nostram idque sequentibus annis continuatur.

---

[1]) Magnif. D. Paulus Lesniowolski.

15. Privilegia Episcopi concessa Altaristae Corporis Christi.

Sub idem tempus Altarista Corporis Christi et S. Longini in templo parochiali B^mae Virginis, privilegium ab Episcopo Cracoviensi concessum accepit, ut pro quinque Sacris, quae ex fundatione praedicti altaris in parochia celebrare tenebatur, tria tantum deinceps celebraret et ut a thurificationibus ac processionibus parochialibus abesse posset, quoties in templo S. Barbarae Sacris faciendis, vesperis canendis, vel etiam ad Sacra et vesperas inserviendo occuparetur. Hoc ideo a nostris procuratum, quia et ius altaris praedicti conferendi habemus et Altarista, de quo agimus, Capellanum Congregationis Misericordiae ordinarie iuvare solet. Concessit praeterea Fraternitas Misericordiae eodem tempore, ut duo Sacerdotes, qui in templo S. Barbarae Diaconi Subdiaconique ad Sacra vices obire solent, in domo Confraternitatis locum habere possent, assignatumque illis statim unum hypocaustum cum vestibulo et nonnulla cubicula, quorum possessionem adierunt.

Sacerdotibus in templo S. Barbarae ministrantibus mansio in domo Fraternitatis conceditur.

Scholae Parochialis Magister cohibetur.

Non cessabat Magister Scholae Parochialis B^mae Virginis, tum a pueris, quos Cantor S. Barbarae erudiebat, tum a studiosis, qui scholas S. Petri frequentabant, vexandis, ideo 18^a istius mensis gravissime Episcopus ad eum scripsit, minas varias addens, nisi suos cohibuerit. Territus nonnihil his litteris, cohibebat imposterum suos et apud Episcopum purgare sese tentabat.

Procuratores causae contra D^m Zerzynski assignantur.

Pro negotio iuridico coram Rdo D^o Foxio Commisario, ratione D^i Zerzynski Officialis et Patrum duorum nostrorum, P. Joannis Wielewicki et P. Christophori Angeli, assignavit iuridice Procuratores R. P. Provincialis 21^a istius mensis, nempe P. Gregorium Cislak Provinciae Poloniae et Lituaniae Syndicum, P. Valentinum Rusconium Provinciae Poloniae Procuratorem et P. Nicolaum Szelski, coniunctim et divisim unumquemque in solidum.

Eleaemosyna Maii.

Eleaemosyna in pecunia mensis Maii erat flor. 841, nempe a R^mo D^o Suffraganeo fl. 200. A. R. D. Joanne Prawnicz legatum fl. 300. A Virgine Elizabeth fl. 100. A Fraternitate Misericordiae fl. 30. Pro bobus venditis fl. 92. A quodam lanione legatum fl. 25. A D^a Rokoszowa fl. 10. A quibusdam per P. Kamocki fl. 21. Iterum a R^mo D^o Suffraganeo fl. 10 et alii a reliquis. Vini tunna a Comite Gabriele a Tarnow et aliae duae tunnae aliunde, frumentum, carnes, pisces, casei, butyrum, a variis submissa, constiterunt fl. 239.

Inundatio Vistulae cum maximis damnis.

Ab initio Junii ad decimum fere eiusdem diem ingens inundatio Vistulae ita permansit, ut non solum hortum nostrum vicinorumque, verum etiam templa et monasteria PP. Bernardinorum et S. Agnetis cum suis areis hortisque appleverit et suis sedibus praedictos religiosos ac religiosas migrare coegerit, praeter paucas personas, quae supremas monasteriorum contignationes incolebant. Cracovia

etiam Casimiriam nonnisi naviculis veniendum erat. Quanta hinc damna sint secuta, aestimari magis potest, quam describi.

16. Ut scholas nostras tollant Academici

Cum tanta aquarum eluvie effusa etiam ac effrenata hoc mense praecipue Academicorum studiosorum et contra nostros et contra frequentantes scholas S. Petri prorupit audacia, instigantibus multis Baccalaureis ac Magistris, Rectore vero cum reliquis Professoribus dissimulantibus et tacite approbantibus. Constituerant omnino scholas, quibus ante duos annos initium erat datum, perpetuis iniuriis ac vexationibus de medio tollere et modis omnibus exosas reddere, quod etiam magna ex parte sunt assecuti, dimminutis magna ex parte nostris scholis. Itaque eos, qui ad Collegii nostri scholas ibant, passim in plateis obviam procedere, iis libros ac pileos eripere, saxis eosdem impetere, sibillis, vociferationibus ac contumeliosissimis verbis excipere non dubitarunt. Semel cum plurimi Academici septem fere nostros discipulos in campis aggressi essent et eos, quoddam tugu-riolum ingressos, capere non possent, iureiurando sunt polliciti indemnes a se servandos, si ultro exirent. Dum credunt iis et exeunt, statim ab iis eo solum nomine, quod nostri essent Studiosi, per suburbia et contubernia captantur, fustibus caeduntur, in tetrum contubernii carcerem compinguntur, diutius macerandi, nisi Arcensis Magistratus se interposuisset et iniquos invasores in ius vocasset. Alia etiam vice dum aggredientibus Academicis, ut aliquot Collegii S. Petri discipuli in campo pila ludentes sese subducerent, nostri duo, qui ad campos exierant, effecissent, ira in nostros conversa et applicatione scloporum ad latera et pugnis ac ludibriis scommatibusque variis toto tempore, quo in campis erant, illos sunt prosecuti. Convenerunt brevi post plurimi ad plateam arcensem, vario armorum genere instructi, nostrosque ex scholis redeuntes discipulos, nulla habita ratione Sacerdotum Religiosorum, quorum duo P. Jacobus Golemowski Theologiae et P. Stanislaus Phenicius Philosophiae Professores, ob eorum aliquam defensionem cum iis ibant, sunt aggressi, tumultu cum violatione pacis publicae facto. Portas domorum ac officinarum, ad quas tum praedicti Patres tum studiosi varii, periculi evitandi causa, confugerant, exciderunt. Studiosum unum nobilem in brachio vulnerarunt, plurimos fustibus lapidibusque concusserunt. Spectabat tragoediam istam R. P. Georgius Tyszkiewicz cum nonnullis nostris mirabaturque vehementer, Rectorem Academiae Jacobum Naimanum, de his turbis futuris ante praemonitum et instan-

Variis iniuriis publicis afficiunt nostros studiosos

Et nostros ipsos.

Tumultum excitant.

17. Quem Rector Naiman noluit cohibere.

tissime rogatum, ut iis pro ratione sui officii occurreret, nihil curare. Nam tantum ad sedandum tumultum homines duos vetulos nullius authoritatis, Bidellos seu sapientes dictos, idque tarde miserat, qui etiam nihil effecerunt. Nostri igitur in hoc negotio Serenissimum de tantis iniuriis informarunt, Episcopum Cracoviensem adierunt et protestationem contra Rectorem Academiae, suos sine ulla efficacitate cohibentem, fecerunt. Significavit statim Serenissimus Gabrieli Comiti a Tarnow Gapitaneo Cracoviensi, sub sua tutela Studiosos Societatis esse Collegium S. Petri frequentantes, ideoque eum diligenter monuit, ut curaret, ne aliqua iis iniuria inferatur et ut obviam omnibus tumultibus eat. Episcopus similiter, datis ad Naimanum litteris, gravissime eum ob ea, quae facta intellexerat, reprehendit et ut in cohibendis studiosis suo officio satisfaciat, hortatus est, utque decretum Sedis Apostolicae in pace expectet. Omnia haec surdis auribus accepisse Naimanum vel illud ostendit, quod loco poenae in discolos constituendae et seriae alicuius animadversionis, maximum suorum studiosorum excessum extenuaverit et in Reprotestatione contra Superiorum nostrorum Protestationem, illam in publica platea violentam aggressionem nomine puerilium concertationum vocaverit; aiebat enim pueriles concertationes a nostris tumultus vocatos ob odium Academiae conciliandum. Haec advertens petulantissima Academica iuventus et considerans pedites Arcenses iussu Magistratus sub tempus dimissionis Scholarum ad plateam Arcensem, ob studiosos nostros defendendos accurrere solere, tam contra pedites, quam contra nostros studiosos novo modo sese armare constituit. Itaque convocationem sociis in campo indicit 11ª huius mensis, cui interfuit unus famulus Rectoris Naimani, qui ad omnes violentias contra nostros et scholas nostras efferatam iuventutem, satis per se incitatam, incitabat et omnes moras rumpere suadebat, immemor iuramenti Academici, quo tales conventus et conspirationes nunquam se facturum iureiurando pollicetur. Constituunt igitur stolidi ac scelerati iuvenes et conscribunt stolidos ac sceleratos articulos, maximam impudentiam et impietatem continentes et quos posteritas non poterit non mirari. Iis autem talem inscriptionem dederunt: Puncta convocationis, factae a Generosa Magnificaque Almae Academiae Cracoviensis iuventute, per omnes provincias recepta atque comprobata ad laudem Dei honoremque Matris nostrae Almae Academiae Cracoviensis Anno 1625, 11ª Junii etc. In hac inscriptione plane quot verba, tot men-

Sed tantum duos bidellos ad eum sedandum miserat.

Et Rex et Episcopus monent Naimanum,

Sed ipse nihil curat

Et tumultum publicum vocat puerilem concertationem.

Juventus Academica convocationem seditiosam instituit,

Impudentiae ac impietatis plenissimam mendacissimamque. 18.

Eius haec sunt puncta:

dacia. Nam haec conspiratio ex solis fere plebeis Ribaldis conflata fuit, honesti enim non se illi immiscebant. Et quomodo ea hora, qua scripta erant in campis puncta, statim per omnes Provincias sunt recepta? Quomodo praeterea seditio in laudem Dei et honorem Academiae debet referri? etc. etc. Jam puncta talia sequntur. 1um Statuimus omnes et singuli, uti honor Dei inter nos fratresque nostros, pariter Almae Academiae Cracoviensis Praeceptorumque nostrorum vigeat in diesque augeatur, iuramusque nos prius sanguinem effusuros, quam aliquid Respublica nostra Academica detrimenti capiat, aut libertatibus nostris derogetur. 2^m^ Statuimus, uti amor inter nos concordiaque tanquam inter fratres, pietas in Matrem nostram Almam Academiam, Magnificum D^m^ Rectorem et Magistros nostros vigeat et floreat in diesque magis ac magis magnificentia eorum augeatur, alias ipsimet ex officio nostro in nocentes animadversari. 3um Sapientem experiri magis decet rem consilio quam armis; nos libertatibus nostris privilegiisque celebres, tanquam contra rebelles adversariosque nostros statuimus per fas nefasque et tumultus varios scholas eorum dissipare exturbareque, eorum scholares tam consiliis quam armis impetere (quandoquidem surdis fabula canitur), minores flagellis more scholarum, maiores biconis [1]), sudibus praeustis onerando. Iisdem poenis subiacere volumus eorum Magistellos seu Hipodidascalos. 4^m^ Neutralistas, quorum magnus numerus est, privatis bonis inhiantes votisque nostris non obedientes, convocationum tempore et consiliorum nostrorum spatio fictas inventiones suas spargentes, tanquam rebelles et ingratos cives Patriae de consortio nostro proscribimus eosque inter nos commorari nolumus lacessitosque a vilissimae conditionis hominibus non ulciscemur et de opprobriis illorum triumphabimus, quibus tamen ad consiliorum nostrorum consessum purgatos adesse volumus et obsecramus. 5^m^ Si quis ex nostris studiosis in vindicanda libertate occubuerit aut laesus fuerit, eum nos tanquam fratrem nostrum splendide nostris sumptibus tumulari faciemus laesorumque vulnera curabimus, neque impune tam grande facinus abire omnibus nervis artubusque contendemus. 6^m^ Decernimus quoque et quemlibet nostrum certiorem facimus, tanquam liberi libertatibusque nobiles, ne quid sibi sinistri a Patribus Societatis evenire vereantur. Quod si acciderit, aut aliquis nostrum

[1]) Vocabulum hoc omnino barbarum significare puto fustes, qui ex vena taurina perficiuntur et in lingua nostra vernacula similiter appelantur.

minimus incarceratus fuerit, tanquam criminali facta violentia par pari reddemus atque duos e Patribus Societatis, cuiuscunque conditionis aut ordinis, incarceratos eo usque habebimus, quousque nostri liberi beneque contenti in suas sedes non revertentur. 7^m^ De compescenda quoque audacia perfidiaque Lutheranorum, quorum mille sunt nunc, Canai, in platea S. Joannis habitans, Princeps et Praedicator eorum, uti capiatur, statuimus, illeque perfidus Judaeus Isaac cum laxa flavaque barba uti virgis solenniter excipiatur. Hac in parte strenuis fratribus nostris, in aede D. Stephani habitantibus, provinciam demandamus. Ad cuius rei fidem Contubernalistae omnes Bursarum Jerusalem, Philosophorum, Pauperum, Juristarum, D. Stephani, B^mae^ Virginis, S. Spiritus, S. Floriani, S. Annae, SS. Omnium, omnesque extranei fidem suam ad occassionem proximam comprobabunt, Consilium nobis resque locosque dabunt. Confirma hoc Deus, quod iuventus nostra decrevit. IHS. MARIA. Hucusque blasphemi articuli, ad quos impie a Deo confirmationem petunt et Sanctissimis nominibus Jesus ac Maria tanquam sigillo consignant.

19. Per summam blasphemiam

Petunt tam atrocia a Deo confirmari.

Cognitis his omnibus, nostri ad Rectorem Naimanum statim miserunt, puncta suprascripta ostenderunt, 13^a^ huius, conventicula in variis locis Academicorum, in arcensi platea, ante templum SS. Trinitatis et PP. Discalceatorum, in coemeterio SS. Omnium et in Contubernio ac ante Contubernium Juristarum demonstrarunt. Obnixe et demisse petierunt, ut si non propter nostros, saltem propter communem pacem cohibeat tumultum, protestati etiam sunt, si id non fecerit, eorum omnium, quae contingent in tumultu, eum reum futurum. Ad haec omnia Naiman superbe et acerbe illa tria verba: De tota hac re nihil scire volo. Sitiistis sanguinem, saturamini eodem. Cumque noster adderet, ut saltem ad sedandum tumultum aliquem ex Magistris mitteret, exclamavit voce intensa: Nullo modo hoc faciam, ne videar hac re aliquam speciem unionis dare. Sic infelix homo, ne videretur dare speciem unionis, ingentem homicidii et tot vulnerum, quae nullo negotio impedivisset, si voluisset, dedit causam. Nostri igitur re infecta a Rectore abierunt et ob dispositos per plateam arcensem perditos Academicos, nostros Studiosos in Collegio detinuerunt, donec illi discoli minatores taedio victi abscederent. Convenerant autem nostri Studiosi satis exiguo numero, eo quod plerosque domi parentes ac instantis tumultus metus detinuissent. Dum ergo Sacro Missae Sacrificio interessent, audaciores aliquot (inter quos

Referunt omnia praedicta nostri Academiae Rectori,

Petentes, ut cohibeat tumultum,

Sed ille nihil voluit facere et superbe ac acerbe nostros expedivit.

Nostri studiosos in Collegio detinent.

Evocat eos ad pugnam Przepiorka.

praecipuus erat Bartholomaeus Przepiorka, qui se vocabat Ptaszynski, Piatkowi in Masovia natus, qui in Collegio Posnaniensi Societatis nostrae studebat et admitti ad Societatem petebat testimoniumque legittimi ortus a Magistratu Piatkoviensi datum nostris dederat, quod hucusque apud S. Barbaram servatur, et quia non erat admissus a nostris, Cracoviam venerat et in schola S. Stephani morabatur, aversus a Societate) ex Academicis scholaribus advolavere. Et praedictus Przepiorka ad gradus Basilicae consistens, magna verborum contumelia in Magistros et discipulos congesta, stricto gladio bipennique ornatus, e templo studiosos evocabat. Cumque ibidem e Basilica ad Collegium, cuius fores quatiebat, et a Collegio ad Basilicam recurreret, incidit in Nicolaum Grabowski Philosophiae

Nicolaum Grabowski aggreditur irrito conatu.

in Collegio S. Petri auditorem eumque prius contumeliis, deinde fero est aggressus. Vehementior natura et conscius nobilitatis iuvenis manus cum eo conseruit non infeliciter, sed mox a Janitore nostro intro raptus est, ne affluentibus Academicis in extremum

20.

vitae discrimen veniret. Accurrerunt statim Academici, inter quos famuli Rectoris Naimani visebantur, magnam vim lapidum in domum

Impetunt lapidibus Academici domum nostram.

et fenestras coniicientes, nostri etiam studiosi aliqui, superiorem domus partem coscendentes, nobis insciis, lapidibus vim vi repellebant. Fit concursus magnus hominum in platea ante Collegium, aliis ad spectaculum confluentibus. Spectabat id Magnificus D[s] Jarzina et

Advocantur pedites Arcenses ad sedandum tumultum.

quamprimum significavit Magistratui Arcensi, ut pedites ad defendendos nostros studiosos et Collegium nostrum et ad cohercendum tumultum mitterentur, quod etiam praedictus Grabowski, nobis insciis, Arcensibus significaverat. Veniunt pedites arcenses 36 cum publico praecone, qui testaretur eos ad comprimendum tumultum ex

Deducuntur studiosi a peditibus.

officio venire et statim turbam nullo negotio fugarunt. Restabat, ut iuventus multo iam tempore intra Collegium detenta, tuto ad hospitia pransum redire posset. Mansere plures, vim et insidias veriti, et pauciores, qui se periculo minus obnoxios et praesidio publico satis tutos fore existimabant, deducentibus peditibus, quod alias feliciter evenerat, domum quisque suam revertebantur. Ecce vero tibi, dum ad coemeterium SS. Omnium accedunt, incipiunt sese scholares Aca-

Effundunt sese Scholares Academici irruentes in pedites.

demici effundere et impetum facere incipiunt. Pueri, qui ducebantur a peditibus, alii in fugam se dare, alii ad Collegium recurrere. Pedites vero etiam atque etiam testati, non se ad pugnam venisse, lento gradu retrocedebant. Sed omnia contemnentes scholares Aca-

demici, alii lapides e turri proiiciebant, alii sclopos exonerabant, et maxime Przepiorka, qui flexo genu adiurare caeteros est auditus, ut iam fortiter agerent et fidem iuramento sancitam Almae Matri Academiae exolverent. Sustinebant diu procellam pedites, etiam atque etiam monentes, ne vias publicas infestas redderent et domos suas sese conferrent, tandemque sursum ad terrorem incutiendum bombardas exonerabant. At dum scholares magis ac magis instant peditesque violenter adoriuntur, contra discolos explodere incipiunt; et primus Przepiorka, fax tumultus, globo traiectus concidit, laesi et alii, qui acrius instabant, circiter septem. Circumlatum post, ob invidiam nobis conflandam, per forum et plateas occisi cadaver, cum diu in feretro ante Juristarum Collegium e regione S. Petri mansisset, ductum est tumultuaria manu ad Arcem, ut protestatio de caede patrata fieret. Progressus ad portam D[s] Vicegerens [1]), quid sibi tanto tumultu vellent, quaerit. Acerba scholares Academici convicia in nostros et in arcenses iacere et cum ipso D. Vicegerente iurgari incipiunt. Videns Vicegerens in contempto Magistratu Regiam Maiestatem violari et veritus, ne iterum res ad tumultum veniret, animo se agendum ratus, ferociores duos, Cracoviensem unum Varsaviensem alterum, in custodiam duci iubet, caeteros, quod armati venissent et vim inferre velle viderentur, repulit, ne scilicet ius homicidii, quod tumultuum authoribus caesis negatur, recepto cadavere approbaretur. His repulsis postea alii Academici tulerunt ad Officialem protestationem contra nostros, quam Officialis D[s] Joannes Zerzynski subscripsit, contra inhibitionem Episcopi, qua illi interdictum erat, ne ullis rebus contra nostros se ingereret. Unde etiam Episcopus id moleste tulit, dum intellexit. Funesta hac, cuius sibi ipsi authores extiterunt scholares Academici, peracta tragoedia, quod vim minus feliciter successisse cernerent, totos sese ad calumnias contra nostros effutiendas converterunt et in summum odium apud omnes nostros inducere, omnibus quibus poterant modis per multos dies inducere contendebant. Erant tales, qui audebant dicere, se vidisse nostros pecuniam peditatui arcensi dantes, ut caedem praedictam curarent. Alii aiebant, ebrios pedites per nostros factos et eo modo in pugnam concitatos. Non deerant asserentes, se audivisse nostros mandantes, ut Academici

Occiditur Przepiorka et alii 7 laeduntur.

Delatum ad arcem occisi cadaver non admittitur.

Et duo incarcerantur.

21.

Coram Officiali protestantur Academici.

Variae contra nostros calumniae Academicorum, occasione huius occisi.

[1]) Vicegerens capitanei, seu praefecti arcensis, (tunc temporis Gabrielis comitis a Tarnow) erat vicecapitaneus Alexander Kożuchowski. Hoc loco autem Wielewicki nomine vicegerentis assignavit burgrabium Rożankam.

occiderentur et eorum cadavera in cumulum colligerentur. Affirmabant nonnulli, nostros vestibus peditum arcensium indutos pugnae huius fuisse directores. Haec autem omnia superabat probrosissima praeconis contra nos proclamatio, de qua 19ª huius statim agemus. Tantas calumnias non solum Cracoviae passim iactitabant, sed etiam perscriptas per totum Regnum spergebant, ingentem rabiem contra nostros effundentes.

Edictum Naimani, pro illo tempore insufficiens.

Prodiit edictum impressum Jacobi Naimani Rectoris Academiae 16ª huius mensis, ut Professores diligenter lectiones legerent et studiosi a contentionibus abstinerent, addita illa particula: Pacem inter se et, si fieri potest, cum omnibus hominibus habentes etc. Verum quidem est, similibus edictis talem particulam addi solitam, hoc tamen tempore, consideratis circumstantiis rerum praesentium et tam efferata iuventute manente, ipsa prudentia dictabat aliquid efficacius cohibendaeque summae petulantiae accommodatius fuisse proponendum.

22. Pompa funebris in sepultura Przepiorcae contra nos multa continebat.

Sexto post occisum Przepiorkam die, qui in 19ⁿᵐ huius mensis inciderat, maximo apparatu deductum ad sepulturam occisi cadaver, multis extraordinariis adhibitis, quibus summum odium contra nos concitari posset. Inprimis enim occisum Przepiorkam Dni Academici (nam illos modum funeris efferendi praescripsisse, nullum est dubium) post mortem nobilem fecerunt eumque Bartholomaeum Ptaszynski, vel ut alii Ptaszkowski, vocarunt ac feretro, rubro panno contecto, sex ficta stemmata apposuerunt. Deinde in maxima frequentia Religiosorum, Clericorum et Academicorum aliorumque antecedentium et comitantium funus, peditatum etiam a Dº Stanislao Lubomierski Pocillatore Regni copiosum impetrarunt, inter quem funus ad templum deduceretur, praetendentes eius necessitatem ob cohibendum tumultum, si aliquis oriretur. Tum modo insolito Processionem circa forum instituerunt et in qualibet parte fori subsistente processione ac sono campanorum silente, tubisque prius inflatis, per praeconem duos nostros occisores nobilis Ptaszkowski quinque vicibus proclamarunt. Talis autem Proclamationis polonicae erat formula:

Formula probrosissima proclamationis contra nostros et contra arcenses.

Panowie, raczcie wiedzieć, że Jezuici podle Ś. Jędrzeia mieszkaiący, a mianowicie: X. Brzechffa, Siekierzecki Samotulius y wszyscy w tamtym domu, nie dosyć na tym maiąc, że przeciwko prawom koronnym, zapomniawszy swoiey Vocaciey Zakonney y przeciwko świeżemu zakazaniu Oica Ś. Papieża szkoły y nowe y niepotrzebne

otwierali: ale zmowiwszy się z urzędem zamkowym, który zawsze powinien pokoiu przestrzegać y każdego od ukrzywdzenia bronić, to jest z Rozanką Vicesgerentem, z pomocą tegosz urzędu zamkowego, zapłaciwszy, upoiwszy, wyraznim rozkazaniem bić y zabić rozkazawszy, zabili, zamordowali slachetnego Bartłomieia Ptaszkowskiego Studenta Krakowskiego, czego się Boże pożal. Niestetysz Niestetysz, na te nowe szkoły. Iam in templo S. Annae prope sepulchrum B. Cantii tanquam aliquem martyrem illum sepelierunt, qui Christiana sepultura indignus erat; cum praecessisset unius Carmelitae Calceati concio, in qua multa contra nostros effutiit. Et inter caetera Academicos ita solabatur in morte sui condiscipuli (adolescentis, ut ille dicebat, modestissimi), ut brevi polliceretur adfuturum Davidem contra Goliatos (id est contra nostros). Deinde ostendebat DD. Academicos valde multos habere, qui suae Matris Academiae libertatem et iura antiquissima fortissime sunt propugnaturi. Confirmavit non parum hoc totum quidam Nisinicki, nostrorum quondam Vilnae studiosus, qui post cadaver terrae commisum, dum more recepto in funeribus nobilium, gratias ageret infamis martyris sepulturam exornantibus oratione, sive ab aliquo Academicorum, qui putabatur esse Petricius [1]), sive ab illo ipso composita, atrocissimis calumniis ita nostros onerabat, ut eas ipse prorsus daemon vel dictasse vel scripsisse videatur. Denique et illud praetereundum non est, praeconem, proclamationem contra nos facturum, aliquot ante diebus diligenter Academicos exercuisse et in attollenda voce gestibusque faciendis et in faciei compositione, ad commiserationem occisi et ad odium nostri excitandum.

Quinque vicibus factae.

Omnes quidem istae calumniae postea evanuerunt, dum sequenti mensae inquisitio ex praecepto Regio mixti fori facta ipsiusque Regis testimonium et altera etiam Episcopi separata post diligens examen testificatio nostram innocentiam declararunt et fraudes ac mendacia Academicorum aperuerunt; quia tamen adeo atroces diffamationes institutae contra nos impunitae manserunt et non parvo tempore multi de nobis haec omnia crediderunt, ideo nostris, non paucis post occisum Przepiorkam diebus, vix tutum erat foras prodire occulteque ab amicis monebamur, ut nobis ab incendio et ab invasione aliisque id genus periculis caveremus. Nec vani fuissent terrores, nisi

23. Nostrorum innocentia post declarata.

Sed ob impunitos calumniatores non eramus sine metu,

[1]) Joannes Petricius, medicinae doctor et academiae professor.

sparsum fuisset vulgo, in Collegio S. Petri magnam esse militium et armorum copiam, ex industria per nostros occultatam ad adversarios reprimendos. Manentes sub id tempus Cracoviae Georgius Dux in Zbarasz et Stanislaus Lubomierski Pocillator Regni, his quae spargebantur de nobis vel credentes vel se credere ostendentes, non modice tantam Academicorum petulantiam fovebant. Sed potissimum eam promovit iuratus hostis noster Jacobus Naiman Academiae Rector, qui contumeliosissimam proclamationem nullo negotio si voluisset impedivisset, prout impedire tenebatur. Utinam vero ab illo ipso non fuerit scripta. Iam nostri pro impedienda hac proclamatione Episcopum, Wawrzyncicis tunc manentem, non adierant, quia Academicos ad tantam impudentiam posse devenire nunquam arbitrabantur.

Foventibus magnis Dominis petulantiam Academicorum, Et maxime Jacobo Naimano.

Post tantam acceptam iniuriam nostri proxima concione in maximo adversariorum concursu duo haec modeste tractarunt: Primo, non eo ipso quempiam esse convictum, quod multa mala de eo spargantur. Secundo vere prudentis esse non quibusvis rumoribus fidem habere. Qua contione modestia plena non pauci adversariorum, qui gravissimas querelas expectabant, plurimum sunt aedificati.

Modeste in Contione refutata a nostro objecta.

24. Defuncta 20ª huius mensis magna et antiqua tum domus huius tum domus probationis benefactrix Dª Dobroszewska, post cuius mortem pagum Zielenice dictum (quem eius maritus, advitalitate uxori relicta, Novitiatui donaverat) cum pecoribus, frugibus ac tota domestica suppellectili nostri receperunt. Quia vero ista bona bonis Marcocisiensibus sunt contermina, valde utilia nostris accesserunt.

Mortua Dª Dobroszewska nostri Zielenicis possesionem accipiunt.

Decem armati Academici 24ª huius, Joannis Baptistae Lancelloti decretum, templo S. Petri affixum, frameis conciderunt, portam deinde Collegii S. Petri pedibus pulsantur impune.

Decretum Nuncii Apostolici Academici concidunt.

Impetrata a nostris Romae nova Commissio contra Commissionem Dⁱ Zerzynski Officialis, 27ª huius mensis, ob quam, ut suo loco dicemus, finem debuit habere suscepta cum Dº Zerzynski controversia.

Commissio a nostris Romae acquisita.

P. Praepositus Matthaeus Bembus cum P. Stanislao Krzywokolski Calissium discesserunt ad Congregationem Provincialem 29ª huius mensis. Sub hoc tempus vices Pⁱˢ Praepositi obibat P. Szembek; iudicaverat enim R. P. Provincialis expedire tunc, ob tot tricas, ut domi maneret, quod etiam ipse Episcopus Cracoviesis suaserat.

Discedit P. Praepositus Calissium.

Per mensem Junium accepimus eleaemosynae pecuniariae fl. 387, nempe legati a Dª Dobroszewska fl. 200. Post mortem Virginis Elisabeth fl. 100. Ab

Eleaemosyna Junii.

Episcopo Cracoviensi fl. 25. Ex Wielicensi donatione fl. 36. Reliquos ab aliis. Iam tunna vini allata a Mco Do Karnkowski, 8a huius mensis, ligna, siligo, avena, lupulus, pisces, carnes, casei, butyrum, a variis submissa constiterunt fl. 226. Inveni insuper in uno libro, 27a huius mensis allatos 6 tomos Baronii domui nostrae, quos testamento legaverat R. D. Simon Doctor Academiae, nostri amantissimus. Hanc eleaemosynam in libro rationum, forsan per aliquem errorem, non inveni annotatam.

Doctor Academicus legat nobis libros quosdam.

Paraverat P. Bembus Apologiam brevem in nostro negocio contra Academicos et obtinuerat apud Episcopum, ut ab ordinario librorum Censore R. D. Sebastiano Nucerino relegeretur et approbaretur; reddideratque P. Szembek D. Nucerino litteras ab Episcopo in hoc negocio, sed 5a Julii, dum ipsemet P. Szembek cum Do Nucerino ageret, omnino negavit Ds Nucerinus, se vel lecturum vel approbatum illum libellum, eo quod esset alumnus Academiae, cui multa deberet. Attulit simul multas rationes contra nostras scholas Cracovienses P. Szembeko et litteris Episcopi fuse rescripsit, ostendens, se dictum librum non posse approbare, imo et legere. Alienatus factus erat a nostris ab illo tempore, quo cum Academia nobis intercesserunt [1]) et mansit in illa alienatione usque ad mortem, quae post 10 annos, nempe 1635 23a Septembris contigit. Plurimis enim contra nos ab Academicis confictis, sicut multi alii, non audita altera parte credidit.

R. D. Nucerinus non vult legere et approbare librum nostrum.

Alienatus a nobis ob Academiam.

25. Datum initium Congregationi Provinciali sub P. Georgio Tyszkiewicz Provinciali Calissii 9a huius mensis. Electusque hac die est in Secretarium Congregationis P. Joannes Szeczemski et in Vice-Secretarium P. Georgius Trąpczynski et in Deputatos P. Joannes Wielewicki et P. Matthaeus Bembus. — Eadem 9a die R. D. Stanislaus Zberowski (qui interfuit Anno 1583 1a et 4a Februarii illi concessioni, qua Academici concesserant nostris scholis coram Bologneto Nuncio Apostolico, tanquam testis ad id specialiter vocatus) Crusvicensis Vielunensisque Canonicus, exhibuit contra Academicos, praedictam concessionem negantes, pro nobis testimonium eiusmodi verbis: »Et ego Stanislaus Zberowski, Crusvicensis, Vielunensis Canonicus et Officialis praesenti manus meae scripto, Deum in testem vocando, testor me praesentem interfuisse et audivisse concessum esse

25. Initium Congregationis Provincialis Calissii.

R. D. Stanislai Zberowski testimonium de scholarum nostrarum concessione, olim facta ab Academicis.

[1]) Contentiones.

Patribus Societatis Jesu, ut scholas [1]) erigere possent, ita tamen, ut scholares Patrum sub obedientia Magnifici Dni Rectoris Academiae sint et ei pareant, in nullo Academiae iura violando. Haec ita esse et fuisse facta ego idem, qui supra, attestor et maioris roboris et certitudinis causa sigillum apposui et manu propria subscripsi. Datum Vielunii die 9 Julii, Anno 1625. Idem, qui supra, manu propria». Idem viso instrumento hac de re, quod illi ostensum erat, testatus est, manu Stanislai Schydlovii, Notarii Apostolici publici fuisse scriptum et simul descripsit signum Notariatus praedicti Notarii. Vide hoc utrumque in libro Antigratis fol. 213. Hoc porro testimonium ideo nostri tantopere procurabant, quia impudentes Academici nos in isto negocio tantum mortuos testes producere et non vivos affirmabant.

Cur hoc testimonium procuratum.

Regis litterae ad Magistratum Arcensem et Civilem

Et ad Naimanum.

Postquam cognovisset Rex tot iniurias nostris illatas et tantis diffamationibus nostros traductos, ferventes litteras ad Arcensem civilemque Magistratum dedit, quibus nostri Collegii nostrorumque discipulorum defensionem, deinde post inquisitionem seriam in authores tumultuum poenam iniunxit. Cum Naimano etiam Rectore idem Rex separatis litteris gravissime expostulavit de supina eius negligentia et conniventia in cohibendis scholaribus et iussit, ut impudentes scholares, qui hos tumultus excitarunt vel promoverunt, quamprimum proscriberentur. Coepit ergo iudicii compositi inquisitio a Magistratu quadruplicis inquisitionis, nempe Arcensis, Venerabilis Capituli, Academiae et ipsius Civitatis Cracoviensis, 10ª istius mensis et convenerunt ad Praetorium Alexander Kozuchowski, Vice-Capitaneus Cracoviensis, Andreas Łukomski et Erasmus Kretkowski Canonici Cracovienses, Jacobus Naimanowicz, Canonicus et Rector Academiae Cracoviensis, Stanislaus Conradus Pro-Consul et Andreas Belza Civitatis Cracoviensis Secretarius. Hi omnes, post fundatam Jurisdictionem, citarunt omnes Plateae arcensis incolas et iuramento praemisso de veritate in omnibus, in quibus interrogarentur, diligentissime tribus diebus inquisitionem insituerunt et testimonia exceperunt. Cumque res finita esset, eam legittime peractam ac manibus propriis subscriptam et sigillis obsignatam, Varsaviam S. Regiae Maiestati mise-

26. Judicii compositi inquisitio per Magistratum quadruplicem

Per tres dies facta et postea Regi missa.

[1]) Testimonium hoc, in chartula papyria scriptum, adiunctum archetypo inter fol. 674 et 675, signo anuli in cera, armis Kościesza expressis munitum, habet hoc loco duo verba, quae Wielewicki non transsumpsit: „tantum Cracovienses".

runt. Comperta per hanc inquisitionem non tantum Societatis Personarum, verum etiam Collegii S. Petri studiosorum maxima innocentia, Academicorum vero, Rectoris et Professorum Scholarium, summa perversitas, impudentia, violentia omniumque divinorum et humanorum contemptus. Sperabamus post adeo publicam nostrae innocentiae testificationem compertam, eiusdem futuram doclarationem in templis ex suggestu, iussu Episcopi, qui etiam in separata inquisitione eandem compererat, sed nihil horum factum, mirantibus omnibus prudentioribus. Solus Rex, ut sequenti anno suo loco patebit, non pro hoc tantum Regno, sed etiam pro toto mundo testimonium publicum nostrae innocentiae dedit amplissimum.

Comperta nostrorum innocentia et summa Academicorum perversitas.

Nulla poena inflicta Academicis.

Electus Procurator Provinciae Calissii 11ª istius mensis P. Joannes Szeczemski et si aliquo casu impeditus post esset, substitutus in eius locum P. Andreas Gutteter.

P. Joannes Szeczemski Procurator electus.

Iverat P. Fridericus Szembek ad Episcopum Cracoviensem Kobierzynum 12ª huius mensis et plurima cum illo egerat de nostro negocio, sed parum effecit, omnia in eam inquisitionem, quae ad Regem erat missa, Episcopo reiiciente. Tunc etiam, dum P. Szembek ibidem maneret, acceperat Episcopus litteras a Duce Georgio de Zbarasz, qui pro Judicio Composito, de quo supra egimus, datos esse ex Capitulo Canonicos nobis faventissimos valde graviter ferebat et contra nos multas calumnias congerebat, more sibi consueto.

P. Szembek parum apud Episcopum effecit.

Impositus finis Congregationi Provinciali 16ª istius mensis et statim nostri, qui aliunde venerant, coeperunt Calissio, ubi sub id tempus pestis grassari coeperat, discedere.

Finis Congregationis Provincialis Calissiensis.

Cantatus pasquinus contra nos carmine polonico compositus, atrocia quaeque contra nos continens et cantatus a mendicis Scholae Bmae Virginis 19ª istius mensis, et in foro et in plateis et ante macellum lanionum prope aedem S. Barbarae, audiente Magistro praedictae scholae et audientibus e fenestris ac videntibus eius scholaribus. Ita omnia contra nos tunc impune fiebant.

Cantatus pasquinus contra nos impune.

Postquam, ut in initio huius mensis diximus, R. D. Sebastianus Nucerinus noluisset legere et approbare librum nostri P. Bembi, detulimus illum ad R. D. Joannem Foxium Archidiaconum 21ª istius mensis et approbationem petiimus, sed respondit, se bona conscientia non posse approbare ob certos respectus petiitque, ne id illi vitio

R. D. Foxius non vult approbare librum.

Mors R. D. Krupka.

vertamus. Mortuus D^{s} Sebastianus Krupka Canonicus Cracoviensis et saepius Academiae Rector, 22^{a} huius mensis, a quo etiam non raro varias habuimus vexationes.

27. Rediit P. Praepositus Calissio.

Rediit P. Matthaeus Bembus cum P. Stanislao Krzywokolski et Stanislao Piatkovio ex Congregatione Provinciali Calissiensi, penultima istius mensis.

Oratio diurna.

In festo S. Patris erat in nostro templo Oratio diurna pro Regni necessitatibus et pro peste avertenda. Eandem solennitatem, addit P. Petrus Kamocki in sua templi historia, exornavit sua praesentia Antiochenus Patriarcha cum suo Metropolita, Roma ex Jubilaeo veniens. Huc spectant nonnulla auxilia a S. Patre quibusdam praestita Filiolus civis cuiusdam Stradomiensis, iudicio medicorum morti vicinus, voto S. Patri Ignatio a matre nuncupato, incolumis evasit. Insignis item matrona, viri primarii in hac urbe uxor, nimio dolere partus afflicta, nocte media e nostra domo Sancti imaginem ad se portari poposcit, qua cum debita veneratione conspecta, et prolem feliciter suscepit et e mortis periculo emersit ac in grati animi signum, votum Divo appendit. Gravius in altera malum timebatur, quae cum emortuum foetum in lucem edere non valeret, ad Sancti patrocinium se conferens, in multorum praesentia inutili pondere levata, die octava gratitudinis indicium Sancto exhibens, ad nostrum templum eius imaginem venerabunda accessit.

Auxilia S. Patris Ignatii: 1um 2um 3um

Observanda Procuratoris Provinciae Et circa litteras

Ad hunc mensem videntur spectare ea, quae R. P. Provincialis Tyszkiewicz de usu sigilli et pecuniae Procuratoris Provinciae ordinaverat et quae postea ab Admodum Rndo P. Nostro sunt approbata; ut nimirum Procurator Provinciae illas tantum litteras sigillo sui officii obsignet et aliunde missas aperiet, quae negotia continebant ad suum officium spectantia, iuxta morem Societatis. Nullas autem mittet litteras officiosas et nova continentes, nisi eas Superiori prius legendas tradiderit.

Et circa negocia

Ut negocia ad Societatis domicilia vel personas spectantia non suscipiat sine expressa facultate loci, in quo habitat. Idem intelligendum est de emptione et advectione rerum e locis extra Provinciam, etiamsi a Societatis personis postulentur, multo autem magis de mercatura rerum aliarum.

Et circa pecuniam.

Ut pecuniam omnem (ea excepta, quam pro necessitate Provinciae singulis circiter mensibus e deposito separabit, conscio et praesente Superiore) sub duplici clave occlusam servet, quarum una penes ipsum, altera penes Superiorem domicilii, in quo habitat, remanebit. Pecuniam istam non debet expendere, nisi iuxta mentem Superioris.

Eleaemosyna Julii.

Pecuniariae eleaemosynae hoc mense percepimus fl. 170. A Virgine Elizabetha fl. 50. A Virgine Cristina post mortem D. Nicolai fl. 40. A. R^{mo} D^{o} Suffraganeo fl. 30. A Dno Rab fl. 13. Reliqui ab aliis. Iam vinum, carnes, panes, butyrum, casei, cervisia, quae sunt a variis submissa, fl. 64 sunt aestimata.

28. B. P. Provincialis debilis ex itinere, In morbum gravem incidit

Post expeditam Congregationem Provincialem, venerat circa initium Augusti R. P. Provincialis Więclawicos ad pagum Domus probationis, valde debilis et deinde, ob quietem maiorem, Cracoviae, ad hortum Domus S. Barbarae sese contulerat, ibique valetudinem curare constituerat. Verum morbo magis ac magis invalescente, ad Novitiatum deferri se voluit 13^{a} huius mensis. Advocati medici primarii nostros, de boni Patris mala valetudine valde sollicitos, se-

curos reddebant, sed morbi speciem, ut eventus ostendit, non erant assecuti. Sequenti enim die excitata in eo medicinis datis ingens humorum copia ac per os erumpens, violenter eum obruit oppresitque post quartam horam pomeridianam; cum ante tres dies et confessus fuisset et Sacramento Eucharistiae refectus. Nullam vero dispositionem vel de Successore, vel de aliis officii sui negociis, ob mortem insperatam reliquerat et omnes nostros, qui tunc Cracoviae aderant, maximo sui desiderio relicto, non mediocri dolore affecerat. Quia vero secundum iura nostra, dum moritur Provincialis Successore non designato, Domus Professae Praepositus eius vices tamdiu subire debet, quamdiu ab Admodum R. P. nostro Generali novus Provincialis non fuerit assignatus: ideo P. Bembus, S. Barbarae tunc Praepositus, munus Vice-Provincialis statim obire coepit. Claves ergo ab iis, quae ad P. Provincialem mortuum spectabant, accepit, tertia noctis eiusdem diei mortuum ad aedem S. Barbarae deferre iussit eiusque sepultura 16ª huius mensis solenniter est peracta, cantante Sacrum funebre Rmo D. Thoma Oborski Suffraganeo Cracoviensi et concionante P. Friderico Szembek, praesentibus plurimis Praelatis, R. D. Lukomski, R. D. Drzewicki, R. D. Kretkowski, R. D. Lubinski, R. D. Gniewosz, R. D. Trcinski et plurimis ex Nobilitate ac nostris fere omnibus ex omnibus tribus domiciliis.

Et moritur, Successore non nominato. P. Praepositus S. Barbarae eius vices obit ad certum tempus. Sepultura eius.

29.

Natus is erat in Podlachia ex pervetusta Madnidorum familia, (quae etiam cum Ducibus Russiae ex Serenissima Jagellonica prosapia procedentibus, agnationem habebat) Patre Palatino Brestensi, in quem Palatinatum filius, germanus nostri, postea successerat, Matre Wołowiczowa, Parentibus Senatorii Ordinis, schismaticis quidem, sed tamen ad omnem pietatem propensis. Post aetatem puerilem domi transactam et post scholas triviales Smorgonii expeditas, ad Academiam Vilnensem nostrae Societatis missus erat, ibique aliquot annis studiis humanioribus, ad Rhetoricam inclusive, operam dedit non contemnendo profectu. Discessit post tum in Germaniam, ubi Graeci adhuc humaniora studia continebat, tum in Italiam, ubi variis locis peragratis, Patavii alibique, privatis praeceptoribus maxime usus, cum nonnulis Procerum Russsiae Lituaniaeque filiis, Philosophiae cursum expediit. Romam deinde profectus, cum in gravem incidisset morbum, fertur votum fecisse eius Religionis, cuius primo hospitio eggressus personam conspiceret. Atque ita Deo illum Societati nostrae destinante, ubi primum in publicum pedem extulit, in R. P. Mutium Vitellescum, tunc in Collegio Romano versantem, incidit, dum ex domo probationis ad S. Andream sitae rediret. Statim ergo Divinam vocationem secutus, ad pedes praedicti Patris advolutus, suum propositum aperit et ad nostram Societatem eius opera admitti supplex petit. Erigit et benigne illum accipit P. Vitellescus, collaudato deinde consilio monet, ut tantisper vires ex morbo redintegrare curet, donec Probationis Societatis oneri ferendo sufficiant. Morem gerit prudenti admonitioni et recuperata plene valetudine ac re Dno Deo multis orationibus commendata, in numerum Novitiorum ad aedem S. Andreae Romae cooptatus est Anno Dni 1593, cum annum aetatis ageret fere 22. Quae pietatis et perfectionis in domo probationis fundamenta iecerit, insignes eius virtutes consequentis vitae satis superque ostenderunt. Exacto per biennium tyrocinio, Theologiae Scholasticae

Eius familia. Parentes Schismatici. Studia Vilnae, Graeci, Patavii. Romae in morbo voto Deo facto Societatem ut ingrederetur, petit.

30.

Suscipitur ad probationem, qua finita Theologiae Scholasticae dat operam.

per 4 annos in Collegio Romano operam dedit, insigniterque in ea profecit et tunc etiam simul Sacerdos factus erat. Missus deinde Roma in Poloniam, post tertium probationis annum peractum, Calissii Cursum Philosophicum triennio legit. Vilnam deinde missus, cum Doctor Theologiae in Academia Vilnensi creatus esset et ad eandem ibidem docendam sese accingeret, gravibus iisque frequentibus morbis impeditus est, coelo Lituanico eius valetudini minime favente. Itaque remissus in Poloniam, postquam Calissii aliquanto tempore Maiorum Studiorum Praefectum egisset, Posnaniae Theologiam Scholasticam tribus annis et medio legit, Lublini deinde uno fere anno Casus legens, ad gubernandum Collegium Torunense evocatur. Ubi Rectorem agens, cum nostri a civibus haereticis, a quibus ante aliquot annos erant expulsi, gravissima quaeque paterentur, tum per se tum per cognatos suos effecit, ut scholae nostrae, quibus maxime haeretici contradicebant, restituerentur, et fertur ipse per se aliquot diebus Grammaticam docendo, docendi initium fecisse. Triennio postea Calissii et alio triennio Posnaniae Rectorem egit et ad Congregationem Generalem discedente P. Stanislao Gawroński Provinciali cum P. Martino Smiglevio et P. Nicolao Lancicio Anno Dni 1615, ipse Vice-Provincialis sex fere mensibus Provinciae praefuit, Deinde Rectoris Posnaniensis officio perfunctus, per duos annos Jaroslaviae Patrum Tertianorum Instructor fuit. Post aliquanto tempore, tum itinerum R. P. Provincialis Joannis Argenti socius fuit, tum nostrorum apud S. Petrum, antequam scholis daretur initium, primus Superior. Discedente vero in Austriam praedicto P. Argento eidem, iussu Admodum Rdi Patris nostri Generalis, in administratione Provinciae Polonae successit Anno Dni 1622, 15a Aprilis in eoque munere usque ad mortem mansit, nempe ad 14am Augusti huius anni. In difficilia prorsus tempora eius Provincialatus inciderat, illum tamen magna et nostrorum et externorum satisfactione obivit. Inter varias virtutes, quae in eo elucebant, singularis inprimis erat animi modestia, proprio contemptui adiuncta, quae maxime eum, adeo illustri familia ortum, exornabat. Huc accedebat egregius paupertatis amor in victu, vestitu, lectisterniis toto Religionis tempore. Invictum animum in variis difficultatibus superandis, cum alias saepius, tum potissimum illo tempore, quo Provincialem agebat, ostendit coniunctamque cum suavitate egregiam efficacitatem, zelum animarum, cum alias saepius, tum potissimum illo tempore, quo in scholis docuit et quo semper Sodalitatum Bmae Virginis curam gessit, ostendit eoque authore ac directore plurimi Societatem sunt ingressi. Scripsit nonnulla opuscula et in defensionem fidei et in defensionem Societatis et ad profectum spiritualem pertinentia, quorum hi sunt tituli: 1um Vindiciae doctrinae Societatis Jesu a calumniis Patroni Torunensium Anonymi. Impressae Cracoviae 1616 et dicatae Dacbogio Karnkowski[1]), Palatino Derpatensi. 2um Responsio Georgii Tyszkiewicz Societatis Jesu ad libellum famosum cuiusdam Anonymi Torunensis, Patrocinium Veritatis litterarum Torunensium falso inscriptum. Impressum Cracoviae Anno 1615 et dedicatum Dno Fabiano Plemecki[2]). 3um Theologia Antilogica Lutheranorum et Antilogia Theo-

Legit Philosophiam Calissii,

Theologiam Scholasticam Posnaniae, Casus Lublini; Rectorem agit Torunii, Calissii, Posnaniae.

Vice-Provincialis constituitur.

PP. Tertianorum instructor.

Primus Superior Collegii S. Petri.

Provinciali P. Argento successit.

Eius virtutes variae.

31.

Libri ab eo scripti.

[1]) Daćbog seu Dadeus Karnkowski, palatinus Tarbatensis † 1617.

[2]) Plemięcki, de quo plura retulit Wielewicki fasciculo II. p. 226.

logica Calvinistarum, seu Contradictiones de rebus Fidei, quas Lutherani et Calvinistae in suis propositionibus concordes, discordes admittunt. Impressum Cracoviae Anno 1624. 4um De perfectione. Impressum Cracoviae 1624 et dedicatum Admodum Rdo P. Nostro Generali. — Vixit annos 54, ex quibus in Societate consumpsit 32; Professus 4 Votorum factus Anno 1610, 10a Januarii Posnaniae. Sepultus in templo S. Barbarae, uti supra diximus, sub Maiori altari. Aetas eius et Professio.

Advertens Martinus Szyskowski famosorum libellorum, contra Societatem ab impiis Academicis scribendorum, nullum esse finem (prodierant enim hoc anno mirabiles pasquili tam scripti quam impressi sub illis titulis: Recepta, Gratis, Privilegium, Consensus, Prophetia, Hildegardis), edidit 20a huius mensis ad totum suae Dioecesis Cracoviensis clerum et ad omnes religiosos exemptos litteras impressas [1]). In quibus inprimis confirmavit tum Antecessoris sui tum Illmi Nuncii Lancelloti aliorumque excommunicationes in eos latas, qui scriptis Societatem nostram aut eius certas personas quomodocunque prosciderunt, easque ipso facto incurrendas. Deinde novam prohibitionem cum censuris similibus contra eiusmodi infamatores instituens inssit, ut primo die Dominico post litteras acceptas in fine Concionum Concionatores populo eam promulgarent et gravem scrupulum iniicerent diffamantibus. Denique voluit, ut litterae praedictae per modum processus, per totam Diocesim mitterentur. Fecit nimirum, quod potuit, bonus Episcopus in hoc genere et utcunque substiterant pasquillantes, sed non multo post, ut suo loco patebit, suas impudentias repetierunt. Contra scribentes famosos libellos. Novum Episcopi decretum. Per totam Diocesim publicandum.

32.

Joannes Przedboriensis Formatorum Coadiutorum Temporalium gradum suscepit, celebrante Patre Praeposito 24a huius mensis, qua etiam die consueta votorum renovatio more solito peracta, Sacro faciente P. Stanislao Krzywokolski. Gradus Joannis Przedboriensis.

Eadem dies infausta fuit civitati Jaroslaviensi, quae tempore nundinarum cum incredibili tam incolarum, quam eorum, qui aliunde venerant mercatorum damno, incendio conflagravit, nec nostrum Collegium evasit, in quo et tectum templi et ipsum Collegium maxima ex parte sunt exusta. Procurarant Academici Cracovienses ii, qui Romae suam causam contra nos persequebantur, nobis insciis, litte- Incendio conflagrat Jaroslavia.

[1]) Exemplar litterarum, quae incipiunt verbis: „Omnis curae Pastoralis" datae sunt Kielciis die 10 augusti 1625 et constant 4 foliis in 8o, annexum est archetypo nostro inter fol. 678 et 679.

Contra Remissorias Academicorum procurata inhibitio.

ras Remissorias ad Episcopum Cracoviensem, ut hic eorum ius possessorium tractaretur. Sed postquam P. Nicolaus Lancicius id Romae intellexisset, statim impetravit inhibitionem illarum litterarum eaque prius venit in Poloniam, quam illae litterae, sicque occulta machinatio Academicorum evanuit. Contigit id 25ª istius mensis et exemplar inhibitionis servatur apud S. Petrum.

Adit P. Krzywokolski Naimanum Rectorem ex parte scholarum et unionis,

Eadem 25ª missus erat P. Stanislaus Krzywokolski ad Rectorem Academiae Naimanum, ut significaret amice, nos inchoaturos scholas nostras sine ullo praeiudicio causae et peteret ab illo, ut iret obviam tumultibus. Fecit utrumque P. Krzywokolski et humaniter a Rectore est exceptus, sed tale ab eo responsum habuit, sibi quidem gratum, quod ita cum eo procedamus, se tamen obviam non iturum, nisi suo modo, ne videlicet simus in pacifica possesione.

Sed nihil effecit.

Respondit P. Krzywokolski, Societatem nihil mali cogitare Academiae et unionem optare. Ad haec Naimanus ait, se unionem nolle et ostendit in libro decretum, ab omnibus subscriptum, in quo prohibentur tractare de hac re nobiscum et ob id et familiaritatem se dixit vetare suis cum nostris, ne occasionem habeant agendi de hac re.

Colloquium P^is Bembi cum Rectore Naimano

Sequenti die obvium casu habuit P. Matthaeus Bembus ad portam domus nostrae D^m Naimanum Rectorem et fere per mediam horam de iisdem cum illo egit, ob quae P. Krzywokolski ad eum miserat addiditque, nostros scholas continuaturos. Respondit Naiman, se non mirari nostros scholas continuaturos, cum male inchoata non semel continuari debeant, sibi tamen non vertendum vitio, quod iis resistat modis debitis. Addidit aliquid contra P. Nostrum Generalem,

Sine ullo fructu.

quod iam apertas scholas propugnat, cum antea eas non aperiendas invitis Academicis significasset. Rogabat eum P. Bembus, ut iure faceret, quidquid posset, modo scandalis obviam iret. Respondit Naiman: Idem vos ex vestra parte faciatis et non ponatis ibi ingenia nimis ferventia. Ita ille nimis fervens eos nostros, qui aliqua serio dicebant, valde ferventes iudicabat. Aliqua etiam coeperat agere circa pacificam possesionem scholarum et conclusit, nos de unione nullo modo debere agere, ad quod illi data opera nihil fuit responsum.

33. Facit idem Naiman Reprotestationem contra Renovationem studiorum.

Intererat eis omnibus Doctor Krosner, qui cum Naimano erat, et quem eorum, quae nobiscum loquebatur, Naiman testem esse voluit. Et ita quidem tunc Naiman a nobis discessit, statimque id reipsa declaravit, quod pollicitus erat, nempe quod resisteret scholis nostris. Misit enim 27ª huius mensis acerbam ad Collegium S. Petri repro-

testationem contra Renovationem studiorum, quam nostri erant inchoaturi.

Mortuus est domi nostrae Laurentius Opocinensis 28ª istius mensis. Hic Opocnae in Minori Polonia honestis parentibus natus, postquam in triviali schola eiusdem oppidi principia litterarum absolvisset, privato postea studio Ruthenicum idioma ita didicit, ut eo et perfecte loqueretur et illud legeret ac scriberet. Adolescens quorundam Regni Procerum et praecipue Dⁱ Kostka [1]) Pomeraniae Palatini obsequiis se dederat in iisque fere 20 annos consumpsit. Deinde Anno Dni 1529 aetatis vero 37 Societati nomen dedit et in noviciatu Cracoviensi tyrocinio peracto, diversis in locis varia Coadiutorum munia non sine magna commendatione peregit maxime in Manuductoris officio per septem annos et in Janitoris, quod 15 annis obibat. Tribus etiam annis in Moschoviam cum P. Gaspare Sawicki (quem Palatinus Sędomiriae [2]) secum duxerat) detentus est. In Poloniam reversus, reliquum vitae in domo S. Barbare transegit, officiis a Superioribus assignatis singulari cum diligentia et alacritate satisfaciens. Cum postremis annis astmate laboraret, extremis mensibus in ipso gutture tuberculo maiore in dies crescente, deglutire cibos non potuit et corpore toto exhaustus Janitoris tamen munus non deposuit, nisi plane ante mortem. Unde 27ª huius mensis, cum se deficere sentiret, Extremam unctionem et SS. Viaticum accepit. Sequenti etiam die iterum postquam et Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentum usurpasset, veluti mortis praescius, vestibus se induit, ne defunctus hunc laborem aliis relinqueret et in lecto se composuit, quasi placide quietem captaturus. Dimisso interim a se Infirmario extremum spiritum agere coepit et eo statim superveniente reque cognita Domesticos campanula convocante, inter eorum orationes placide hora matutina 9ª eiusdem diei in Domino obdormivit. Vixit annos 69, in Societate 34, Coadiutor temporalis formatus ab Anno 1602 28ª Aprilis. Sepultus sequenti die in nostro templo in sepulchro nostro Sacristiae vicino. In mortificatione, humilitate, obedientia, simplicitate fuit conspicuus, sicut et in admirabili laborum tolerantia. Nunquam visus ociosus, quidquid enim a laboribus supererat temporis, totum aut piae lectioni, aut orationi dabat, cuius erat studiosissimus eamque frequenter etiam media nocte surgens peragebat. Solenne illi erat certis diebus singulorum hebdomadarum plateam ante domum nostram sitam scopis verrere, varia hominum turba praetereunte et admirante, quod et in senectute non deseruit, etiamsi cum ingenti defatigatione et sudore id esset peragendum. Volebant non semel Superiores id illi prohibere, senectuti eius compatientes, sed ille humilibus precibus ne id illi prohiberetur obtinebat, asserens id sibi nihil penitus obesse. In aliis etiam abiectioribus obsequiis tota vita sua erat frequentissimus et magnam tum apud nostros tum apud externos sanctitatis habuit opinionem.

Laurentii Opocinensis Patria. Occupationes in saeculo

Et in Societate.

Morbus eius

Et pia mors.

Aetas et gradus.

Virtutes variae

Et labores abiectiores.

Penultima istius mensis missus erat P. Stanislaus Krzywokolski ad D. Naimanum Rectorem, ut cum illo ageret de acerba pro-

34. Iterum P.

[1]) Christophorus Kostka.
[2]) Georgius Mniszech.

Krzywokolski adit Naimanum, sed nihil efficit.

testatione contra nostras scholas facta. Respondit Naiman inprimis se conscio factam, licet eam non legisset. Deinde iussit dicere nostris, ne cogitent de scholis, se illis oppositurum fortissime et ne veniant amplius ad illum in hac materia nec mittant, se ad nos missurum, si necessum fuerit. Et sic dimissus P. Krzywokolski. Eadem tamen die pomeridiano tempore per Bidellos in contuberniis Studiosorum prohibuisse dicitur sub poena arbitraria, ne ullus studiosorum audeat tumultus excitare.

Tabula Indictionis avulsa ab Academicis et forensi columnae affixa.

Eadem die tabula, in qua indicebatur Oratio et Promotio ad scholas, abrepta a S. Petro et ad columnam fori, ad quam sontes virgis excipi solent, per discolos Academicos affixa, spectantibus famulis civium. Dum nostri ad Pro-Consulem in hoc negocio volunt mittere, Alexander Sokołowski, qui tunc Posnania Cracoviam ad perficiendam Theologiam venerat, dum per fatum sub illud tempus iret et affixam tabulam cerneret, eam statim a columna abripuit, circumstantes scholares Academicos acerbe reprehendit et ad S. Petrum tabulam retulit.

Quam avulsit unus ex nostris.

Promulgatio edicti contra pasquillos.

Ultima Augusti promulgata in templis Arcensi, SS^{mae} Trinitatis, Beatissimae Virginis in foro, apud Carmelitas discalceatos edicta Episcopi contra scribentes famosos libellos, de quibus 24^{a} huius mensis diximus.

35. Oratio P^{is} Janczynski de Aemulatione.

Eadem die pomeridiano tempore in maximo auditorio P. Raphael Janczynski Rhetor apud S. Petrum orationem habuit de bona aemulatione in aula maiori. Quidam ex Academicis argumentum orationis reprehendens: Egregium vero thema invenistis, ut videlicet Jesuitae semper cum Academicis contendant. Nolebat advertere quantum a contentionibus et rixis distet bona aemulatio.

Finis litis inter nostros et R. D. Foxium. Occasio eiusdem.

Circa finem huius mensis impositus finis liti inter R. D. Foxium, Commisarium Sedis Apostolicae, et nostros, quae ab initio Aprilis coepta erat, cuius hic summam breviter perstringemus. Senserat D. Joannes Zerzynski Officialis Cracoviensis decretum Nuncii Apostolici Lancelloti, 26^{a} Junii anni superioris latum, quo declarabatur excommunicatio ab illo facta contra P. Angelum nulla, temeraria, iniusta. Ideo ab hoc decreto per suum Plenipotentem ad Sedem Apostolicam appellaverat, novum Commissarium iudicem pro hac causa D. Joannem Foxium impetraverat. Hic ergo Commissarius P. Joannem Wielewicki et P. Christophorum Angelum citaverat, ut vel per se ipsos, vel per legittimos Procuratores sese presentarent ad vi-

dendas et audiendas Commissionis litteras et ad fundandam iurisdictionem. Assignati per R. P. Provincialem Georgium Tyszkiewicz pro praedictis nostris tres Procuratores, coniunctim et divisim et quilibet in solidum: P. Gregorius Cislak, P. Valentinus Rusconius, P. Nicolaus Szelski, quia de iure communi actiones iuridicae contra Religiosos non exercentur, nisi prius contra Superiorem dirigatur actio, vel fiat cum expressa eius licentia. His ita constitutis, agitabatur hoc nostrum negocium superioribus mensibus acriter. Nostri enim a decreto, quo se D^s Foxius Judicem constituerat, appellarunt et eum huius causae Judicem esse non posse ostendebant, tum quia esset suspectus, manens confrater Officialis, ius enim affirmat tales confratres iudices competentes esse non posse, tum quia electio iudicis fuit facta ab altera tantum parte, non citatis nec consentientibus partibus, cum tamen de iure et de communi praxi Judex de consensu utriusque partis sit eligendus. Deinde fuse nostri ostendebant D^i Zerzinski sententiam excommunicationis, contra P. Angelum latam, multis ex causis fuisse nullam et iniustam optimeque a Nuncio Apostolico fuisse revocatam et annullatam. Adversarii e contra omnia haec reiicientes, post fundatam Jurisdictionem, post citationem ad litem contestandam et alia varia, tandem citarunt nostros ad audiendam sententiam. Interim nostri 27^a Junii Breve a Sede Apostolica impetrarant, ut coram R^mo D^o Thoma Oborski Suffraganeo Cracoviensi et novi deligerentur ab utraque parte Judices in hoc negocio et inhibitio fieret totius processus a D^o Foxio facti ad finemque deducendi. Accepto hoc Brevi R^mus D^s Oborski, 25^a huius mensis facta praedicta inhibitione, utramque partem tanquam Commissarius Apostolicus ad deligendos novos iudices citat. Nostri parati erant ad Judices non suspectos deligendos, pars adversa se deliberaturam respondit. Sicque haec res terminata est. Sequenti enim anno 19^a Aprilis D^s Zerzynski tot tricarum promotor et incentor mortuus est, cum eoque tot tricae sepultae.

Assignati pro nostris per P. Provincialem Procuratores.

Appellant nostri a Judice iustas ob causas.

1°

2°

Ostendunt excommunicationem iniustam.

Adversarii reiiciunt omnia.

Sed secuta inhibitione et citatione pro aliis iudicibus

Res accipit finem.

Copiosam per mensem Augustum eleaemosynam pecuniariam, nempe fl. 1388 domui nostrae Dominus submisit. Nempe a D^a Catharina Gortacka fl. 1000. A Palatina Lencicensi fl. 100. A variis per P. Wągrowski fl. 212 A R^mo D^o Suffraganeo fl. 30. Ex mendicatione Virginum fl. 19. Reliqui ab aliis. Iam carnes, vinum, casei, butyrum, panes, cervisia submissa fl. 52 constabant.

Eleaemosyna Augusti.

36.

P. Laurentius Pikarski, Calissio Cracoviam ad legendam Philosophiam vocatus, 1^a Septembris insignem orationem habuit de laudibus Philosophiae ad

Oratio P^is Pikarski.

initium suarum lectionum cum maxima Auditorum, qui multi et nobiles aderant, approbatione.

Discessus P^is^ Bembi.

Eadem die P. Bembus Vice-Provincialis sub hoc tempus discedens Cracovia Sędomiriam et ad aliqua alia nostrorum loca, ob certas quae intercesserant necessitates, P. Stanislaum Krzywokolski, ut interim vices Praepositi S. Barbarae obiret, iussit, quod per Septembrem et Octobrem mensem duravit.

Poti duo Academici

Duo Academici, Magistri Petrus Dąbrowski et Sebastianus Micius, sub hoc tempus ob certos excessus ex Academia proscripti, dum 5^a^ huius mensis circa vesperam bene poti ex quodam hospitio redeunt, penes Collegium S. Petri subsistunt. Ex iis unus portam Collegii excutere, gladio evaginato nomen SS^m^ Jesus in ea pro more depictum, non haereticos tantum, sed etiam Judaeos imitatus, excindere, ac nos omnibus calumniis onerare, vociferatione ebriosa adiuncta, non dubitavit. Hoc dum fit, unus ex Fratribus nostris Adiutoribus, Andreas Solscensis, per portam templi apertam insciis Superioribus egressus, vecte arrepto illum ebrium portam excindentem percutit. Reliqui nostri ante portam stantes cognoscentesque ex voce Andream et metuentes, ne vel ab effusa multitudine, quae confluxerat, vel ab aliis duobus ebriis aliquid gravius illi immineat, portam aperiunt ob capiendos illos ebrios et Magistratui praesentandos acceptisque fustibus nonnulli praedictos ebrios aggrediuntur. Inter nostros unus ex Theologiae Auditoribus Alexander Sokołowski (qui non ita pridem ex militia ad Societatem vocatus erat) unius iuvenis ibidem assistentis ensem e vagina eximit et illo in planum converso illum ebrium portae excisorem percutit ac in terram prosternit, quae tamen prostratio ebrii a vino potius et metu, quam a violentia percussionis accidit. Tunc etiam unus ex nostris Adiutoribus eidem ebrio arma eripuit et iisdem eum excussit. Brevi post ille percussus proripuit sese ad contubernium Iuristarum, Collegio nostro vicinum, metuens ne a nostris caperetur profugit, nam socium eius, qui etiam eandem portam excutiebat, ad Collegium nostri duxerant et brevi R^mo^ D^o^ Suffraganeo et Admodum R. Dno Kretkowski supervenientibus in manus tradiderant. Hac occasione concitantibus furibundis contra nos Academicis et falsissimas per varias Regni Provincias contra nos litteras spargentibus, ingens contra nos variorum, uni tantum parti, altera non audita, credentium, vociferatio. Alii enim nos Crucigeros seditiosos ac sanguinolentos vocabant. Alii illum percussum a nostris ex vulneribus esse mortuum asserebant et alterum

Aggrediuntur portam S. Petri.

Egressi nostri aliqui

Eos deiiciunt Et in terram prosternunt.

37. Unum in Collegium inducunt et eum postea praelatis reddunt.

Quantis calumniis hac occasione simus onerati.

similiter ob vulnera iam esse morti proximum etc. Sed mentita est iniquitas sibi. Uterque enim nullum vulnus incisum habuit, licet nonnihil concussus fuerit, uterque eodem die vias suas abiit et multis post annis vixit. Utinam vero uterque mores correxisset et ea, quae patravit, poenitentia eluisset. Et non probarunt quidem Superiores aliquorum istorum nostrorum fervorem, quo et periculo se exposuerant et aliqua modestiae religiosae contraria admiserant, ideoque poenas certas illis imposuerunt: circumstantiae tamen plurimae horum, quae praedicti ebrii contra nos machinati sunt, vel excusant, vel extenuant praedictum fervorem.

Nostrorum fervorem non probarunt Superiores.

Iverat 9ª illius mensis P. Fridericus Szembek Zborovum ad D. Capitaneum Cracoviensem Comitem a Tarnow et varia illi retulerat de nonnullorum conspiratione contra eius pedites facta ab adversariis variisque eorum periculis, sed his non credidit Comes et prudenter, nam cum postea domum rediisset P. Szembek, nihil horum invenerat. De aliis item ad nostrum Collegium pertinentibus cum eodem Capitaneo tunc actum.

P. Szembek Zborowum contendit.

Conceserat superiori anno 23ª Novembris Pontifex Maximus Urbanus VIII Sacrum et Officium de Beato nostro Francisco Borgia pro nostris tantum et pro illis solis externis, qui in ditionibus Familiae Borgiae versarentur. Iam 11ª huius mensis extendit praedictam concessionem ad omnes alios tam saeculares, quam religiosos. Idem Pontifex concessit Missam et Officium de tribus nostris Martyribus Japoniis 15ª eiusdem mensis pro omnibus.

Extenditur Officium de B. Borgia ad omnes.

De tribus Martyribus Officium permittitur.

Eadem 15ª istius mensis R. D. Laurentius Starczewski Custos Cracoviensis, praesente R. D. Kretkowski, reddidit litteras Episcopi Cracoviensis Naimano Rectori, et oretenus retulit eidem mandata eiusdem, quorum haec erant puncta: 1ᵘᵐ Aegerrime ferre Episcopum, quod suos non contineat in officio et quod prospiciens tumultum non fuerit egressus ad eum sedandum, si non propter scholas Societatis, saltem propter suos Confratres Canonicos, tunc in periculo versantes, debuisset id facere. 2ᵐ Quod ex fenestra incitarit ad tumultum iuventutem meritoque credi posse, ipsius tacito cosensu haec omnia fieri, cum non impediat efficaciter nec excludat. 3ᵘᵐ An agnoscat Nowicki et Gomoliński pro suis et an inquisitionem fecerit statim, ut conveniebat. 4ᵘᵐ An similiter Micium et Dąbrowski agnoscat pro suis. 5ᵘᵐ Si concisa tabula cum nomine Jesu ad Romanam Curiam delata fuerit, merito suspicionem haeresis de Academia haberi posse. 6ᵘᵐ Si in Comitiis auctor tumultuum inventus fuerit et

38. Proponit Episcopus Naimano Rectori 1ᵘᵐ

2ᵘᵐ

3ᵘᵐ

4ᵘᵐ

5ᵘᵐ

6ᵘᵐ

apud Episcopum accusatus, cavendum, ne Canonicatu privetur loco-
7um que deiiciatur. 7um Indignum esse, quod Societatis homines a suis
colloquiis arceat et P. Krzywokolski, Academicum se antiquiorem,
Respondet inhumaniter exceperit. Ad haec singula respondit more suo. Ad 1um
Ad 1um Se non egressum ideo, ne in suspicionem apud suos veniret, quod
2um faveat Jesuitis. Ad 2um Negavit absolute, affirmans se etiam iura-
mento purgare velle neque se reum taciti consensus. Ad 3um In-
quisitionem se facturum et qui rei inventi fuerint, eos pro suis non
agniturum, interim se eos non posse excludere, dum non constat de
facto. Ad 4um Eos pro suis non agnoscere et scripto ostendere per
statuta Academica reipsa exclusos. Ad 5um et 6um se operam datu-
rum, ut omnia sint in pace, quamdiu fuerit Rector, noluisse se hoc
officium, sed coactum ab Academia. Ad 7um Se benevole nostrum
excepisse, sed cum de scholarum permissione ageret, audire noluisse.

D. Abraha- Mortuus 25a istius mensis Spectabilis Dus Abrahamus Ronen-
mus Ro- berg Consularis Cracoviensis et Pharmacopola, vir de Civitate Cra-
nenberg coviensi et de nostra Societate optime meritus. Habuit is Parentes
moritur. Arrianos opulentos et pertinaces, in eademque haeresi ad annum
Eius con- aetatis 26 permanserat, sed privatis colloquiis Pis Martini Lascii et
versio. suavi ac simul efficaci eius procedendi modo, quem in disputatio-
Virtutes nibus cum eo habitis servabat, magno cum dolore haeresim abiecit
variae. et tota deinde vita ferventissimum se Catholicum exhibuit. Boni
communis semper erat studiosissimus, prudentia, modestia, affabilitate
et mira cum hominibus agendi dexteritate omnes in amorem suum
rapiebat. Pauperum perpetuus patronus et benefactor erat diligentis-
simeque singulis diebus Dominicis Confraternitatem Misericordiae
frequentabat, consilia et auxilia iuvandorum pauperum praebens. So-
39. cietate mnostram semper affectu tenerrimo complectabatur multaque
Beneficen- eius in nos, in templum ac domum S. Barbarae extant beneficia.
tia in no- Nam et Altaristam apud Beatissimam Virginem ita fundavit, ut obli-
stram So- gationem haberet ad Sacra vesperasque per modum diaconi ser-
cietatem viendi in nostro templo, et ut domui S. Barbarae annui floreni 30 pro
eleaemosyna darentur, certam summam Sodalitati Misericordiae as-
signavit et plurima alia in nostri gratiam defensionemque nobis sub-
mittebat. Non parva etiam pro templo Bmae Virginis largitus est et
in eodem templo, postquam praedicta die omnibus Sacramentis mu-
Micius et nitus pie obiisset, sepultus est.

Cognitis iis, quae Sebastianus Micius (seu ut se ipsum vocabat

Miciński) actu Presbyter et Petrus Dąbrowski Clericus contra nostros fecerant, Episcopus Cracoviensis eos ad se citaverat et cum non comparerent, aliam citationem in eos sese occultantes, sub excommunicationis poena dare iussit simul iniungens, ut ex suggestu citatio legeretur, quae 26ª Kielcis data erat et manu Samuelis Halonae Notarii subscripta. Sed quia termino instante pestis pericula ingruerant et Nostri, ut executio fieret, contra istos suos hostes non urserant, ideo res eum effectum, quem debuit habere, non habuit.

Dąbrowski citantur ad Episcopum,

Sed ob pestem negocium non continuatur.

Prodierat ante aliquot annos unus liber sine nomine authoris cum tali inscriptione: Theologi cuiusdam epistola ad quendam etc., in qua occasione consilii, quod dabatur de deligenda religione, tractabatur fuse de eo, in quo perfectior religio consistat: An in asperitate victus et amictus et an vero in maiori Dei et proximi amore. Cum vero hoc posterius praeferebatur priori, multi arripuerunt occasionem authorem dictae epistolae traducendi tanquam eum, qui asperitates vestium, ieiunia, cantum in choro etc. damnaret et multa commoda ac vitam delicatam a poenitentia externa abducentem induceret. Quia vero sine nomine authoris liber erat in Germania impressus, a nostro omnino et non ab aliquo alio compositum, passim varii affirmabant. Nec sane eos fefellit opinio, author enim eius erat P. Nicolaus Lancicius et satis inconsulte eum in Germania edere curavit. Communis erat fama, eum id insciis Superioribus fecisse. Et verum quidem erat, forsan a P. Tyszkiewicz Provinciali hunc librum visum, antequam in lucem prodiret, an autem eum, vel ipse approbaverit, vel Censoribus ordinariis in hac Provincia examinandum dederit, prorsus non constat. Passim enim nostri conquerebantur de illo edito, modo insolito, nempe sine examine Censorum et sub tale tempus, quo Cracoviae Academici omnem possibilem rabiem contra nos depromebantur. Itaque hoc mense inprimis PP. Carmelitae discalceati et Prior illorum Cracoviensis Monasterii S. Michaelis, deinde PP. Bernardini de Observantia privatim et publice librum istum tanquam haereticum damnare, etiam in concionibus, et per eum omnes asperitates, cum tanta laude a tot Sanctis susceptas, conculcari vitamque delicatam induci cum maximis exaggerationibus ostendebant ac ex professo e loco superiori eundem librum ita confutabant, ut licet nostrorum mentionem non facerent, auditores tamen omnia eorum contra nos fulmina dirigi clare adverterent. His clamoribus furores Academicorum, iam satis contra nos concitati, magis ac magis concitabantur, ob quos tum sanctarum Religionum nos calumniatores persecutoresque, tum delicatos religiosos passim vocabant. Haec ubi intellexit P. Bembus (nam, uti supra diximus, ad nonulla loca nostrorum discesserat) post suum ex itinere reditum, 10ª Decembris, misit P. Szembek ad Superiorem Discalceatorum, expostulans amice de concionatore ita nostros perstringente et petens, ut in scripto haereses libri praedicti sibi daret, ut si verae sunt, a nostris etiam confutarentur, si vero non sunt, contra calumnias et calumniatores in foro competenti agere posset. Pollicitus est Prior suos brevi ad nos missurum et per eos responsum daturum, qui etiam post aliquot dies venerunt et ex montibus parturientibus

Liber Theologi cuiusdam

Occasionem dat calumniis.

Quis eius author.

40.

Carmelitae discalceati et Bernardini de Observantia contra eum debachantur Et contra nos multos concitant.

Petunt nostri a discalceatis, ut haereses, quas iactitabant, in scripto darent.

Veniunt sed nihil probant.

Dimittuntur cum fraterna correptione. Unus illorum Romae librum refutat Et recudit in Polonia sed parum efficit. Cur Pater Generalis non permiserit defendi hunc librum a nostris.

natus est ridiculus mus. Ex eo enim, quod liber esset editus sine authoris nomine, et ex aliis nullius momenti rebus volebant haereses inferre. Ostensum illis, si aliquis nomen suum reticeat et sine scitu ordinarii librum edat, posse eum in censura aliqua esse, non tamen ideo esse haereticum. Instabat ergo P. Bembus, ut in scripto istas haereses illi darent, alias se aggressurum id, quod illis iniucundum erit. Addidit idem, quam multa Societas pro illis Cracoviae, Posnaniae, Lublini, Leopoli aliisque in locis fecerit et quam multa ab iis iam sine causa patiatur. Sic sunt dimissi cum iterata petitione de haeresibus in scripto mittendis. Non comparuerunt postea nec in scripto quidquam dederunt. Sed unus ex iis Nicolaus....[1]) Romam sese conferens, contra praedictum librum, cum approbatione Magistri Sacri Palatii, edidit responsum et reversus in Poloniam illud recudere, Pocillatori Regni Stanislao Lubomierski dedicare ac Regni Proceribus, Praelatis, Nobilitati aliisque cum suis sociis ita distribuere non dubitavit, ut omnes intelligerent, eum contra nos fuisse scriptum. Sed parum huius libri distributione sunt lucrati, imo per eam non paucos ex amicis acquisiverunt hostes ideoque ab eo distribuendo cessarunt. Obtulerat se P. Bembus Admodum Rdo P. Nostro ad hunc librum, si in eo Magister Sacri Palatii nihil erroris invenisset, defendendum omnesque obiectiones confutandas. Sed id non concessit R. P. Noster, illam potissimum ob causam, quod librum sine nomine authoris editum nostros defendere non expediret.

Inquisitio Episcopi inserta actis.

Hoc etiam mense Inquisitio, quae nomine Episcopi facta erat circa tumultum, in quo Przepiórka est occisus, relata est in acta Consistorii, ut videlicet esset perpetuum nostrae innocentiae testimonium.

Eleaemosyna Septembris.

Data nobis per mensem Septembrem eleaemosyna pecuniaria fl. 130. A Do Wizemberg fl. 15. Ex mendicatione pro piscibus et aliis fl. 36. Post mortem Di Mauritii fl. 12. A Rmo Do Suffraganeo fl. 10. A reliquis fl. fere 25 etc. Triticum, siligo, vinum, carnes, panes, casei, butyrum, quae sunt submissa, aestimata sunt fl. 87.

41.
Festum B. Borgiae. Supplicationes ad templum S. Petri ex variis templis.

Festum B. Borgiae Francisci 1a Octobris solenniter peractum in templo nostro cum utrisque vesperis et Sacro cantatis et cum concione matutina.

Constituerat Episcopus Cracoviensis cum Venerabili Capitulo superiori anno, ut in festo Gratiarum actionis ob victoriam de Turcis relatam sub Chocimo, Anno 1621, supplicationes solennes ad templum SS. Apostolorum Petri et Pauli 10a huius mensis fierent ex templis aliis. Hoc igitur anno id ad praxim deduci coeptum, sed imperfecte. Nam exceptis processionibus Cathedralis templi, S. Stephani, SSmae Trinitatis, aliae non comparuerunt, quod nonnuli putarunt ex machinationibus Academicorum, nobis infestorum, prodiisse. Sequenti tamen anno et reliquis aliis hic error correctus est.

---

[1]) Nomini postea, ut patet, inscribendo spatium est relictum in Manuscripto.

Brzoscii litterae ad Ministrum haereticum contra nos.

Penultima istius mensis litterae Joannis Brzoscii Academici Medicinae Doctoris et Astrologi ad haereticum Pseudoministrum Wielkonocensem Andream scriptae, deprehensae sunt, cum quibus ex summo nostri odio miserat Prophetiam S. Hildegardis, antea occasione scholarum Cracoviensium impressam et per Poloniam sparsam.

Tenor litterarum.

Harum litterarum talis est tenor et inprimis talis inscriptio: Admodum Rndo in Christo Patri Domino Andreae Praedicatori Wielkonecensi amico charissimo. Deinde sequitur epistola: Admodum Rnde Dne et Patrone S. P. Quia Dominum Andream Petricovium cognovi familiarem esse Rndae Dominationi Tuae, cuius opera nunc utor in nonnullis rebus pro Academia, maiorem in modum peto, ut in istis rebus eum adiuvet consilio aliisque, quae opus requirat. Ego isto nomine obligatus ero Admodum Rndae Dominationi Tuae, ac si qua in re potero inservire, habebit me promptissimum. Veniam aliquando illuc, ut humanitate R. D. T. frui possim ac vivas audire et reddere voces. Mitto R. D. T. prophetiam S. Hildegardis. Mirum est, quam depinxerit nostros Jesuitas. Non ovum ovo similius. Plura coram. Bene et feliciter valere cupio R. D. T. Cracoviae ex Collegio Maiori die 3 Octobris 1625. Admodum Rdae D. T. addictissimus Joannes Broscius Doctor Medicinae ordinarius in Academia Astrologus manu propria.

Mittitur impressa prophetia S. Hildegardis.

Haec epistola in libros Castrenses est inserta et eius authenticum cum testimonio Gabrielis Comitis a Tarnow Capitanei Cracoviensis propria manu subscripto et sigillo munito, servatur hucusque in domo S. Barbarae.

Inseritur epistola actis Castrensibus.

Porro ille Andreas Petricovius, cuius facit mentionem, non est hic Doctor Iuris, Consularis Civisque Cracoviensis ac Regius typographus, tot Sacrorum et variorum aliorum librorum impressione praeclare de Ecclesia Dei et de Republica meritus, sed alius quidam haereticus, sive hoc nomen et cognomen ob fraudem occultandam sibi imposuerit, sive antea illud habuerit. Iam Prophetiam S. Hildegardis de verbo ad verbum in libro Antigratis fol. 422 vide, ubi sequentibus multis Capitibus ostenditur, quam falso et impie applicetur Societati additurque simul, de quo probabiliter sit intelligenda. Ita infelix Brzoscius infelicem Naimanum Jacobum suum Rectorem, famosum libellum Reprotestationis apud haereticum typographum Torunensem imprimentem et unum e Magistris Academicis Piotrowicki dictum, ut operi attenderet eo mittentem, imitari voluit et Buccinatorem haereticum nulla ratione, vel status Clericalis, vel Academiae Cracoviensis Catholicae habita (ratione),

42.

Quomodo Broscius hac in re sit imitatus Naimanum.

ideo Admodum R. D. Praedicatorem vocare est ausus, ut contra nos cum illo conspiraret. Diabolicum odium adeo istos miseros occupavit et excaecavit, ut non solum haereticos, sed et ipsos daemones contra nos evocassent iisque se coniunxissent, id enim non pauci ex iis dicere sunt ausi.

Quam diabolicum horum hominum odium.

Missio cum D° Suffraganeo.

Hoc etiam mense P. Adamus Ustinius et P. Joannes Zegocki cum R^mo D° Suffraganeo Cracoviensi Thoma Oborski iterum ad consuetam missionem sunt profecti in eaque solito cum fructu versati.

Eleaemosyna Octobris.

Eleaemosyna Mensis Octobris in pecunia erat fl. 348. A Virgine Anna Nisczanka fl. 200. A Serenissimo Rege fl. 60. A Palatino Cracoviensi fl. 28. A Fraternitate Misericordiae fl. 15 post mortem D^i Abrahami. A R^mo D° Suffraganeo fl. 10. Ab aliis reliqua. Iam duo magna vasa vini, missa ex Moravia a P. Jona Ladnicero, frumentum, aromata, carnes, casei, butyrum, prandium a Virgine Wieloweiska, pisces, olera, panes ab aliis submissa constiterunt fl. 339.

Compositio cum Kosacis.

Post varia bella satis molesta ac periculosa, quae intercesserunt hoc anno Regio ac Republicae exercitui cum Kosacis, tandem cruenta victoria ex iis reportata 6^a Novembris, conditiones illis Regis ac Reipublicae nomine sunt variae propositae assignatusque est iis novus Supremus Praefectus Michaël Dorosienko, qui statim iuramentum fidelitatis Regi ac Reipublicae praestitit et sancte inter caetera pollicitus, nec per se, nec per suos sine Regis ac Reipublicae scitu terras Turcarum imperatori subiectas ingressurum, vel novum exercitum convocaturum etc. Deinde omnes conditiones a Commissariis Regis ac Reipublicae propositas, quoad omnia contenta diligentissime servaturum, non amplius, quam 6.000 numerum Kosakorum habiturum, qui singuli conscribendi erunt etc. Et multa alia Reipublicae incolumitati servientia cum illis sunt constituta in Castris na Niedzwiedzych Lozach, vel Kamkowa. Vide litteras hac de re fuse scriptas. Non diu tamen miseri Kosaci hunc constitutum ordinem servarunt, pro innata sibi inconstantia et rerum novandarum turbandarumque consuetudine.

Juramentum Supremi eorum Praefecti et conditiones.

43. Typographus haereticus capitur.

Cum litteris Brzoscii ad Ministrum haereticum datis, de quibus in fine praecedentis mensis egimus, deprehensus etiam erat ab officio Castrensi Typographus haereticus, qui varios famosos libellos et maxime eum, cui Brzoscius titulum Gratis dederat contra Societatem, Wielkonocis Academicis diffamatoribus submittentibus materiam, impresserat ac se Andream Petricovium vocaverat. Deprehensa praeterea cum illo plurima exemplaria libelli Gratis aliorumque pasquillorum

Cum libris, quos impressit,

et ex incarcerato cognitum manifeste de Brzoscio libri authore et de multis aliis. Examinabatur hoc negocium multo tempore, et constituerat omnino Comes a Tarnow, Capitaneus Cracoviensis, Typographum capitali sententia punire, tanquam famosorum libellorum disseminatorem, authorisque mentionem in proclamatione facere; sed tandem persuasum erat illi a nostris et ab aliis, ut et mitiori poena typographus puniretur et nec authoris libri aut Academiae nec nostri in decreto, sed solius tantum typographi mentio fieret, salva actione contra authorem pasquilli. Talis ergo 20ª Novembris contra typographum fertur sententia, ut licet mortem fuerit promeritus, leviorem poenam subeat, nempe ut publice in foro manu carnificis flagelletur, ex civitate Cracoviensi proscribatur et ut omnes libri penes eum reperti in eodem foro exurantur per carnificem. Statim horum omnium, tribus fere ante meridiem horis, executio est facta in foro Cracoviensi, ad quod dum deduceretur typographus, praeferebantur simul illi libri famosi reperti, exurendi. Factum id est cum ingenti haereticorum Cracoviensium et Academicorum dolore et confusione. Et sane, quia in libello famoso, contra nos scripto, imitatus erat Broscius Naimanum, ideo etiam Deo sic disponente, sicut Naimani liber decreto Regio per carnificem in foro Varsaviensi publice est exustus, de quo Anno 1623 21ª Mai diximus, ita etiam Broscii pasquillus contra nos in foro Cracoviensi per carnificem exureretur decreto Magistratus.

Examinatur.

Proscribitur Cracovia et flagellatur in foro.

Libri ab eo impressi exuruntur.

In quo eodem modo proceditur cum Broscio et Naimano.

Ob ita punitum typographum aliquid asperius locutus erat contra Capitaneum et contra Regem, uti ferebatur, Dnus Franciscus Caesarii, civis et typographus Cracoviensis. Relatum id est Capitaneo, qui statim Vice-Regentem Dm Martinum Rozanka cum 20 peditibus in eam domum, in qua manebat Caesarius et quae erat Academica, 22ª huius, misit ac fustibus peditum graviter excussit, illa identidem inter verbera Vice-Regente repetente: ne de magnis viris male loquatur. Redeuntem a tali facto Vice-Regentem cum peditibus, lapidibus et clamoribus impetebant Academici, sed ipse prudenter omnia sustinens, ne sclopos pedites exploderent, prohibuit. Molestum erat Academicis in domo Academica ita tractatum domus incolam, de qua re etiam ipse Rector privatim conquerebatur. Licet porro totum id nobis insciis factum fuerit et si scivissemus, pro ea, quae nobis cum Do Francisco intercedit amicitia, modis possibilibus occurissemus, quia tamen occasione haeretici puniti ob pasquillos, contra

Concutitur Franciscus Caesarii manda to Capitanei.

Totum id nostris scribitur.

nos impressos, hic casus contigerat D° Caesario, ideo nobis passim tribuebatur et contra nos non leve populi aliorumque murmur erat exortum. Sparsus etiam sub idem tempus, ad odium et contra Capitaneum et contra nostros concitandum, quod ex plagis D° Caesarius fuerit mortuus, sed falsum fuisse res ipsa ostendit.

44. Episcopus monet, ut respondeatur Brzoscio. Restituuntur ob nostram intercessionem varia.

Lecto libro Brzoscii contra nos, Episcopus Cracoviensis exhorruit tantas calumnias et statim nostros monuit 24ª istius mensis, ut quamprimum ad eum respondeamus.

Quia dum iussu Capitanei libri famosi a peditibus in arcem accipiebantur, multi simul alii libri non haeretici et nonnulla alia cum libris ablata erant, itaque 26ª huius mensis et aliis sequentibus diebus intercedebat P. Szembek apud Capitaneum pro variis, ut iis arrepta restituerentur, quod et factum est. Inter hos erant quidam Chuchwecki Baccalaureus putatus et Scotus Caecus Calvinista et alii non pauci.

Modi quibus nos defendamus in Comitiolis proponuntur.

Circa idem tempus acceptis primis litteris P. Bembus ab Admodum Rdo P. Nostro, post notitiam de morte P. Provincialis, quibus illi negocium S. Petri singulariter commendabat, consultationem instituit cum antiquioribus Patribus et gravioribus, quos Cracoviae tunc habere potuit, de eo, an nos contra adversarios in Comitiolis Prosovicensibus (contra adversarios) defendere debeamus et quomodo. Deinde an respondendum sit pestilenti libello Broscii, contra nos edito et iam in multis locis sparso. Et quod nos defendere debeamus in adeo atrocibus iniuriis et contumeliis, manifestum omnibus visum. Modi defendendi varii propositi. 1ᵘˢ Ut ab aliquo ex Magnatibus amicis petamus, ut ab Nobilitate petat postulatum a Rege de modo inter nos et Academicos concordiae inveniendae et praeterea Nobilitati declaret, nos non subterfugere aequas conditiones pacis cum eis ineundae. 2ᵘˢ Ut nostri offerrent scriptum aliquod in Comitiolis, nostrum declarans negocium. 3ᵘˢ Ut Marsalco conventus litteras, a Societate de hac re scriptas ad Comitiola, in manum dent. 4ᵘˢ Ut Rex in Comitiis generalibus Regni Nunciis proponat deliberationem de modo componendae istius discordiae, ita ut pars utraque sua munia exercere possit. Conclusum hos omnes modos adhibendos, non tamen esse necesse, ut nostri in Comitiolis compareant, ne aliqua afficiantur contumelia. Conclusum praeterea de litteris scribendis ad varia Regni Comitiola et de instructione ad Nobilitatem pro iis, qui nomine nostro negocium hoc essent tractaturi. Conclusum denique

de conscribenda responsione ad conscribendum (sic) libellum Gratis inscriptum, in quo et iniqua modi agendi Societatis nostrae traductio ac in pessimam partem interpretatio et plurimae calumniae contra nos atroces continebantur. Assignatus hic labor responsionis P. Friderico Szembek, sicut epistolarum scribendarum ad Comitiola varia P. Stanislao Brzechffa. Et de responsione paranda contra Gratis.

Gabriel Comes a Tarnow Capitaneus Cracoviensis 27ª istius mensis ad Jacobum Naimanum Academiae Rectorem misit Vice-Regentem D. Martinum Rozanka et Dᵐ Kangowski ac (sic) aliis nobilibus simulque cum Ministeriali, petens, ut in scripto daret responsum, velitne aut castigare aut defendere Broscium in causa famosi libelli Gratis dicti. Respondit Naiman, se in scripto non responsurum. Et ad Ministerialem conversus: Protestor — inquit — coram te, me haec, quae contra Jesuitas scripsit Broscius, approbare. Si in aliquo Magnificum D. Capitaneum etiam uno verbo laesit, vel etiam alias personas, puniam illum. Quantum spectat ad litteras ad haereticos datas, mittat mihi Mfcus earum copiam; ita eum puniam, ut tota Ecclesia sit contenta. Mater enim Academia manens Catholica nunquam haereticis iungi volebat, idque etiam iam faciet. Haec eius responsio sequenti die relata est in acta Castrensia, ut suo tempore extrahi possit.

45. Naiman iuridice interrogatus, Omnia in libro Broscii contra nostros scripta approbat, Praeter litteras ad haereticum. Inserta actis Castrensibus responsio

Sub idem tempus Joanne Herbort de Fulstin Castellano Camenecensi paralysi tacto, eius coniux afflictissima post varias eleaemosynas, preces et templorum visitationes, postremo in templo nostro ad altare B. Stanislai votum fecit certarum orationum, per singulos dies in honorem eius recitandarum et promovendi eius cultus, si maritus pristinam valetudinem recuperaverit. Postquam e templo S. Barbarae rediisset ad hospitium, invenit maritum et manu, quam antea movere non poterat, non male utentem et liberius, quod ante non valebat, loquentem. Grata igitur tanti beneficii, Confessione praemissa, SSᵐᵃᵐ Eucharistiam ad altare Beati sumpsit et tabellam argenteam affixit. Auxilium B. Stanislai in Dno Herborto.

Libellum Pⁱˢ Bembi approbavit tandem Praepositus Corporis Christi Martinus Kłocinski, sed viva voce tantum non scripto, ne videlicet sese exponeret invidiae, addebatque sufficere, dum illa clausula addatur: Cum scitu et consensu Ordinariorum. Approbatio libelli Pⁱˢ Bembi.

Dominica 1ª Adventus, quae in 30ᵃᵐ huius mensis inciderat, P. Melchior Sulkowicz pro concione, ea quae contra nostros ratione typographi flagellati et Caesarii percussi dicebantur, modeste refutavit et ostendit, cum primo iure processum, nobis nunquam instigantibus, de percussione autem Caesarii nos nihil penitus scivisse, enumeransque varias Eclipses occasione Evangelii, inter quas Apologia nostrorum pro concione.

famae denigrationem adferebat, cavendum esse a detractione famae, diligenter monebat.

Exequiae Ducissae Zaslaviensis.

Eodem mense peractae in nostro templo funebres exequiae pro Virgine Susanna Ducissa Zaslaviense. Cantatum Sacrum funebre et alia privata lecta, Cenotaphio mediocri erecto ante altare, stemmatibus eius ac pileo Ducali exornato.

Eleamosyna Novembris.

Accepimus mense Novembri 127 fl. eleaemosynae pecuniariae. A D° Razik legati fl. 40. Legati ab uno lanione fl. 25. A D° Gabriele Szembek 12. A variis aliis fere 50. Triticum, siligo, pisa, pisces, aromata, pultes, casei, butyrum, vinum, prandium a D^a^ Succameraria[1]), carnes variae, mel, olera constiterunt fl. 310.

46. Peste infectus unus pauper scholae parochialis.

Pauper mendicus ex schola Parochiali B^mae^ Virginis, qui plurimum nostram familiam domesticam vexabat, circa initium mensis, ob pestem ante haustam, in tugurium in silva Dąbie extructum deductus, partim fame, partim frigore aliisque incommodis mortuus est, cum 15 diebus in tugurio praedicto supervixisset.

Decretum Naimani de promoventibus scholas Societatis, quod sunt periuri Academiae.

Jacobus Naiman Academiae Rector, contendens semper aliquid novum contra scholas Societatis excogitare, curavit Cracoviae, imprimi decretum 3 Decembris, in quo nomine suo et totius Academiae declaravit, omnes, qui promovent scholas Societatis Cracoviae, agere contra iuramentum, quod fecerant, dum ad Academiam admitterentur, et esse periuros. Mirabilis sane Theologus cum suis, qui rem maxime exornantem facit periurium, nec expectandum aliud erat ab homine Theologiae penitus ignaro.

Festum S. Barbarae.

Et festum S. Xaverii 2^a^ huius mensis et festum S. Barbarae 4^a^, consueto concursu ad Sacramenta Ponitentiae Eucharistiaeque peractum est. Et quidem in festo S. Xaverii interfuit in Collegio S. Petri declamationi in honorem Sancti

Hospites apud nos.

praedicti Comes a Tarnow. In festo etiam S. Barbarae nobiscum prandium sumpsit cum Rndo Dno Erasmo Kretkowski, Canonico Cracoviensi, D° Kozuchowski Vice-Capitaneo, D. Rozanka Vicegerente et D° Parocho Więclaviensi. Multa tunc nobiscum contulit Comes de modo occurrendi iis, quae contra nostros in Comitiolis proponenda videbantur et approbabat ea, quae superiori mense a nostris erant conclusa. Miserat etiam unum ex suis velitem ad Generalem Maioris Poloniae Sandivoium Czarnkowski, Palatinum Lencicensem, cum nostrorum litteris eundem ob finem.

P. Henricus Pichertus fit Provincialis.

Venerunt Roma litterae patentes 6^a^ istius mensis, Patrem Henricum Pichertum Provincialem nostrae Provinciae declarantes, de quibus statim P. Bembus nostris significavit et ad ipsum P. Henricum, tunc Posnaniensis Collegii Rectorem, Bielawis in praedio Collegii Posnaniensis ob nostros propter pestem dispersos manentem, currum cum equis misit. Discesserat brevi P. Pichertus Bielawis Cracoviam versus, relicto sui loco in Rectoratu Posnaniensi P. Joanne Wielewicki[2]), cui paulo post missae erant patentes a R. Patre Nostro.

[1]) Uxor Vladislai Jordan.

[2]) P. Wielewicki munere Rectoris Collegii fungebatur Posnaniae usque ad a. 1629, quo secutus est eum P. Jacobus Pawłowski. In Manuscripto: «Annales Collegii Posnaniensis S. J.», de quo supra mentionem fecimus, desideratur ma-

Quid factum cum Carmelita discalceato, librum Theologi cuiusdam pro concione tanquam haereticum refutantem (sic) 10ª istius mensis, per P. Bembum et P. Szembekum, annotavimus supra 26ª Septembris. 47.

Latrones quidam, sive fuerint mendici Parochialis scholae domui S. Barbarae vicinae, ut probabile putabatur, sive aliqui alii, nocte 11am istius mensis sequente fenestras cubiculi, in quo P. Praepositus noctabatur, aggressi sunt et varia machinabantur, nisi clamoribus praedicti Patris, quibus alios nostros excitabat, fuissent repulsi. Latrones nocturni fenestras aggressi cubiculi Superioris.

Prodierat sub hoc tempus Polonicus liber Pis Matthaei Bembi, suppresso nomine, cum consensu tamen Ordinarii et approbatione R. D. Martini Kłocinski, cui examinandus erat datus ab Episcopo. Cuius talis erat titulus: «Krotka sprawa o nowym Collegium Oicow Jezuitow w Krakowie dla niewiadomych wydana». In hoc libello ea, quae nostris sub hoc tempus obiiciebantur, modeste efficaciter tamen solvebantur. Quia vero erat Cracoviae impressus a quodam Woyszenski Typographo, furibundi Academici domum praedicti Typographi invaserunt, characteres, libros, suppellectilem, omnia utensilia diripuerunt, damnum aliquot millium optimo viro intulerunt, famulum eius, Domino clam profugiente, male acceptum in vincula sui domicilii compegerunt, non paucis diebus vinctum detinentes, librum editum in quatuor fori partibus exusserunt et, ut simul alia complectar, omnes partes praedonum ac invasorum insigniter expleverunt, 14ª istius mensis et quidem impune. Ob librum Pis Bembi impressum Cracoviae, Typographum invadunt, spoliant variisque iniuriis afficiunt scholares Academici impune.

Hac etiam die P. Melchiorem Sulkowicz templi S. Barbarae Concionatorem, per forum euntem, cachinnis et vociferationibus inconditis domum properantem sunt prosecuti.

In Comitiolis Prosovicensibus, quae 20ª huius mensis celebrabantur, et aliorum Palatinatuum districtibus, per se et per suos furiosi Academici infinitas calumnias contra nostros nobilitati proponebant et omnem lapidem movebant, ut per sequentia Comitia Regni generalia Scholae nostrae Cracovienses tollerentur. Intererat Episcopus Cracoviensis conventui Prosovicensi et gravissima oratione ostendebat, controversiam de scholis ad forum saeculare non pertinere iamque praesentem litem, ipsis Academicis actoribus, ad Rotam Romanam esse reiectam multisque aliis modis hortabatur nobilitatem ad hanc 48. In Comitiolis Prosovicensibus multas calumnias Academici contra nos proponunt. Episcopus sua oratione pro nobis nihil efficit

gna pars anni 1624 et integer annus 1625, «quorum acta pestilentiae furores credo abstulerunt» (fol. 96). Quo tempore P. Wielewicki Posnania discesserit, in Mnscrpto hoc non est annotatum, inferius tamen ipse in sua Historia narrabit, se sub finem mensis Augusti 1629 Cracoviam venisse.

causam relinquendam. Habetur eius oratio in libello contra Gratis scripto p. I, cap. 14, fol. 124. Sed nihil hac oratione effecit bonus Episcopus ob Georgium Ducem Zbarascensem, acerrimum nostri ordinis hostem, contra nos declamantem, ingentia crimina nobis impigentem, tumultuum Cracoviensium causam in nos referentem, nobilitatem, quae ab eius ore pendebat, contra nos satis iam incitatam, magis incitantem. Itaque et articulus a nobilitate de nostris scholis tollendis scriptus, proponendus in Comitiis Generalibus, et vociferationibus contra nos et omnia erant plena et initio sequentis anni ad acta Castrensia Cracoviensia protestatio contra nos a nobilitate facta, ut suo loco manifestum erit. Plurima tunc non solum a nobilitate, sed etiam a Senatoribus saecularibus contra Sedem Apostolicam dicta et maximae illud, quod regimen Pontificis Romani non debeat se extra Romanam Civitatem extendere, aliaque id genus. Confirmatumque illud quorundam asserentium, quod nullus possit esse hostis Societatis, nisi simul sit hostis Romani Pontificis. Turbulentissimum istum conventum aliqua, quae contigerunt, tanquam mala omina sunt consecuta. In egressu enim ex templo Prosovicensi Nobilitatis ac Procerum Regni magna tabula depicta, (quae uncis ferreis columnae affixa multo anteacto tempore manebat) superius Imaginem Christi Resurgentis, inferius autem Epitaphium quoddam referens, decidit in mediam multitudinem. Candelabra etiam magna lignea, quae opifices in processionibus deferre solent, ex altera parte eiusdem columnae violenter ex suis locis erant mota et versus euntes inclinata.

Ob ducem Zbarascensem.

Multa contra nos dicta et facta

Et contra Romanum Pontificem.

Imago decidens et candelabra suis locis mota, turbulentum hunc conventum declararunt.

49. Litterae Pontificis ad Regem,

Dum tanta contra nos Prosovicis fiunt, Romae eadem plane die, nempe 20ª huius, litteras Pontifex Summus ad Regem Sigismundum III pro nobis dat, quarum talis est tenor: Urbanus Papa VIII. Charissime in Christo fili. Salutem et Apostolicam Benedictionem. Qui lacte pietatis iuventutem nutriunt et armis lucis haeresim aut profligant, aut exterrent, Sacerdotes Societatis Jesu digni sunt, qui in Polonia perfruantur benevolentia populorum et patrocinio Maiestatis tuae. In eorum enim Collegiis, quae Gymnasia sapientiae habentur, ii gladii ancipites cuduntur, quibus feliciter solent contendi diabolicae legiones. Quare molestissimum accidit Pontificiae sollicitudini, tantum isthic licuisse Patri discordiarum, ut eos et Academicos Cracovienses, quos in domo Domini decet ambulare cum consensu, in acerbas lites coniecerit. Nos utrique parti credimus id gratum fore, quod iustitiae lex in Romanae Rotae Tribunali decreverit. Selecti

Societatem nostram laudantes.

enim ex variis nationibus iudices tam grave negocium, quod tanto Regi graves conficit sollicitudines, unius rationis ponderibus pendent. Omnino dabimus operam, ne iniuria inferatur iis Sacerdotibus, quos Apostolicae authoritatis defensores armat patrocinium Maiestatis Tuae etc. Ne autem videretur Pontifex in negocio nostro ex gratia tantum et non ex iustitia procedere, vel Academiam despicere Cracoviensem, eodem plane die, quo superiores sunt scriptae, datae sunt aliae ad Principem Poloniae[1]) talibus verbis: Cracoviensem Academiam, quam non modo officinam doctrinarum, sed etiam propugnaculum Religionis in Polonia esse voluit celeberrimus ille Jagello Regalis familiae Princeps, munire semper debet contra temporum iniurias beneficentia Regum et authoritas Pontificum. Proinde dum illam patrocinio iuvas, ipsos fulcire videris aggeres sapientiae. Ne ipsis iniuriam ullius potentia inferat, iussimus causam, quam tanto studio commendas, diligenter cognosci a Romanae Rotae Auditoribus, quos ex variis nationibus selectos Europa colere solet tanquam Antistites iustitiae. Nil ergo in ea lite ab eorum sententia expectandum, nisi quod gratum futurum sit omnibus, quicunque in Judicialibus Controversiis non sequuntur cupiditatem, sed rationem quaesitant. Nobis certe solatium additur, dum aliqua in re paternum affectum testari possumus.

Et commendantes

Eiusdem Pontificis litterae ad Principem, Academiam Cracoviensem commendantes

Et Judicium Rotae permittentes.

Ducentos septuaginta septem florenos eleaemosynae pecuniariae per mensem Decembrem accepimus. A Dno Alexandro Sangusko Palatino Podoliae fl. 100; a quibusdam, qui sciri nolebant, per P. Wągrowski fl. 100. A Capitaneo Zatoriensi Dno Lesniowolski fl. 30; a Dno Archipresbytero fl. 17; a Dno Suffraganeo fl. 10; ab aliis fl. 20. Res perceptae aestimatae sunt fl. 527. Nam medicinae aliquot annorum, per coniugem olim D[i] Abrahami Ronenbergii viduam relictam nobis donatae, constiterunt fl. 288. Pisces per P. Kanski procurati fl. 100. Frumenta varia fl. 60. Carnes, butyrum, casei fl. 50. Vinum, panes, aromata fl. 29.

Eleaemosyna Decembris

Iam templi annua eleaemosyna pecuniaria erat fl. 1257. Res vero eidem templo datae, ut calix argenteus cum patina, tabulae argenteae, quatuor marcas argenti continentes, annulus cum adamante, novi folles ad organa, fenestrae post maius altarae et non pauca alia, plusquam 400 constiterunt.

Annua templi Eleaemosyna.

50. Ex Missionibus, quae hoc anno ad varia loca sunt institutae et ex iis, quae Cracoviae per nostros facta sunt, nec ad certos mensium dies reduci po terant, sunt inprimis 57, qui haeresim abiecerunt, inter quos erant tres ab Ana-

Haeretici conversi.

[1]) Ladislaus, rex huius nominis IV, filius Sigismundi III, qui causam Academiae cracoviensis summo pontifici litteris commendaverat, ut ex Brevi sequenti patet.

Confessiones Generales.

Senex annorum 130.

baptistarum perfidia abducti et post doctrinam Christianam perceptam, salutari baptismo abluti. Confessionibus totius anteactae vitae expiati ducenti, praeter has, quae ob sacrilegum pudorem in confitendo admissum, per annos plurimos repetendae erant nec certo numero comprehendi poterant. Inventus senex 130 annorum sylvas a puero incolens, vix unquam confessus, qui audito nostrorum in viciniam adventu, e sylvis templum prope reptando adiit, e tota vita exomologesim instituit et in signum grati animi ecclesiam, in qua huius beneficii compos est factus, non mediocris summae pecuniariae haeredem fecit. Uni in peccatorum coeno haerenti, aliquoties in somnis obiecta minaci vultu species, monens, ut die certo ad confessarium accedat et minas intentans, si secus fecerit.

Contractus cum daemone initi rescissi.

Baccalaureus morte imminente nostros vocat.

Quidam, qui se daemonis servituti per chirographum, proprio sanguine scriptum, quinquies impie obligaverat, nefario contractu rescisso, per Poenitentiae Sacramentum in gratiam cum Deo rediit. Unus ex Baccalaureis Cracoviensibus tumultuum contra Collegium Societatis S. Petri auctor, maligna febri correptus, mortem vicinam sentiens, multis dissuadentibus, nostrum accersiri iussit eique crimina magno animi sensu detexit, sodalibus dicens, malle se indignationem Rectoris Academiae ob accersitum Patrem incurrere, quam Dei iram et aeternae damnationis periculum adire. Vos, si sapitis bono vestro, o Sodales, idem facite. A turpi luxuriae vitio multi abducti, inter quos non pauci erant Sacerdotes. Detectus error non paucis, qui certis annis absentiae alterius coniugis evolutis, vinculum matrimonii non secus ac ipsa morte solvi et cum altero contrahi posse arbitrabantur. Qui lucra iniusta per usuras acquisiverant et qui decimas Parochorum violenter detinuerant, ad restitutionem sunt adducti. Multae discordiae sunt sopitae inter multa coniugum paria et inter alios. Non aeque ratio fuit facilis reconciliandi unius nobilis, cui tanto altius acceptae iniuriae vindicta menti insederat, quanto magis ab inferioris conditionis homine se laesum aiebat. Is nihilominus post multorum elusos conatus, nostri unius oratione persuasus, offensam multorum gratulatione condonavit. Quaedam daemonis consilia diu intra se premens, mortem sibi consciscere meditabatur, sed non obscura voce ad se coelitus delata et confessarii iudicio fraude impostoris detecta, ab immani proposito destitit. Alia item nobilis foemina, quae ad foetum nondum in lucem eitum, crudeliter enecandum scelestas manus parabat, in confessione peccati enormitate patefacta, facinus in seipsa condemnavit. Aliquid simile fecerunt aliquot personae, ultro sibi hausto veneno et unus ferro necem inferre deliberantes, quod nostri postquam intellexerunt, et atrocitatem rei declararunt et ne fieret, gravissime prohibuerunt. Insuper impios conatus sagarum aliquot per magicam artem nocere aliis volentium, seria nostrorum admonitio a meditato facinore deterruit. In Missionibus cum R^mo^ Dno Thoma Oborski Suffraganeo Cracoviensi 340 templa Parochialia sunt visitata, occasione Sacramenti Confirmationis conferendi, ad quod ordinarie nullus accessit, nisi praevia Confessione. Et quia tunc Indulgentiae Missionum, nostris concessae, promulgabantur, admirabilis undique ad Sacramenta Poenitentiae Eucharistiaeque multitudo confluebat, ita, ut non illi tantum, qui Confessionibus excipiendis et quater in die exhortationibus faciendis intenti erant, sed etiam ipsi Confirmationis Patrini saepe defatigarentur ob labores, qui ante lucem coepti in multam noctem dura-

Abducti a luxuria et ab usuris ac iniustitiis.

Odia sopita et discordiae.

51.

Necem sibi inferre volentes cohibiti.

Sagarum conatibus itum obviam.

In Missione cum D^o^ Suffraganeo 340 templa visitata

Magno fructu.

hant, nostrorum indefessam constantiam omnibus admirantibus. Congregatio Civium sub titulo Deiparae natae, in locum pestifera lue sublatorum multos tam ex Nobilitate, quam ex Mercatoribus in socios eiusdem propositi sibi adiunxit exterioremque Oratorii apparatum insigni zelo ac devotione centum fere aureis auxit et praeter multa in Oratorio praeclare extructa, in choro templi nostri ad audiendum verbum Dei, a caetera plebe seiunctum locum habere coepit. Ex dictis et annotatis per hunc annum facile est colligere, quam celebris fuerit praedictus annus maximis persecutionibus Academicorum, Religiosorum Carmelitarum excalceatorum et Bernardinorum de Observantia, Praelatorum et Nobilitatis Cracoviensis, contra nos excitatis. Sicut vero in persequendis nostris a multis iam annis Georgius Dux Zbarascensis et Jacobus Naiman Doctor Juris, tam dictis, quam scriptis contra nos venenatissimis, omnibus palmam praeripuerunt, ita et hoc anno eorum, quae contra nos sunt acta, illi praecipui authores et promotores erant.

Congregationis civium incrementa.

Celebris hic annus nostrorum persecutionibus.

Annus Domini 1626.

Mutio Vitellesco Societatis Jesu Praeposito Generali, Henrico Picherto Praeposito Provinciali, Matthaeo Bembo Domus Professae Cracoviensis Praeposito.

Manserunt per hunc annum in domo S. Barbarae ex nostris 25. Sacerdotes nimirum 13, Adiutores 10, Novitii ad mensam lectores 2.

I. Numerus nostrorum.

In festo Circumcisionis Domini, quod consueta solennitate et devotione peractum est, cecinit apud nos Sacrum R^mus^ Thomas Oborski Suffraganeus Cracoviensis, qui etiam nobiscum prandium sumpsit.

Festum Circumcisionis.

Circa festum Epiphaniae, occasione conventus Nobilitatis huius districtus, diligenter nostri cum multis egerunt ac de tot calumniis de nobis per Academicos sparsis informaverunt. Multi opinionem malam de nobis conceptam ob mendacia Academicorum deposuerant, multi alii non deposuerant, magis Academicis, quam nostris credentes. Itaque venenatissimas et atrocibus mendaciis refertissimas ad Pontificem Maximum Joannes Zebrzydowski, Ensifer Regni, nomine totius conventus Cracoviensis, nona istius mensis, dat litteras, quarum tenor est talis. Beatissime Pater. Post beatorum oscula pedum. Non dubitamus ad aures Sanctitatis Vestrae, tam querelis Academicorum Cracoviensium, quam fama publica pervenisse, quomodo Patres Societatis Jesu, cum totam Poloniam replessent suis Collegiis, contra celeberrimam, antiquissimam et de Ecclesia Dei et Republica bene

Nobilitas ob mendacia Academicorum a nobis aversa.

Joannis Zebrzydowii litterae contra, nomine Nobilitatis ad Papam, Quae ingentes calumnias, maximis mendaciis adiunctis continent

meritam Universitatem Cracoviensem, unicam hoc Regno, Collegium erigere, iure, praerogativis exuere, vi armata disturbare ausi sunt et audent etiam nunc. Neque illud credimus ignorare Sanctitatem Vestram, quas tragoedias in hoc conatu suo dederint, cum tumultibus civitatem Regiam replessent, caedibus, submisso in pueros satellitio armato, omnia miscuissent, ipsi manibus religiosis vim inferre, ad necem prope ferro caedere conspecti in publico fuissent, nihil denique reliquissent, quod ad summam iniuriam dictae Universitatis et audaciam illorum demonstrandam facere potuissent. Quae res, omisso incredibili scandalo, quod ex temeratione Inhibitionis Apostolicae, ex minis et iactationibus dictorum Patrum, non nisi sanguinem spirantibus, ex apparatu bellico, turbata communi tranquillitate per viros Religiosos, consequi potest; omissis inquam his, cum Academia dicta iisdem praerogativis, privilegiis, ornamentis gaudeat, quibus nostra Respublica constituta et quasi conservata sit, cumque credamus imminutionem eius sine detrimento totius Reipublicae et ignominia Equestris Ordinis fieri non posse, in Comitiis Palatinatus nostri Cracoviensis, matura deliberatione habita, officii nostri esse duximus omni via, iure et modo defensionem eius et patrocinium suscipere causamque hanc oppressionis et iniuriarum, quas patitur a Patribus, pro nostra accipere, nec minus pro ea, quam pro communi nostra agere. Inde fiducia devotionis, quam erga Sedem Apostolicam habemus et eius paternae benevolentiae, quam semper erga gentem nostram in antecessoribus Sanctitatis Vestrae agnovimus, primum quidem rem gestam S^{i} V^{ae} aperimus, demum pro Academia dicta, quae unicus quasi nidus institutionis ingenuae apud nos est, nec macula ulla tot seculis aspersam aliquis convincere possit, supplicamus, uti illam et Professores eius, viros probos, de Ecclesia Dei, de bonis litteris bene meritos, tranquillitati antiquae restituere et prohibito inutili Patrum Collegio vindicataque tanta audacia ab importunitate et infestatione dictorum Patrum liberare dignetur. Faciet S. V^{a} rem Paterna et Apostolica sua providentia dignam et nomini, quod a bonis litteris habet, convenientem, nobis vero eo gratiorem, quia de institutione liberorum nostrorum, privilegiis communibus, proborum et doctorum virorum innocentia et fama agitur et quia noster communis consensus (quorum res agitur) id a S^{o} V^{a} devotissime efflagitat. Beatissimos pedes S^{ti} V^{ae} osculamur. Datum Cracoviae 9^{a} Januarii Anno 1626. S^{ti} V^{ae} devotissimi Joannes Zebrzydowski Ensifer Regni Poloniae,

Et omnia, a perditis Academicis facta, nobis imponunt.

2. Aiunt se defensionem Academiae suscipere contra nos et Academiae iniuriam suam reputare.

Petunt a Papa defensionem Academiae et prohibitionem nostri Collegii.

nomine totius Conventus Palatinatus Cracoviensis. Hucusque litterae acerbissimae. Sed his non contenti insani nobiles, a furiosis Academicis concitati, de criminibus contra nos confictis contumeliosissimam et iniuriosissimam protestationem ad acta Castrensia Cracoviensia instituerunt et, ut scholae nostrae omnino claudantur ac tollantur, pro usurpata, quam non habebant, authoritate, iusserunt. Extat haec protestatio in actis praedictis, 14ª huius mensis facta, cui subscripserunt Joannes Zebrzydowski Ensifer Regni, Vladislaus Jordan, Stanislaus Oraczewski, Joannes Pisarski, Andreas Petri de Morsko Morski et alter Andreas Stanislai Morski, Hieronymus Lukowski, Venceslaus Chwalibog, Bernardus Czerny, Sebastianus Grodecki, Abrahamus Latoszynski, Joannes Krupka. Hanc eorum Protestationem in sua informatione iuris et facti ad Summum Pontificem, Venetiis cura Academicorum impressa Anno post Dm 1629 in Novembri, de qua suo loco, posuerunt idem Academici. Unde perpetuum eorum impudentiae testimonium produci poterit. Et ut plurimis omissis aliqua tam in litteris, quam in Protestatione contenta attingamus: Quam impudenter aiunt, totam nobilitatem Cracoviensis Palatinatus eorum insaniae subscripsisse, cum nullus Senatorum, qui tunc erant praesentes in Comitioilis, subscripsit et aperte iis Episcopus Cracoviensis praesens cum plurimis aliis contradixerit ac restiterit et cum ex tanta Nobilitate, quae Prosovicos convenerat et postea Cracoviam, tredecim tantum invenerint, qui tantis calumniis subscripserunt? Quomodo oppressionem Academicorum Societati impingunt, cum Academici in oppressionem, expulsionem et eiectionem scholarum Cracoviensium Societatis coniurarint? Quomodo inhibitionem Apostolicam a nobis contemptam insinuant, cum eum statum scholarum, in quo nostros inhibitio invenerat, fidelissime nostri conservaverint et nihil novi, quod tantum inhibitio vetabat, aggressi fuerint? Magna etiam dementia Nobilitatis Cracoviensis, dum determinativam sententiam usurpans, nostras scholas dissolvens, claudens, interdicens, quod Universae Reipublicae in Comitiis Regni Generalibus, inscio Pontifice Maximo, non licet. Sed impudentia ac violentia tunc triumphabat, haec omnia incitante ac promovente Duce Georgio Zbarascio, iuratissimo Societatis hoste, aliisque illo adiunctis. Interim tamen brevi post, dum iudicium fori compositi de his fere omnibus, quae in praedictis litteris et protestatione continentur, inquisitionem anno superiori fecisset ac Regi misisset, luculentissimum Regis testimonium

Protestationem contra nostros actis Castrensibus inserunt eique 13 subscribunt.

3. Inter varia absurda Protestationis,

1m

2m

3m

4m

Litterae Regiae contra haec omnia nostram innocentiam testantur.

et in litteris ad Pontificem Maximum datis et in alio scripto ad totum Regnum, immo etiam ad totum Christianum orbem pertinente, omnia contra nos mendacia et omnes calumnias detexit hoc anno, ut non multum post videbimus.

Vexant Academici nostros studiosos.

Post suprapositam protestationem et diffamationem nostram, non permittebant etiam hoc anno nostros et studiosos scholas S. Petri frequentantes in pace Academici manere; eos enim in plateis aggredi, libros, pileos, vestes iis eripere et omnibus modis a scholis nostris abducere non desinebant, fere semper impune.

Adventus P^is^ Provincialis.

Venit P. Henricus Pichertus Provincialis Cracoviam 17^a^ huius mensis cum P. Andrea Gutteter suo socio et octo tantum diebus Cracoviae permansit, varia negocia Provinciae disponens.

4. Deliberant nostri, quomodo Commissio admittenda, quomodo non, in negocio cum Academicis.

Quia vero in Comitiolis Srodensibus, ante mensem celebratis, articulus talis erat scriptus, ut a Rege Commissarii assignarentur, qui inter nos et Academiam pacem constituant, proposuerat 21^a^ P. Provincialis in Consultationem: An a nostris expediat talem Commisionem admittere, nec ne. Et post varia utrinque dicta conclusum est: Si Commissio esset ad cognoscenda iura nostra, nullo modo admittendam, cum ad aliud forum spectemus. Si tamen Commissio esset ad transigendum inter Academicos et nostros, permittendam esse. Quaesitum etiam erat, an concordia cum Academicis ratione scholarum cum unione, vel etiam sine unione admittenda esset. Et omnibus tunc visum, necessariam esse unionem, sine qua nullus fructus sperari posset in Iuventute Academica, abhorrente a nostris sine unione et variae perturbationes sequerentur.

Unionem cum iis esse necessariam.

Pergens Varsaviam P. Szembek tempore Comitiorum, Invisit Episcopum Cracoviensem Bozantini. Cum eo de variis confert.

Eadem 21^a^ huius mensis, iussu eiusdem R. P. Provincialis, discessit P. Fridericus Szembek Varsaviam, ob Comitia Generalia Regni brevi futura, ut in iis attenderet negotio nostro tam apud Regni Senatores, quam apud Nuncios terrestres, quorum plurimos Academici contra nos concitaverant, et ut informaret omnes de rebus nostris aliter, quam Academici informaverant. Ex itinere autem isto divertit P. Szembek Bozantinum 24^a^, ubi invisit Episcopum Cracoviensem infirmum, qui ob infirmitatem ad Comitia non poterat ire, ubi etiam invenerat Episcopum Kiioviensem R^mum^ D^um^ Radoszewski. Contulit tunc cum Episcopo Cracoviensi P. Szembek de plurimis rebus et inprimis de libello Epistolae cuiusdam Theologi ac de Patribus Carmelitis discalceatis, qui hac in re minus recte Episcopum informarant, haeseratque ibi fere per duos dies.

Comitia Varsaviensia.

Datum initium Comitiis Generalibus Regni Varsaviae 28^a^ huius et durarunt ad 10^am^ Martii.

Ultima huius mensis venit P. Szembek Varsaviam ibique plusquam duobus mensibus est commoratus.

Eleaemosyna pecuniaria huius mensis erat florenorum 142. A variis collecti fl. 38. A D° Rab fl. 13. A Dno Philippo Bibliopola fl. 12. A D° Suffraganeo fl. 10. Ab Abbate Olivensi [1]) fl. 20. A P. Provinciali fl. 15. Ab aliis reliqui. Iam res submissae, ut asseres 120 fl. Siligo, triticum, pisa 80 fl. Vas vini fl. 70. Prandium datum pro festo S. Agnetis fl. 12. Bos fl. 18. Carnes et alia varia minutiora fl. 71 aestimata sunt. Sicque omnia in rebus hoc mense data constiterunt fl. 371. Eleaemosyna Januarii.

Instituta renovatio Votorum in festo Purificationis B^mae^ Virginis, praemissis iis, quae praemissi solent. 5. Renovatio Votorum.

Circa idem tempus salutavit Regem P. Szembek egitque gratias pro variis hucusque ab illo beneficiis erga nos continuatis. Significavit deinde Regi, se Varsaviam venisse ob informandos Nuncios, ut videlicet minus ab iis traducamur et ut sua Maiestas molestias propter nos habeat minores. Petiit deinde tria a Rege: curatellam pro Virgine Szydłowska, commissionem ad inquirendos Typographi invasores, quod utrumque concessit, et licentiam ponendi litteras illius in libello contra Gratis, de qua re conferre iussit cum Domino Vice-Cancellario [2]). Salutat P. Szembek Regem.

Princeps Vladislaus coram P. Joanne Lesiowski 14^a^ istius mensis conquestus erat de uno ex nostris, quod per eum turbetur, sed quisnam ille esset, noluit dicere. Vehementer nostri ea re erant commoti et cavebant diligenter, ne in aliqua re daretur Principi per nostros occasio etiam minima accusationis. Quanquam non pauci suspicabantur iam tunc, Principem plurimos nostros hostes penes se habentem, qui eum perpetuo pessime de nobis informabant, valde malos de nobis conceptus habuisse, utpote eum, qui adversariis non audita altera parte credebat et sciens tam multos in Regno de nobis male persuasos, iisdem se accommodabat etc. Princeps Vladislaus de nostris conqueritur.

Rediit Roma P. Joannes Szeczemski 15^a^ istius mensis, quo Procurator Provinciae a Congregatione delectus iverat et aliquo tempore in domo S. Barbarae est commoratus. Roma redit P. Szeczemski.

Facta a P. Szembek Protestatio coram Nuncio Apostolico Lancelloto contra Academicos 18^a^ huius mensis, quod nostros ad forum saeculare, tam in Comitiolis Prosovicensibus, quam in Comitiis Regni Generalibus evocarint. Sequenti etiam die impetratae ab eodem Nuncio litterae ad Pontificem, in quibus omnium eorum, quae contra nos nomine conventus Prosovicensis scripta erant, falsitas ostensa est. Protestatio coram Nuncio et litterae ab eodem.

---

[1]) Adam Trebnic. [2]) Venceslaus a Leszno Leszczyński.

Quorundam nostrorum de scholis Cracovien-sibus

Magnifici Domini Osolinii, Christophorus et Maximilianus, 20ª huius, inter plurima, quae de nostro cum Academicis negocio cum P. Szembeco conferebant, illud etiam significarunt, iureiurando adhibito, unum ex nostris Rectorem coram illis affirmasse, quod moleste ferat talem rem procurare P. Szembecum, ac inde inferebant, non Communitatem, sed privatos scholas Cracovienses appetere. Sequenti etiam die Virgo Ursula [1]), praesente P. Valentino Seidelio, retulerat Serenisssimis dictum unius Nuncii, affirmantis, quod Jesuitae scholarum negocium in Regem reiiciant et quod dixerint, se scholas non curare, si eas Rex non urgeret. Refutata quidem ista sunt coram Rege a P. Seidelio et coram Dominis Osoliniis a P. Szembeco, sed tamen, si dicta erant a nostris, inconsiderate erant dicta. Unde et illud apparet, quantum saepe negocii facessent ea, quae imprudenter nostri interdum loquuntur.

Imprudentia dicta.

6. P. Valentini Fabricii

Mortuus Varsaviae 22ª istius mensis, circa horam 9ªm antemeridianam, P. Valentinus Fabricius, Concionator Regius celeberrimus. Et de vita quidem eius aliquid scribere ad Provinciam Lituaniae, in qua est mortuus, spectat, quia tamen longo tempore in nostra Provincia laboravit et Cracovia Varsaviam a 5 fere annis missus fuerat, nonnulla etiam de illo in nostra historia sunt inserenda. Erat is Ruthenus eiusque parentes primo Ticini, deinde Samboriae commorabantur, ubi etiam ipse natus est. Ex annis fere 70 aetatis consumpsit in Societate 48. Studuit in Societate anno uno humanioribus litteris, Philosophiae tribus, Theologiae 4. Docuit humaniora annis 8, Philosophiam tribus, Theologiam Scholasticam annis 4, Scripturam sacram anno uno. Concionatorem egit Vilnae, Leopoli, Cracoviae et demum in aula Regia, annis plusquam 18. Et quidem in concionibus faciendis rarum omnino talentum a Deo acceperat stupendosque animi motus in Auditoribus excitabat, in odium vitiorum et in amorem virtutum pertrahentes. Quia vero efficaciter vitia perstringere consueverat, ideo multis Regni Proceribus, maxime iis, qui dissolutam vitam vivebant, exosus erat, inter quos praecipuus erat.....[2]). Praecipui tamen quique eum et amabant et observabant. Inter hos autem potissimum Serenissimus ipse cum sua Coniuge erant, maxima illi benevolentiae et beneficentiae signa perpetuo ostendentes, qui etiam eum et tunc, dum visum per aliquot annos amisisset, nec ab aula dimittere, nec vacare a concionibus voluerunt. Et postulanti instantissime ac frequentissime ab ista aulica occupatione liberationem, tum ob senilem aetatem, tum ob visum amissum, illud tantum respondit Serenissimus, eum etiam caecum optime posse concionari ex iis, quae antea vel legisset, vel didicisset. Et sic usque ad finem vitae (nam aliquot ante mortem annis iterum visum recuperaverat) in aula Regia concionabatur. Antequam ad aulam fuisset evocatus, celebris

Patria, Studia,

Munia varia.

Concionibus offendebantur eius malae vitae homines.

Reliqui eum amabant, maxime Rex cum sua Coniuge.

---

[1]) Mayerin. [2]) Nomen, quod sequitur, alio atramento deletum est, sed tamen Georgius dux Zbarascensis legi potest.

eius erat Lepoliensis, sed longe celebrior Cracoviensis commoratio. Cracoviae enim cum Cathedrae Parochiali P. Albertus Rosciszewski (ob morbum, in quem inciderat et ex quo postea ad mortem laboraverat) renuntiasset, Cracovienses Proconsules absentem P. Valentinum Concionatorem suum delegerunt et Leopoli proprio sumptu, equis curruque missis, Cracoviam evocarunt Anno 1615 in Septembri, uti suo loco notavimus. Ingens concursus ad eius conciones omnis conditionis hominum fiebat, non sine invidia Religiosorum et Academicorum, egregiosque animorum fructus tam Concionibus, quam religiosa conversatione bonus Pater proferebat et sibi et inprimis Societati maximum amorem concilians. Quae intercesserant illi cum Jacobo Naimano ob libellum Cathedrae, dictum est suo loco. Modestiae animi praeclarum in eo inter alia signum erat frequens cum iucunditate abiecti status parentum suorum mentio, unde etiam abiectissime de se et sentiebat et loquebatur. In zelo animarum, quantum vires suppetebant, nulli voluit cedere. Quia vero ob varios, qui eius concionibus offendebantur, non raro graviores etiam Superiorum accipiebat reprehensiones, ideo morte instante (ad quam se, aliquot mensibus ex morbo decumbens, egregie comparaverat) magno cum dolore coram omnibus, qui aderant, nostris culpam agnoscebat et veniam precabatur. Mortuus est sub tempus matutinae concionis, loco et die supra notatis, maximo sui desiderio relicto et sequenti die in templo Domus Professae Varsaviensis sepultus.

7. Cracoviae a Consulibus eligitur,

Maxima satisfactione concionatur ad invidiam.

Modestia animi eius mirabilis

Instante morte veniam precatur.

Ab eadem 22ª istius mensis ad 24ᵃᵐ triduana Oratio instituta, consueta solennitate et fructu. Rᵐᵘˢ D. Suffraganeus Cracoviensis Die Dominica Sacrum cantavit et Confirmationis Sacramentum in vesperis multis contulit, quod etiam feria 3ª Carnisprivii et 1ª ac 2ª Dominica Quadragesimae iteravit. Feria 2ª R. D. Erasmus Kretkowski et ultimo die iterum Rᵐᵘˢ solenniter Sacris sunt operati et Conclusio ab eodem Rᵐᵒ facta. Iidem Praelati nobiscum primis duobus diebus prandium sumpserunt. Soli autem nostri per hoc triduum, nec Praelatis nec aliis invitatis religiosis, concionabantur.

Triduana Oratio.

Acriter Nuncii contra nostras scholas 25ª huius mensis egerunt, sed omnibus vehementer restitit Dˢ Jasinski haereticus, licet plurimis iocis aliorum perstringeretur, quod haereticus manens Jesuitas defendat, ad quos ille bene respondebat, se de religione iam non agere, sed de aequitate causae, quam Patres habent contra discolos Academicos, et de libertate non tollenda, cuius manens Nuncius constitutus sit custos. Plurima etiam falsa, quae contra nostros erant sparsa, maxime illud, quod 100 fuerint occissi ex Academicis et nostris studiosis, quod Dˢ Marsalcus Nunciorum Dˢ Sobieski acriter affirmabat, refutabat. Eadem die miserat praedictus Marsalcus ad P. Szembek (an vere an simulate, Deus scit) unum, qui inprimis referret dolere plurimum Dᵐ Marsalcum, quod apud nos ac si inimicus causae nostrae esset traduceretur, cum sit constans fautor rerum Societatis; deinde quaereret an desideraremus Commissarios in nostro negocio.

Varia Nunciis machinantibus contra scholas nostras, Restitit haereticus Dˢ Jasinski Et obiecta eorum refutat.

Quae Marsalco responderit P. Szembek ratione Commissariorum.

Gratias egit illi P. Szembek pro declarata benevolentia et quantum ad Commissarios respondit, se eos nec optare nec renuere, sed Divinae Providentiae totum committere. Addidit praeterea rogans, ut non proponat id, quod Jesuitae desiderent Commissarios, contrarium enim esset et rectae rationi, ut accusati, non actores postulent Commissarios, et dignitati Sedis Apostolicae, si illa hanc causam iudicante, novum tribunal postularetur. — Sub idem etiam tempus Georgius Dux Zbarascensis, qui tantas contra nos tricas fovebat et promovebat, accepit infaustum Nuncium de vastatis per Tartaros eius in tractu Zbarascensi amplissimis bonis, ex quibus plurima millia annua illi dabantur.

8. Senator unus reprehensus a Principe, quod scholas nostras defendat,

Cuidam scholas nostras ex Senatoribus defendenti, cum Princeps Vladislaus privatim dixisset, 26ª istius mensis, se vehementer mirari, quod susceperit Regulam Ignatianam, respondit: se ideo scholas Jesuitarum defendere, ne iugum servitutis Polonae nobilitati imponatur, si adigeretur Cracoviae ad solam Academicam scholam. Dicente Principe, extra Cracoviam ad scholas Jesuiticas posse mitti filium, subiecit ille Senator: Quis me exilio Civitatis Cracoviensis damnavit, qui bona in Cracoviensi Palatinatu habeo? Quare mihi Cracoviae pro filio non licebit deligere Praeceptores, quos volo? Haec discurrentibus Dⁿ Osolinski dixit, asserere Jesuitas plus illos aestimare unum Collegium Cracoviense, quam omnia alia. Ad haec Princeps: Quam atrox haec est ambitio, Osoliński autem subintulit: Nonne haec est oppressio Hispanica, ita velle evincere etc.

Quid responderit.

Putat nos idem Princeps ambitiosos.

Jubilaeum pro Polonia.

Eadem 26ª Pontifex Maximus Urbanus VIII pro Regno Poloniae concessit Jubilaeum, quod postea a 27ª Septembris ad 27ᵃᵐ Novembris Cracovia celebratum est, ut suo loco videbimus.

Mors P. Nicolai Gorski

Ultima Februarii mortuus P. Nicolaus Gorski, Maior Polonus, in domo S. Stephani, mense 6 sui tyrocinii, vir ingenii mitis et tractabilis omnibusque amabilis et in saeculo satis clarus bonisque fortunarum non exiguis cumulatus. Ante Sacerdotium enim, quod ingressurus tyrocinium susceperat, Vice-Capitaneus Bigdostiensis et Notarius eiusdem Castri erat. Vide plura de illo in historia Domus S. Stephani.

Eleaemosyna Februarii.

Percepta eleaemosyna pecuniaria mense Februario erat florenorum 368. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 150. A Ducissa Jaroslaviensi[1]) fl. 100. A Dno Palatino Cracoviensi[2]) et Dº Ensifero[3]) ex Wielicka fl. 71. A Rᵐᵒ Dº Suffraganeo fl. 20. A reliquis fere 28. Iam triticum, haleces, vas mulsi, carnes variae, panis, pisces, scandulae, trabes, canales reliquaque lignea submissa fl. 213 sunt aestimata.

[1]) Anna de Sternberg Kostka, uxor Alexandri Ostrogski. († 1635).
[2]) Joannes comes a Tenczyn. [3]) Joannes Zebrzydowski.

9. Cum Rege P. Szembek colloquitur,

Habuit iterum P. Fridericus Szembek audientiam apud Serenissimum 1ª Martii de variisque cum illo contulit. Et quia intellexerat, tacuisse quidem Regem, moleste tamen tulisse, nos cum Nunciis circa scholas Cracovienses agere, ad quos eae non pertinent, ostendit: necessario id nobis agendum erat, qui apud eos traducimur, quod violemus iura Academiae et Regni, ut illis oculos aperiamus et tantam calumniam etiam illorum iudicio manifeste confutemus. Deinde cum passim dicant, in hoc negocio nostros soli Regiae Maiestati inniti, toto Regno reclamante, necessarium nobis erat non solum suam Maiestatem, sub cuius alis praecipue tecti vivimus, huic negocio favere, sed etiam plurimos Nobiles ac Senatores. Ad haec respondit Rex, relatum sibi esse nostros ita dixisse, quod inirent concordiam cum Academicis, sed Rex id non permittit. Ostendit P. Szembek figmenta ista fuisse et attulit scriptum modum concordiae, quem antea demonstrarat Dº Osolinski, eoque lecto risit Rex. Egit deinde P. Szembek de cupula S. Petri, de pensione fabricae, de tempore Consecrationis templi et de aliis non paucis, ad quae benignum et efficax responsum accepit.

Ostendens causas, ob quas cum Nunciis agendum erat et alia.

Nonnulla figmenta reiicit.

Adierat Dᵉ Jasinski Marsalcum Nunciorum Dᵐ Sobieski in negocio nostro 2ª Martii, monens, ut ad pacifica consilia rem dirigeret, et se Commissariis non contradicturum, modo fiant ita, uti convenit. Respondit Marsalcus vix iam aliquid futurum in hoc negocio his Comitiis, quod et tempus breve esset et Academici iura ac privilegia secum non habeant et nullos Commissarios volunt, ne videantur Jesuitis aliquid iuris concedere ad scholas habendas, vel iura eorum approbare, et simpliciter nullam concordiam admittant cum Jesuitis, sed penitus scholas eorum habere nolunt. Ex his collegerunt multi Academicos conclusisse, ut hoc negocium ad Interregnum differatur, quo pellendos omnino Jesuitas arbitrabantur.

Dª Sobieski putat Academicorum negocium non futurum in Comitiis, sed fallitur.

A 4ª Martii ad 6ªm, quia interim novi Academici supervenerant ad suorum causam sustinendam, obibat varios Regni Proceres P. Szembek et Nuncios, informando eosdem de nostro negocio, nam etiam Academici circumibant praecipuos quosque, plurima contra nos falsissima referentes. Urgebat quidem P. Szembek, ne ad Senatum res ista deferratur et multi id pollicebantur, sed contrarium evenit 7ª huius mensis. Nam initio sessionis, ut quaedam petita Nuncii Regi proponerent, voluit... [1]). Et dum Nuncius Palatinatus Sendomiriensis

Instruuntur varii de nostro negocio.

[1]) Marsalcus.

10. An audientia danda Academicis Nuntii contendunt.

D[s] Koryciński Andreas petiti Academicorum mentionem fecisset, respondit statim D[s] Marsalcus, DD[is] Academicis audientiam dandam. Unde apparet ex composito rem factam fuisse, cupiente Marsalco utrique parti satisfacere. Exclamavit illico D[s] Jasinski cum aliis, nullo modo audientiam permittendam, cum tam multa alia maximi momenti tractanda restent. Et durabat non modico tempore contentio inter Nuncios, sed tandem Fautoribus Academicorum ostendentibus, per audientiam nihil concludi et breviter rem posse expediri, permissa audientia. Introducti igitur Academici quatuor et in scamno praeparato ut sederent iussi. Statimque perorabat ex illis Opatovius, S. Annae Canonicus, voce lamentabili et ad commovendam commiserationem accommodata proponebatque tum iniurias a nostris illatas, tum postulationem auxilii et alia id genus. Post discessum Academicorum gravis iterum intercessit inter Nuncios altercatio, an hoc petitum Academicorum ad Regem et ad Senatum esset deferendum nec ne et quomodo id fieri debeat. Tandem post multa conclusum, deferendum esse. Turmatim ergo cum Marsalco omnes Nuncii contulerunt se et ad Regem et ad Senatum, non solum cum hoc Academicorum petito, sed etiam cum aliis et simul, ut audirent relationem Commissionis cum Kosacis peractae, quam faciebat D[s] Zamoiski Palatinus Kiioviensis, qui etiam inter Commissarios erat. Expedita praedicta relatione, Marsalcus Nunciorum D[s] Sobieski aliquot petita publica proposuit et inter privata de Academia illa tria: 1[m] Ut penes antiqua privilegia conservetur. 2[m] Ut novis privilegiis eam Regia Maiestas ornet et antiqua confirmet. 3[m] Ut tumultus, qui Cracoviae fiunt, cohibeat provideatque, ne fiant. Fecerat etiam mentionem in primo puncto D[s] Marsalcus Antecessorum Regiae Maiestatis, qui Academiam fundarunt variisque privilegiis exornarunt necessariumque esse, ut illi e coelo aspicientes suum solatium habeant, illaesa privilegia a se data videntes. Audivit deinde Rex Senatorum sententias, inter quos D[s] Wolucki, Castellanus Ravensis, fabulam de lupo turbante aquam et contra arietem clamantem eique turbationem aquae adscribentem huic negocio applicavit ob Academicos tanquam lupos turbationes excitantes et promoventes et Societatis hominibus eas asscribentes. Tandem responsum nomine Regis dedit Venceslaus Leszczyński de Leszno, Cancellarius Regni, tale: Regiam Maiestatem non videre, in quo detrimentum privilegiorum suorum patiatur Aca-

Introducuntur Academici et perorant.

An petita Academicorum referenda Regi, iterum contenditur

Sed tandem referunt 3 eorum petita.

Petuntur sententiae Senatorum.

Responsum Regis ad petita

demia et in quo illis non satisfiat. Deinde novis privilegiis et iuribus antiqua confirmare non esse necessarium, cum sufficienter Constitutione Anni 1616 sint confirmata. Denique tumultus Cracoviae nullos futuros, si se in modestia continuerint DD. Academici et causam illis non dederint. Sicque negocium nostrum cum Academicis in his Comitiis finem habuit nec assecuti tunc sunt Academici, quod volebant, ut videlicet scholae nostrae Cracovienses tollerentur. Academicorum.

Misit Serenissimus 8ª huius mensis P. Marquat suum Confessarium, qui significaret nostris, aliquos Senatores petiisse a se, ut Commissarios assignaret, qui inter nos et Academicos componerent. Quid ergo ea in re fieri nostri desiderarent, cupere se intelligere. Re ista cognita P. Henricus Pichertus Provincialis, qui tunc Varsaviam venerat, instituit Consultationem, cui intererant P. Michael Ortizius Provincialis Lituaniae, P. Nakel Praepositus Domus Varsaviensis, P. Marquat Confessarius Regius, P. Cislak Provinciae Lituaniae Procurator, P. Gutteter socius Pⁱˢ Picherti et P. Szembek. Et inprimis legit P. Pichertus litteras Admodum Rdi Patris Nostri, quibus diligenter monebat, ut omnino curemus unionem cum Academia, etiamsi decretum Romae in favorem nostrum feratur. Deinde voluntatem Serenissimi proponens quaesiit, an optandi Commisarii et qui, vel quales. Post rem varie agitatam ita conclusum: ut inprimis maximae gratiae agantur per nostros Suae Maiestatati pro paterna cura circa res Societatis et circa negocium praesens. Deinde circa Commissarios illa ab illo petenda, ut eos non assignaret, nisi urgentibus Senatoribus, ut eos non nominaret, nisi finitis Comitiis, ne videlicet Nunciis in negocio utcumque sopito daretur occasio res innovandi; ut non nominarentur nisi soli Ecclesiastici; ut salvo iudicio suae Maiestatis illi sint: Episcopus Cracoviensis Szyskowski, Premisliensis Grochowski, Chelmensis Lubienski, Kiioviensis Radoszewski. Retulit hac ipsa die P. Marquat Serenissimo ea, quae in Consultatione erant, placueruntque ei omnia nec aliter se facturum pollicitus est. II. Consultant nostri de Commissariis. Volebat enim Rex intelligere nostram ea de re sententiam. Respondent nostri Regi.

Obvius erat eadem die P. Szembek casu Georgio Nowodworski illi, de quo supra multa sunt allata 21ª Maii Anno 1623, et statim salutato Patre dixit se redire ex campo ab exercitu et ex turri nostra. Respondente P. Szembek, turres ad Magistratum pertinere, non ad Jesuitas, subiecit Nowodworski: Ille Valentinus mortuus me de- Colloquium Nowodworski.

Cum P. Szembek.

collabat, Cislak ad turrim deducebat, Liesiewski criminaliter instigabat et Vestra Reverentia colaphizat Matrem (intelligebat Academiam Cracoviensem, cuius persecutorem censebat esse P. Szembek). Respondit P. Szembek, eum oblivisci debere horum, quae minus grata illi acciderunt, nec se colaphizare Matrem. Cumque adiungeret Nowodworski, ut attenderemus Posnaniae et Calissio, subiecit P. Szembek: etiam Cracoviae. Quo audito Nowodworski, cathegorice, inquit, respondetis, sicque abivit. Idem Nowodworski miris modis vexabat D^m^ Jasinski in aula Nunciorum, retro eum sedens, exprobrans persecutionem Academiae et haeresim, sed eum bene expedivit.

12. Finis Comitiorum.

Impositus finis Comitiis 10^a^ Martii inter 10^am^ et 11^am^ nocturnam horam et quidem pacate, praeter omnium expectationem, nec vel protestationes, vel exorbitantiae, aut recessus contra ea, quae erant constituta, ut timebatur, facta sunt. Sequenti etiam die a Cancellario Regni [1]) petierat P. Szembek, ne aliquid in Constitutionibus Comitiorum poneretur, quod nobis obesset, quod fideliter a Cancellario factum.

Colloquium P. Picherti Provincialis cum Rege.

P. Henricus Pichertus Provincialis tempore sui Provincialatus 12^a^ istius mensis primam habuit audientiam apud Serenissimum, decumbentem ex pede. Obtulit illi obsequia sua ac totius Provinciae, gratias egit pro defensione Societatis, petiit, ut in eadem sua Clementia nostros conservare dignaretur, commendavit denique ei nostros Benefactores ac Defensores et maxime D^m^ Gabrielem Comitem a Tarnow. Nolens denique fatigare Regem ita fatigatum, dixit se ideo relinquere ad aliquod tempus P. Szembecum, ut commodiori valetudine ac occasione cum sua Maiestate ageret. Grata haec omnia acciderunt Serenissimo et cum magna benevolentiae declaratione dimissit a se P. Provincialem.

Manifestatio Academicorum, irrito conatu.

Ante finem Comitiorum coeperant Academici instituere quandam Manifestationem, in qua 7 Nunciorum nomina scripserant ex Palatinatu Sendomiriensi et unius ex Cracoviensi, qui protestarentur, se non contentos responso Regio, quo ad scholas nostras Cracovienses dato. Significatum hoc erat Regi, sed id Rex contempsit et nihil curare nos iussit, sicuti et res ipsa manifeste idem ostendit, nihil enim ex his machinationibus Academicorum secutum erat.

Professio

P. Blasius Ploszynius, praemissis iis, quae praemitti solent, in festo An-

[1]) Venceslaus a Leszno Leszczyński.

nunciationis Bmae Virginis Professionem 4 Votorum fecit in templo S. Barbarae, celebrante P. Matthaeo Bembo Praeposito. Pis Ploszinii.

Praeclarum testimonium nostrae innocentiae contra tot Academicorum calumnias, superiori anno occasione caedis Przepiorcae factas, exhibuit huius mensis 27a Rex Serenissimus, litteris ad Pontificem Maximum datis, quarum tenor est talis. Sme ac Bme Pater Dne Clementissime. Post oscula pedum Beatorum meique et Regnorum ac Dominiorum meorum humillimam commendacionem. Societatem Jesu Collegii Cracoviensis a nobis erecti iniuste apud Sanctitatem Vestram incusatam esse et caedis patratae atque tumultuum in eadem urbe anno praxime praeterito excitatorum insimulatam postquam intellexi, graviter pro eo ac par est molesteque tuli. Cuius famae integrae bono publico adeo necessariae consulere quam optime cupiens, negocio indagandae veritatis gravibus quibusdam viris dato conperi, non solum per calumniam Societatem his criminationibus apud Sem Vram vexatam, sed etiam cum gravissimo omnium scandalo ab Academiae Cracoviensis alumnis authoritate privata per praeconem ad sonum tubarum aliquot in locis urbis eiusdem contra omne ius et fas proclamatam fuisse homicidii ream et prohibitionum Sedis Apostolicae in aperiendis suis scholis contemptricem, praetereaque opera eorundem non minus graviter, quam impie de eadem caede diffamatam oratione quadam funebri in funere discoli Academiae eiusdem discipuli, a custodia publica, dum eam violaret, occisi. Tantae audaciae atque temeritatis nefariarumque criminationum authoribus et adiutoribus meritas mandassem statim infligi poenas, si eorum pars praecipua a foro saeculari exempta et privilegiis Apostolicis munita non esset. Quapropter haec Sanctitati Vrae significare volui, maiorem in modum petens, ut pro suo Apostolico zelo in eos pro merito animadvertere velit, ne impunitas ansam aliis praebeat audendi similia et his, quae per summam iniuriam innocenti et piae Societati obiiciuntur, fidem nullam prorsus adhibeat. Illud quoque Sem Vram scire volui, Cracovienses Academicos, non contentos modo legittimo coram Tribunali Sis Vrae in Rota Romana cum eadem Societate Cracoviensis mei Collegii de scholarum negocio rite experiri, ad auxilium quoque saeculare, lite Romae pendentae, confugisse et tam per se, quam per suos fautores studuisse efficere, ut meo imperio instantibus ordinibus Regni, ad Comitia Generalia recens congregatis, adacta Societas in eodem Collegio a docendo omnino desis-

13. Litterae Regiae ad Pontificem,

Quibus ostenditur falso traductam Societatem et maximis iniuriis affectam

Ab Academicis.

Petitur praeterea ut puniantur Academici.

Academici ad forum saeculare confugiunt.

teret, sed irritos hos eorum conatus fecisse et rei ipsius, quam impugnabant, aequitatem et plurimorum tam ex Senatorio quam Equestri ordine in Sedem Apostolicam (ad quam hoc directe spectare sciebant) observantiam, qui ne ista a me nomine publico peterentur, spiritu vere catholico restiterunt. Talia Academicorum molimina, quae non solum in vilipendium authoritatis S^is V^rae vergunt et publicae utilitati impedimenta obiiciunt, sed etiam dissensionis animorum inter Regni mei incolas occasionem non modicam praebent, ut S^as V^ra authoritate sua Apostolica reprimat et his principiis, ex quibus graviora timentur scandala, obsistat, controversiam hanc quam primum in Rota definiri mandet atque sub poenis et Censuris Ecclesiae eosdem Academicos a turbandis scholis Collegii mei Societatetque in libero usu privilegiorum, sibi ab Antecessoribus S^is V^rae concessorum, impedienda inhibeat, diligenter a S^e V^ra peto. Ego interim, dum haec, quae peto, expectantur a S^e V^a, Episcopis quatuor negocium dedi, ut in Cracoviam quamprimum se conferentes pacem inter utramque partem (salvo tamen Pontificio S^is V^rae iudicio ac Tribunali) per modum amicabilis compositionis tractent, id a me Ordinibus Regni petentibus. Deus S^em V^ram Ecclesiae suae Sanctae diu incolumem servet, cuius ego me Apostolicae Benedictioni atque gratiae devotissime commendo. Datum Varsaviae 27^a Martii Anno 1626. Eiusdem S^is V^rae Obsequentissimus Filius Sigismundus Rex Poloniae.

In Comitiis generalibus.

Dissensionum in Regno sunt causa.

14. Significatur de commissione instituta.

Quatuor Episcopi Commissarii assignati.

Sequenti die post scriptas hasce litteras, nempe 28^a istius mensis, prodiit Commissio eiusdem Serenissimi pro 4 Episcopis: Martino Szyskowski Cracoviensi, Achacio Grochowski Premisliensi, Boguslao Boxa Radoszewski Kiioviensi, Mathia Lubinski Chelmensi, ut videlicet pacifice inter nostros et Academiam componerent. Vide hanc Commissionem in libello Gratis fol. 329 de verbo ad verbum positam. Insuper eodem die idem Serenissimus ad Academicos dedit litteras, iis de eadem Commissione significans et eos ad pacem ineundam stimulans, quae etiam legi poterunt in supradicto libello Gratis fol. 333. Tam multa Pientissimus Rex in hoc negocio tentavit et fecit. Sed apud obstinatos Academicos et virulento animo contra nos imbutos nullum ista omnia locum habuerunt. Quarto enim post mense, ut inferius patebit, hanc Commissionem repudiarunt praetextu quidem illo, quod expectare vellent Decretum Sedis Apostolicae et illud sine ulla antecedente compositione se acceptare, tamen

Litterae Regis ad Academicos.

se ipsa ideo, ut dilationibus perpetuis negocium protraherent et mortuo Serenissimo Rege, suas machinationes ad effectum facilius deducerent.

15. Plebs Civitatis Cracoviensis

Circa haec tempora plebs Civitatis Cracoviensis (alias nobiscum ante satis coniuncta) non parum a nobis coepit alienari. Cum enim causam, quam cum Magistratu habebat coram Rege, amisisset, quidam malevoli ei persuaserunt, quod Magistratus per nostros apud Serenissimum fuerit adiutus, licet nihil prorsus nostri de hoc negocio vel scirent, vel cogitarent. Ita male de nobis plebs persuasa facile coepit illis credere, quae de nobis Academici falsissime spargebant, nec parva erat difficultas ea omnia ex animo plebis evellendi, licet per Dei gratiam postea fuerint evulsa.

Ob quorundam persuasiones nobis offensa.

Melchior Piotrowski gravissime decipit P. Kamocki et templum nostrum.

In fine etiam huius mensis quidam Melchior Piotrowski Premisliensis, filiorum D^i^ Marchocki paedagogus, duos torques aureos pro Domina sua, ut praetendebat, fraudulenter a P. Petro Kamocki mutuos acceperat et statim eos 250 florenis Judaeo vendens profugerat. Unde praeter damnum maximae tricae erant secutae apud varios. Finxerat perditus iste litteras a D^a^ Marchocka ad P. Kamocki eiusque characterem erat mentitus, sciens praedictam Dominam a nostris tanquam benefactricem observari. Cognita hac fraude D^s^ Marchocki ex compassione P^i^ Kamocki 250 florenos refudit. Reliquum templo periit.

Eleaemosyna Martii.

Eleaemosynae pecuniariae per mensem Martium accepit Domus S. Barbarae florenos 373. A R^mo^ D^o^ Suffraganeo fl. 210. A Serenissimo Rege fl. 50. A M^fco^ D^o^ Charzewski fl. 50. A D^o^ Archipresbytero fl. 11. A D^a^ Pipanova fl. 15. Reliqui ab aliis. Siligo, hordeum, avena, pisces, panes, fructus varii, amigdala, saccharum reliquaque submissa constiterunt fl. 91.

Testimonium Regis de nostra innocentia in rebus, quibus nos Academici traducebant.

Non contentus Rex iis litteris, quas ad Pontificem Maximum 27^a^ mensis superioris ob defensionem nostrorum dederat, separatim iterum litteris 3^a^ Aprilis datis, non solum toti Regno, sed etiam toti Christiano orbi innotescere voluit, quam inique et impie impii Academici nostros caedis, superiori anno in tumultu factae, reos fecerint et vulnerum nonnullis inflictorum. Extant hae litterae in libello Gratis folio 159 et earum authenticum, manu Regis subscriptum ac sigillo munitum, servatum Domi et insertae sunt in acta varia terrestria, lis vero intentanda iis, qui nos adeo infamarunt, in aliud tempus dilata, multa enim impedimenta tunc nostris videbantur et in civili et in seculari Magistratu ratione iustitiae nobis administrandae.

Censura Parisien-

Scripserat P. Antonius Santarellus, Societatis nostrae, librum quendam de Potestate Pontificis, Romae manens, approbatum et a Magistro Palatii et a

sium contra librum Antonii Santarelli.

nostris Theologis hoc anno. Quia vero in eo asserebat cum communi Theologorum multorum opinione, posse Pontificem Romanum poenis temporalibus Reges ac Principes punire, eos deponere, regnis privare ob certas causas, ideo Academici Parisienses, accepta hac occcasione ad odium nostris conflandum, postquam in aula Sorbonensi 1ª huius mensis relationem de iis, quae hoc libro continerentur, instituissent et hunc librum ob praedictam sententiam damnassent, eandem damnationem recognitam 4ª Aprilis promulgarunt. Sed non multum post Romae eorum censura damnata similiter fuit et publice exusta.

16. Joannis Zerzynski mors.

Joannes Zerzynski Officialis Cracoviensis, tot annorum Societatis nostrae hostis, uti ex his, quae de illo saepius relata sunt, manifestum est, 19ª huius mensis mortuus est, cum superiori anno per Commissionem contra nos impetratam nihil efficere potuisset.

Nuncius Apostolicus frustra Academicos ad pacem hortatur.

Lancellotus Nuncius Apostolicus 22ª istius mensis iterum dedit litteras ad Academicos Cracovienses, quibus eos hortabatur et rogabat ad concordiam nobiscum ineundam, maxime post Commissionem, ratione huius negocii a Rege institutam. Sed nihil apud pertinaces effecit. Generosus Dˢ Waczewski, arcensis peditatus Praefectus, cum

A Dº Waczewski duo in tumultu invasores Academici occiduntur.

eum 29ª huius mensis, nihil de pugna cogitantem et in arcem pacifice euntem, insolenter Academici in arcensi platea circumdedissent et invasissent, acriter sese defendens unum Clericum Baccalaureum et alterum famulum Dⁱ Silnicki occidit ac turbam illam irruentem dissipavit. Cum hi occisi ad tumulum deducerentur et proclamationes fierent, nostri etiam notabantur et nonnulli Religiosi, praecipue vero Concionator Dominicanus in parochiali Bᵐᵃᵉ Virginis templo, graviter nostros ob istos occisos pungebat. Ita omnes occasiones etiam remotissimas infamandorum nostrorum isti homines non intermittebant.

Eleaemosyna Aprilis.

Per Aprilem mensem eleaemosynae pecuniariae accepimus florenos 171. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 26. A Dº Capitaneo Zatoriensi[1]) fl. 30. A Dº Bobrownicki fl. 30. Ex legato Dⁱ Petri Lischowic fl. 30. A Rᵐᵒ Dº Suffraganeo fl. 10. Reliqui ab aliis. Triticum, bos, pisces, carnes, tortae, butyrum, casei, siligo, aromata ab aliis submissa, cum multis minutioribus, fl. 195 sunt aestimata.

Spina Christi publicae venerationi exponitur.

In festo Inventionis S. Crucis Spina Domini, pyramidi cristallinae inclusa, hoc primum anno hominibus ad publicam venerationem est proposita.

17. D. Rozan-

Citaverant Dᵐ Martinum Rozanka[2]) Academici infami citatione, 11ª Superioris mensis, ad iudicia tribunalitia, in qua omnes impu-

---

[1]) Paulus Leśniowolski.

[2]) Vicegerens arcis cracoviensis.

dentias, quae per iudicium fori compositi erant factae manifestissimae, et omnia mendacia, quae superiori anno ratione caedis Przepiorka dicti scholaris excogitaverant, repetierunt. Haec tamen omnia locum habuerunt magna ex parte in tribunalitio iudicio, ad quod circa initium huius mensis eundum erat D^no^ Rozanka. Nam et Gabriel Comes a Tarnow Capitaneus Cracoviensis, cuius vices obibat D^s^ Rozanka, sive ex aliqua contra eum offensione, sive aliqua alia ex causa, nullum auxilium suo Vice-Regenti dare voluit et inciderat sub hoc tempus in tales iudices tribunalitios eorumque Marsalcum D^s^ Rozanka, qui magna ex parte partes Academicorum tuebantur. Itaque multa contra miserum D^m^ Rozanka acerba sunt decreta, ut suo loco videbimus, cum tamen ille nihil aliud fecisset, nisi quod ad tumultus sedandos facere eum conveniebat, qui in loco Capitanei tunc constitutus erat. Tantum valet favor iudicum, sive in bonam, sive in malam partem.

ka relictus a Capitaneo Cracoviensi,

Multa patitur in Tribunali Lublinensi.

Missus 9^a^ huius mensis P. Nicolaus Szelski cum Charissimo Petro Zagorski in Hungariam, ibique mansit ad finem usque Junii et advexerat vinum varium a variis, sed potissimum ab Archiepiscopo Strigonensi Pasmano donatum domui S. Barbarae. Quia vero non adeo fuit excellens et periculum erat, ne acesceret, ideo in celario cuiusdam externi, ut facilius venderetur, collocatum fuit a nostris.

Ex Hungaria vinum advectum.

Significavit Cardinalis de Torres tum nostris, tum aliis, 21^a^ istius mensis, de edicto Romae facto, ratione rerum ad Regulares spectantium non alienandarum, quod intelligendum sit etiam de pecuniis ad cambium, vel ad mutuum ob lucrum cessans, aut damnum emergens datis. Qua de re scriptum erat ad Superiores huius Provinciae.

Edictum de bonis Regularium non alienandis etiam de pecuniis intelligendum.

Cum P. Fridericus Szembek ad hunc usque mensem Varsaviae mansisset, quia post Comitia Regni aliquoties, tam apud Regem, quam apud Principem audientiam habuit de variisque ad Collegium S. Petri spectantibus cum utroque contulit; et quia expectanda illi erant ea, quae in Cancellaria pro nobis expediebantur authentica, tum testimonii Regii de innocentia nostra contra calumnias Academicorum eaque non pauca, tum Commissionis a Rege assignatae quatuor Episcopis: ideo postquam haec omnia parata accepisset, 25^a^ huius mensis Varsavia discessit et 27^a^ Bozantinum ad Episcopum Cracoviensem venit eique et Commissionem et litteras Regias reddidit variaque cum eodem contulit de iis, quae illi Rex iniunxerat et Princeps. Inter caetera illud etiam illi nomine Regis dixerat, ut quandoquidem Archiepiscopatum post mortem Laurentii Gembicki illi oblatum recusasset, saltem negocium hoc Collegii S^i^ Petri in suo Episcopatu perficiat. Obtulit se Episcopus alacriter ad omnia pollicitusque est, se propter Commissionem venturum Cracoviam, quamprimum a podagra et chiragra, ex quibus tunc laborabat, liber fuisset.

P. Szembek Varsavia discedens,

Divertit Bozantinum ad Episcopum. Varia cum illo confert.

18. Redit Cracoviam

Rediit Cracoviam 29ª istius mensis P. Szembek, de quo iam Academici antea rumorem sparserant, quod ob tot tricas Collegii S. Petri ablegatus fuerit Varsaviam, ut ibi moraretur, sicut et de P. Lancicio, quod eandem ob causam iussus sit Romae manere, nec in Poloniam redire, sed utrumque falsum fuisse ipsimet Academici sunt experti.

Et curam Collegii S. Petri suscipit.

Sequenti die nempe 30ª huius mensis, quae in Vigiliam Pentecostes inciderat, attulit P. Stanislaus Brzechffa Pⁱ Szembek litteras Rdi P. Provincialis, quibus iubebatur suscipere Collegii S. Petri curam ad adventum Pⁱˢ Lancicii, Pater Brzechffa vero alium in locum, nempe ad Collegium Lublinense, erat destinatus.

Eleaemosyna Maii.

Accepimus per Maium eleaemosynae pecuniariae florenos 87. Ab Episcopo Camenecensi[1]) fl. 30. A Suffraganeo Cracoviensi fl. 10. A Virgine Anna pro piscibus fl. 20. Ab aliis 27. Butyrum, casei, triticum, siligo, carnes et alia minutiora aestimata sunt fl. 24.

Postquam 2ª Junii, quae in feriam 3ªm Pentecostes inciderat, P. Stanislaus Brzechffa Cracovia Lublinum abiisset, ut in illo Collegio superioris vices obiret, sequenti die ad Collegium S. Petri P. Fridericus Szembek venit eiusque curam gerere coepit.

Litterae Commissionis redditae Academicis et Consuli.

Redditae litterae Regiae Academicis et Civili Magistratui, nempe Dº Pro-Consuli Conrado, 8ª huius mensis, de Commissione significantes. Intellexerant etiam antea Academici insertum esse actis publicis testimonium Regium de innocentia nostra pluribusque datum authentice, imo et a Nuncio Apostolico missum Romam, quae omnia illis non erant ad palatum. Unus ex illis, dum Commissio fuisset data, illa verba dixit: «Wydano Pannę za Mąsz a ona niechce», significans Academiam invitam trahi ad concordiam. Totumque hoc Pⁱ Szembeco asscribebant, tanquam ab illo procuratum. Unde et Jacobus Naiman Rector, postquam intellexisset, P. Szembek Varsavia rediisse et curam Collegii S. Petri suscepisse, in illa verba proruperat: «Diabli go tu przynieśli». Cui alter ioco respondit: Imo vero iam cum illo tanquam amico e fenestris colloquia instituere poteritis, ob tantam viciniam.

Moleste eam ferunt Academici.

Prima decissio Rotae pro nostris scholis prodiit Romae.

Post tot Controversias inter nostros et Academicos Cracovienses Romae institutas, tandem 19ª istius mensis prodiit Prima Decisio Rotae Romanae, unanimi consensu facta, in qua ostenditur, non posse Academicos prohibere, ne nostri Cracoviae doceant et ex iure

[1]) Mathias Lubieński.

communi et ex Privilegiis Societatis. Vide hanc decisionem in libello Gratis folio 100. Sed post hanc decisionem non quieverunt Academici, adeo, ut ad 6^{am} decisionem et tria decreta ac litteras demum Executoriales tandem deveniendum fuerit, ut postea videbimus. Hisque omnibus peractis, occasione mortis Regiae, quae post 6 annos contigit, perstiterunt in sua pertinacia Academici, licet toties coram multis dixerint, se acquieturos decretis Rotae.

Adventus P. Provincialis.

Venit R. P. Provincialis 28^{a} huius Cracoviam et plusquam duobus mensibus hic commoratus est, singulas domos nostrorum Cracoviensium visitans.

Eleaemosyna Junii.

Summa pecuniae eleaemosynae nomine per Junium acceptae erat florenorum 264. A R^{mo} Episcopo Chelmensi fl. 200. A R^{mo} D^{o} Suffraganeo fl. 10. A Confraternitate Misericordiae fl. 15. Reliqui ab aliis. Iam triticum, siligo, casei, butyrum, carnes, libri, pannus, mel, millium submissa constiterunt florenis 162.

Expedita Renovatio Votorum in festo Visitationis Beatissimae Virginis more consueto.

19. Invadit Gustavus Prussiam.

Irruperat superiori mense Gustavus Adolphus Svecus (cum ante 5 annos Rigam et cum ea postea totam Livoniam occupasset) post varias conspirationes cum haereticis in Prussiam et hoc mense maximam partem Prussiae occupavit. Venit imprimis Pilaviam, quae civitas est Electoris Brandeburgici, portum habens, exceptusque a Pilaviensibus, qui omnes sunt haeretici, non ut hostis, sed ut Dominus. Unde multi adventum Gustavi in Prussiam cum exercitu, conscio Brandeburgico Electore fuisse factum, non immerito coniiciebant et praedictum Electorem Proditorem Regis ac Reipublicae manifestum passim vocabant, quamvis Elector modis omnibus se ab ista suspicione purgare non desinebat. Substiterat aliquo tempore Pilaviae indeque tum Gedanenses tum varios alios ad defectionem a Rege et a Regno Poloniae, vel saltem ad impiam neutralitatem, sollicitabat. Non acquiescentibus autem Gedanensibus et in fide permanentibus, telonium certum illis ademerat. Usus post ingenti celeritate Puckum, Bransbergam, Varmiam, Ornetum, Elbingam, Marieburgum, Gniewum, Dersaviam [1]). Et quidem praeter Bransbergam, quam aliqua vi accepit, reliqua omnia loca, per proditionem haereticorum in eius potestatem venerunt. Et, ut reliqua taceamus, certe Elbingenses adventanti Gustavo honoris causa obviam processerunt et honorificentissime eum exceperunt. Marieburgenses etiam, priusquam ad eos venisset, per litteras sese illi tradiderant, licet convenissent de aliqua

Per proditionem haereticorum

Capit plurima loca.

Ab haereticis per honorifice suscipitur.

[1]) Occupavit.

specie belli tunc, cum Marieburgum appropinquaret. Invasio ista Gustavi multorum annorum bella continuavit, ut suis locis patebit.

Dissidiis et diffidentiis nostrorum sumebat vires Gustavus.

Crescebant porro res Gustavianae in Prussia perpetuis Procerum ac Nobilitatis dissidiis et non levis erat suspicio de multorum haereticorum cum Gustavo conspiratione. Imo erant ii, qui vel Gustavum, vel Fratrem Regis Galliae, vel ipsum Gaborium Transylvaniae Principem ad Regnum vocare (Rege cum Coniuge, filiis ac filia prius in captivitatem reductis) contendebant, sed eorum omnium machinationes Rex, postquam cognovisset, contempserat, ut in Maio Anni 1624 nonnulla sunt annotata. Gliscebat tamen ad hoc usque tempus malum in multorum animis et hoc tandem anno prorupit, ex una parte Gustavo Prussiam invadente, ex altera Gaborio Minori Poloniae imminente; sicque tot diffidentiis ac dissensionibus nostrorum perpetua Gustavus sumebat incrementa.

Dimissus ....

..... [1]) ob mores perditos et incorrigibiles dimissus est ex Societate 7ª istius mensis, cum antea aliquot diebus in vinculis fuisset detentus, eo quod P. Ministrum invasisset et excusisset.

20.

Propter Commissionem, in Martio a Serenissimo datam, convenerant Cracoviam Martinus Szyskowski Cracoviensis et Boguslaus Boxa Radoszewski Kiioviensis Episcopi, 12ª istius mensis, vocatisque Academicis multis rationibus persuadere sunt conati, ut morem gererent aequissimae S. Regiae Maiestatis voluntati et tot aliorum bonum commune amantium optimis desideriis. Sed Jacobus Naiman Rector Academiae, nomine eiusdem omniumque Professorum, qui aderant, respondit, se totamque Universitatem nihil prorsus agere velle de concordia cum Collegio Cracoviensi Societatis Jesu, sed totum iudicium Tribunali Sedis Apostolicae commisisse et committere, paratissimosque esse, uti veros Ecclesiae Catholicae filios, eiusdem S. Sedis iudicio in hac controversia per omnia parere. Et sic ista Commissio nullum exitum habuit. Antequam autem ultimum responsum Academici dedissent, feruntur illud dixisse, quod 30 ex illis sancte iurarint de nulla cum Societate concordia ineunda. Quasi vero, vel inscio Academiae Supremo Cancellario, qui est Episcopus Cracoviensis, talis coniuratio facta aliquid valuerit, vel iuramentum cum iniuria aliorum et de re illicita ac per se mala obligare possit. Cum autem

Commissionem conantur suadere Academicis Episcopi,

Sed eam reiiciunt et Tribunal Rotae volunt expectare

Ob suam coniurationem,

Quae impia fuit.

[1]) Nomen hoc alio atramento deletum, tamen legi potest: Jacobus Szostak, et in Indice, quem Wielewicki initio sui manuscripti posuit, etiam permansit.

subiunxisset Episcopus Cracoviensis: «Quid vero facietis, si ad excommunicationes, beneficiorum spoliationes et captivationes ventum fuerit»? responderunt, se tale decretum toleraturos, si latum fuerit.

Impressus erat Ordo supplicationum peragendarum in variis templis Cracoviensibus successive, 20ª huius mensis, pro necessitatibus Regni. Pro his posita etiam erant trium nostrorum domiciliorum templa. — Indictae supplicationes pro Regni necessitatibus.

Prodierat quidam liber impressus sub nomine Pⁱˢ Marianae, Societatis nostrae, contra gubernationem Societatis et studiorum rationem valde venenatus et passim per Italiam, Hispaniam aliasque regiones a malevolis disseminabatur. Ideo Admodum R. P. Noster 25ª huius mensis eum damnavit, exurere iussit et omnibus nostris per totam Societatem eius lectionem interdixit. Fertur P. Mariana, dum viveret, varias displicentias habuisse et scripto notasse circa gubernationem P. Claudii Aquavivae et ordinationes varias ac modum litterarum sive humaniorum, sive graviorum docendarum. Post mortem, nescitur quo casu, ad manus externorum istae eius lucubrationes pervenerunt. Et his malevoli plurima addiderunt, de quibus ille non cogitabat, et in lucem ediderunt ad odium Societati conflandum. Dum Visitator esset post aliquot annos Provinciae Polonicae et Lituanicae P. Pompilius Lambertengus, palam retulit, se legisse illa scripta Pⁱˢ Marianae et post eius mortem libellum impressum ita ab aliis scriptis fuisse diversum, ut vix agnosceretur ob plurima addita et immutata. — Prohibetur et damnatur liber Marianae. 21. Quem malevoli quidam auctum et immutatum imprimi curaverunt.

Excitatum incendium in Clepardia 29ª huius mensis unam plateam absumpsit. — Incendium Clepardiense.

Oratio diurna pro Regni necessitatibus in templo nostro fuit in festo S. Patris Ignatii, cuius Sancti hoc anno experta opem nobilis Sophia Brzechfianka. Cum enim extremum vitae periculum subiisset vixque spiritum traheret, post plurima media tentata, S. Ignatii auxilium implorat et vota concipit. Vix aliqua interposita mora primae sanitati restituitur et sequenti die integris viribus ad altare Sancti in nostro templo vota persolvit. — Oratio diurna. Auxilium S. Patris Ignatii.

Pervenit eleaemosyna pecuniaria Mensis Julii ad florenos 1462. Nempe pro vino vendito, quod eleaemosynae loco Archiepiscopus Strigonensis Pasman miserat, fl. 1262. A Rᵐᵒ Dᵒ Suffraganeo fl. 20. A R. Dᵒ Mosiążek fl. 30. A variis per P. Węgrowski fl. 70. Ab aliis reliqui . Iam res submissae, ut ligna, quae 150 florenis constabant, triticum, pisa, carnes, panes, millium, bos cum aliis minutioribus, aesimatae sunt in universum fl. 217. — Eleaemosyna Julii.

P. Gaspar Drużbicki 5ª Augusti iniit officium Magistri Novitiorum et Rectoris Domus Probationis in domo S. Stephani. Nam P. Andreas Vachocius ob afflictam valetudinem omnino erat ab hoc officio liberandus, quod per septem fere annos gessit. — P. Drużbicki Rector Novitiorum factus.

In pervigilio S. Laurentii et in ipso festo Oratio 40 horarum in nostro templo pro Regni necessitatibus habita. — Oratio 40 horarum.

Testimonium Episcoporum Commissionis ab Academicis non acceptatae.

Quod Commissionis Regiae, de qua 12ª mensis superioris actum est, nullus sit effectus secutus propter Academicos eam non acceptantes, luculentum testimonium illudque publicum dederunt Commissarii, Episcopi Cracoviensis Kiioviensisque, manibus propriis subscriptum et sigillis obsignatum, 13ª istius mensis. Habetur hoc testimonium in libello Gratis, in quo tamen ad sequentem Annum nempe 1627 pertinere scribitur, licet videatur isto anno factum. Hanc porro ob causam testimonium praedictum erat procuratum, ne imposterum Academici reiectae concordiae in nos culpam reiicere possent, quod tamen imprudenter facere non cessant.

Visitatio P. Provincialis.

A 22ª huius mensis ad 6am Septembris mansit nobiscum R. P. Provincialis et domum S. Barbarae visitavit.

22. Lucae Klein Patria, Ingressus in Societatem.

Desiit esse in vivis Lucas Klein, 25ª istius mensis. Pruthenus is erat anno 1556 Lubaviae in Prussia natus. Ingressus Societatem Bransbergae anno Domini 1577, aetatis vero suae anno 22, cum antea in scholis trivialibus aliquanto tempore versatus fuiset et praeter linguam germanicam ac polonicam, etiam latinam didicisset. Post quatuor menses in tyrocinio Bransbergensi expeditos, (nam dispersum tunc erat Collegium Bransbergense cum Noviciatu, ob incursiones Gedanensium, Regi Stephano rebellium sub hoc tempus) Pultoviam prius, deinde Jaroslaviam et Posnaniam missus fuit. Post biennium probationis, votis simplicibus emissis, varia Coadiutorum munera obiit. Sacristianum egit in locis variis annis fere 20. Pis Antonii Possevini ad Imperatorem Rudolphum, ad Regem Stephanum, ad Regem Joannem Sveciae variosque alios Principes a Gregorio 13o Legati, socius fuit, cum eoque in Transylvaniam iverat. Aliquanto tempore Socius fuit P. Georgii Fredleri, Constantiae Reginae Poloniae, Sigismundi III Coniugis, Confessarii. Pri etiam Alberto Rosciszewski, ob curam valetudinis ad thermas in Germaniam eunti, datus est socius. Ex hoc itinere reversus, reliquam aetatem senilem in aede S. Barbarae consumpsit, varios Adiutorum functiones peragens magna cum diligentia Ob modestiam, qua inter externos versabatur, magni fiebat ab illis. Ultimis mensibus in magnum corporis languorem inciderat et postremis duabus septimanis prostrationem virium expertus, ad extrema devenit, cum pridie mortis Sacramentis Poenitentiae, Eucharistiae ac Unctionis extremae sese munivisset. Obiit anno aetatis 71, ex quibus in Societate consumpsit fere 49. Coadiutor formatus temporalis ab Anno 1600, 25ª Januarii. Sepultus sequenti post mortem die in sepulchro Sacristiae vicino.

Varia munera in variis locis Societatis.

Et multorum itinerum socius.

Praeparatio ad mortem.

Et ipsa mors. Aetas eius et Societatis.

In locum R. D. Joannis Matruszowic, Capellani Congregationis Misericordiae, R. D. Stanislaus, qui Vicarii munus ad aedem S. Stephani ante obibat, a Po Kamocki, templi Praefecto, eidem Congregationi hoc mense est praesentatus, ab eademque est receptus cum obligatione Sacra omnia consueta et vesperas canendi, nisi forte aliquis Praelatus aut Noster canere vellet.

Eleaemosyna Augusti.

Mensis huius eleaemosyna pecuniaria erat florenorum 167, nempe: Ab Episcopo Cracoviensi fl. 25 A Suffraganeo fl. 10. A variis, procurante P. Wą-

growski, fl. 80. A. P. Starczewski fl. 10. Ab aliis reliqui. Iam panes, carnes, aromata, vinum, hordeum submissa fl. 22 constiterunt.

23. Rex contra Gustavum cum exercitu progreditur et castra ad Gniewum ponit.

Ob Gustavum, tam multa a mense Junio in Prussia sibi subiicientem et per deditionem accipientem, maxima celeritate Rex Serenissimus convocabat variorum militum et peditum et equitum cohortes Toruniumque sese contulerat. Cum ergo iustus exercitus ad eum confluxisset, statim 6ª Septembris Torunio cum eo contra hostem processit et 17ª eiusdem ad Gniewum castra posuit, ibique ad 2ᵃᵐ Octobris mansit, hoste accedente quidem, sed in pugnam non procedente. Aliquot tamen minoris momenti proelia cum eo sunt commissa, nostris semper superioribus evadentibus. Confluebant interim in dies ad Serenissimum varii Regni Proceres cum suis cohortibus.

Jubilaeum magnum hoc anno

Celeberrimus hic mensis fuit Jubilaeo magno, cui initium erat datum in festo Translationis S. Stanislai, seu 27ª eiusdem, et continuatum ad 27ᵃᵐ Novembris. Cum enim superiori anno integre Romae celebratum fuisset, postea Regno Poloniae ad bimestre spacium concessum fuit. Quia vero praesente anno in Februario litterae Pontificiae, in hoc negocio datae, tardius venerunt, ideo hic Cracoviae et per alia Regni loca (Magnus enim Ducatus Lituaniae similem gratiam a Summo Pontifice peculiari scripto obtinuit) 15ª Julii erant promulgatae, ut videlicet, sicut duobus mensibus ipsum Jubilaeum futurum erat, ita aliis duobus in notitiam omnium Regni incolarum commode veniret. Initium, progressum et finem huius Jubilaei egregie descripsit Admodum R. Dⁿ Joannes Foxius, Archidiaconus Ecclesiae Cathedralis Cracoviensis, libello ea de re edito hoc anno, cuius talis est inscriptio: Memoria Jubilaei Magni Regno Poloniae ab Urbano VIII. Summo Pontifice concessi Anno Domini 1626 etc. Atque de illo pluribus hic non agendum. Illud peculiare nostris erat, quod cum 100 Confessarii pro excipiendis hoc tempore Confessionibus fuissent designati in templo arcensi (licet postea ob ingentem convenientium multitudinem alii fere 100 addendi essent), qui examine praevio approbati erant, nostros tamen sine examine vel ipse Episcopus approbabat, vel ut Superiores approbarent, concesserat. Erant tria templa designata visitanda, nempe: Arcense S. Stanislai, SS. Petri et Pauli Apostolorum et SSᵐᵃᵉ Trinitatis, in quibus coram altaribus, quae inscriptionem habebant Magni Jubilaei, orationes a visitantibus expediebantur et iisdem templis alligatae erant Confessiones, postea

Pro Regno Poloniae mittitur et promulgatur.

Descriptio eius per R. D. Joannem Foxium.

Confessarii pro eo.

tamen duabus septimanis ante finem Jubilaei, ut multitudini advenienti satisfieri posset et ad S. Barbaram et in aliis primariis templis concessum erat, ut Confessiones exciperentur, cum obligatione visitandi tria templa praedicta. Ut autem in templo S. Petri Nostrorum Confessariorum maior esset copia, praeter hos, qui Cracoviae in diversis locis erant, ex Patribus tertii anni Jaroslaviae erant decem evocati, qui aliis nostris adiuncti egregiam operam praestiterunt. Inter praelatos et variorum ordinum Religiosos, qui vel dubia circa Jubilaeum occurrentia solvebant, vel approbandos pro Confessione examinabant, erant etiam nostri deputati. Et ut alia missa faciam, iucunda erat initio Jubilaei disputatio, an vi Jubilaei possit esse ab haeresi absolutio, negante uno ex nostris, affirmante autem R. P. Nicolao Moscinensi, Doctore Theologiae Dominicano. Cumque hac de re ostensa fuisset resolutio Congregationis Concilii Tridentini, mutavit P. Dominicanus sententiam. Confirmatum hoc postea fuit Jubilaeo Anni 1629, in quo expresse excipiebatur haeresis. Numeravit in hoc Jubilaeo Cracoviae praedictus R. D. Foxius Episcopos 6, Palatinos 6, Maiores et Minores Castellanos 17, Officiales Regni 6, Ducissas, Comitissas et aliorum Senatorum Coniuges non paucas cum maxima nobilitate et ingenti plebis multitudine.

24. In templo SS. Petri et Pauli quam multi Confessarii.

Vi Jubilaei an ab haeresi possit esse absolutio.

Quam varii hospites in Jubilaeo.

Eleaemosyna Septembris.

Submissa eleaemosyna pecuniaria per Septembrem florenorum 225. Ab uno, qui sciri nolebat, fl. 100. Ex legato D^ae^ Sulkowa fl. 50. Ab Abbate Mogilnensi [1]) fl. 30. A R^mo^ D^no^ Suffraganeo fl. 10. Reliqui ab aliis. Res datae in cremato, panibus, carnibus, caseo, butyro, vino, ovis, farina, constiterunt fl. 98.

Castra Regia circa Peplinum.

Mota Castra Regia Gniewo 3^a^ Octobris, circa Peplinum sunt fixa, ob variam occasionem rei bene gerendae contra hostem, quae illo ex loco expectabatur.

25. Translatio Reliquiarum solemnis

Celebritatem Jubilaei et devotionem populi non parum auxit solemnis ad templum Regium Societatis Jesu translatio Corporum Sanctorum Petri, Victoris, Alexandri et Anastasiae martyrum, fideli ex Urbe testimonio allatorum, nec non Calvariarum S. Albinae, Ducis filiae et unius ex sociabus S. Ursulae, a Serenissimo Rege eidem templo donatarum. Decima ergo Octobris, quae dies anniversariae memoriae Turcarum ac Tatarorum a Regno Poloniae repulsorum dedicata est, ut suo loco diximus, Sanctorum praedictorum reliquiae ex templo Cathedrali (in eo enim mane, debito cum honore, erant depositae) solemni apparatu, duobus loculis auro gemmisque coruscantibus inclusae, humeris Patrum Societatis aliorumque Religiosorum, sacris vestibus indutorum, praecedentibus tum variis Religiosorum Ordinibus tum Ecclesiae Cathedralis Clero ac ipso Ca-

Ex templo Arcensi

[1]) cfr. Mon. Pol. hist. V. 660. nomen hoc desideratur.

nonicorum Collegio, subsequente Thoma Oborski Laodicensi Antistite[1]), habitu Pontificali, cum ingenti numero Virorum illustrium, antecedente et concomitante, seu potius plateas replente, maxima omnis sexus multitudine et non campanis tantum, sed etiam tubis ac timpanis personantibus, deportatae sunt ad aedem SS. Petri et Pauli Apostolorum. Ad quam postquam ventum esset, idem Antistes Oborscius in theatro, ad finem hunc in medio templi exstructo, loculos deposuit. Ibi tunc admiranda multitudinis fidelium devotio enituit, flores loculis appositos loco benedictionis accipientis et globulorum precariorum contactu ossa sacra venerantis. Hoc cum per dies 16 continuatum esset, accedente semper maxima populi frequentia, tandem Cracoviensis Praesul, resumptis ex morbo, quo detinebatur, viribus, in praesentia plurimorum Senatorii Ordinis et Collegii Canonicorum ac variorum Religiosorum, sacris vestibus indutus, inter duos Suffraganeos, Thoma Oborscio Cracoviensi et Stanislao Starczewski Plocensi, ad theatrum praedictum accessit et postquam Sacras Reliquias veneratus, eas tum propriis, tum aliorum humeris, urnis duabus inclusas, ad altaria navis Ecclesiae sibi opposita detulit in iisque deposuit et consignavit.

Ad templum SS. Apostolorum Petri et Pauli

Et earumdem in certis altaribus depositio.

Sub hoc plane tempus Tartarorum, qui in Regni ditiones irruperant et extrema quaeque nobis minabantur, praesertim cum militiae robur contra Gustavum in Prussiam deductum esset, insignis et omni aevo memorabilis clades incidit Duce.....[2]) Chmielecki, viro rei militaris peritissimo et patriae amantissimo, quem Regni Annales fusius extollent eiusque ex hoste victoriam praedicabunt. Hic sufficiet attigisse. Capta erant enim tunc Tartarorum castra, caedes hostium per quinque dies continuata, caesorum plurima millia numerata, inter quos 40 fere Mursae (Praefectos bellicos Tartari sic vocant) occisi ferebantur. Quoniam vero in tanto proelio nostri 5400 non excesserant et tantum 39 cum adeo numeroso hoste desiderati sint, nulli dubium erat, Dei potentis dexterae non humanis viribus, quod etiam ipsi hostes fatebantur, id totum peractum. Porro horis pomeridianis nonae diei Octobris, quo primae vesperae solemnes Deiparae et Sanctis Regni Patronis decantabantur Cracoviae, in finibus Regni datum initium pugnae cum Tartaris, quae postea sequenti 10a die et aliquot aliis cotinuata adeo feliciter cessit. Hinc non immerito multi crediderunt hos Sanctos, quorum sacra ossa transferebantur, una cum Patronis Regni nostri contra Barbaros pugnasse et efficaci de coelo adfuisse praesidio, quando eorum mortales exuviae novo domicilio recipiebantur.

Insignis victoria ex Tartaris relata Duce D. Chmielecki.

Sub idem tempus.

Sanctis pro nostris pugnantibus.

[1]) Suffraganeus Cracoviensis.

[2]) Stephano. Nomen hoc ommissum a Wielewicki, serius inscribendum fuerat, ut facile coniici potest ex spatio relicto.

26. Memoria B. Stanislai Kostka.

Dominica 27ª post Pentecosten, quae in 25ªm huius mensis inciderat, annuam B. Stanislai Kostka memoriam solemniter obiimus, cantante Sacrum pontificaliter Stanislao Starczewski Suffraganeo et Abbate Plocensi in templo S. Barbarae.

Eleaemosyna Octobris.

Eleaemosyna Octobris mensis pecuniaria erat florenorum 361. Ab Episcopo Cracoviensi 131. A Dº Palatino Cracoviensi[1]) et Dº Ensifero[2]) quartalis ex Wielicka fl. 36. A Suffraganeo Plocensi Dº Starczewski fl. 30. A Suffraganeo Cracoviensi fl. 10. A R. Dº Mosiążek fl. 10. A Dº Judice Wielunensi[3]) fl. 10. A Dº Czerny fl. 10 A Virgine Agneta fl. 25. A quadam fl. 39. Reliqui ab aliis. Iam vinum, panes, carnes, triticum, siligo, butyrum, casei, quae submissa sunt et cervisia, aestimata erant fl. 105.

Decisio Rotae 2ª pro nostris scholis.

Post primam decisionem Rotae Romanae pro nostris scholis contra Academiam factam 19ª Junii, iterum 2ª decisio 6ª Novembris mensis data est, priorem confirmans et privilegium Pii V. pro nobis factum maxime urgens ac explicans[4]).

Mors et vocatio ad Societatem Laurentii Bernacki.

Mortuus est in domo probationis S. Stephani, 9ª istius mensis, Laurentius Bernacki Coadiutor Novitius, miri candoris et magnae humilitatis patientiaeque. Hic ille est, qui dum Jaroslaviae superiori anno, adhuc externus, Collegio operam suam navaret, vidit in somnis P. Michaelem Becanum, aliquot ante annos defunctum et se admonentem, ut Societatem Jesu ingrederetur. Quod reipsa ille executus, in brevi explevit tempora multa.

27. Gustavo fraudulenter agente,

Circa 19ªm huius mensis ex Castris rediit Serenissimus Torunium ad Comitia trium hebdomadarum, quae indixerat. Cum enim circa medium superioris mensis Stanislaus Koniecpolski ad Regem in Castra venisset et gubernationem exercitus suscepisset, maximopere curans, ut hostem ad campestre proelium elicere posset, cum praesertim satis numerosus et egregie instructus noster esset exercitus: advertens Gustavus, se aperta vi tunc nihil amplius perficere posse eorum, quae designaverat, ad fraudes sese confert. Confinxit

Et in Sue-

---

[1]) Joannes comes a Tęczyn.

[2]) Joannes Zebrzydowski.

[3]) Szyszkowski.

[4]) Exemplar huius decisionis, typis impressum, annexum est nostro Manuscripto, inter fol. 700 et 701, sub titulo: «Declaratio Sac. Rotae Rom. coram Rmo D. Jo. Bapt. Coccini Decano In causa Cracoviensi Juris legendi. Romae, Ex Typographia Rev. Cam. Apost. 1626. Cum licentia Superiorum». Ornatus est hic titulus armis Pp. Urbani VIII, quae tres apes in scuto habent. Decisio ipsa continetur duabus paginis, quarum prima in fronte habet datum: «Veneris 6 Novembris 1626». Incipit vero: «Fuit iterum unanimiter resolutum, quod Praeceptoribus Societatis Jesu liceat in eorum Collegio Cracoviensi, ultra humaniores literas, legere etiam liberales artes, Theologiam et alias facultates» etc.

enim, se ad pacis tractatus descendere velle, qui cum fiunt nullo operae pretio, ille interim iis, quae ceperat locis, maximis praesidiis et variis fossis munitis, fugit ex Prussia in Sveciam, ut sequenti anno cum maiori exercitu in Prussiam rediret. Cognitis eius hisce machinationibus Rex, relicta magna parte exercitus penes Stanislaum Koniecpolscium, qui prope Marienburgum aliasque munitiones ab hoste captas hiemaret, Torunium, ut diximus, se contulit et quomodo cum hoste sequenti anno continuandum esset proelium, in Comitiis indictis varia cum Republica constituit.

ciam abeunte,

Relicto Koniecpolscio in Castris Rex Torunium ad Comitia venit.

Postquam Jubilaeo finiendo praefixus dies 27 huius advenisset, in Cathedrali Ecclesia SS^mae^ Eucharistiae Sacramentum ad aram maiorem delatum fuit (qua etiam die omnium Ecclesiarum Clerus cum sodalium coetibus et populo numerosissimo ab ortu solis ad occasum eandem Ecclesiam cum aliis duabus visitabat) a Vicario Generali Erasmo Kretkowski, a quo etiam maximo apparatu Sacrum peractum est. Tum post vesperas et concionem in fine habitam (quae tamen ob ingentem multitudinem, instar fluctuum inundantium huc et illuc sese commoventem, vix audiri poterat) Hymnus Te Deum Laudamus coeptus, campana maxima pulsante et tormentis bellicis in aggere arcis Cracoviensis aliquot vicibus explosis, praesentibus vero omnibus in gratiarum actionem sese effundentibus.

Jubilaeo finis imponitur.

Percommode autem accidit, ut finem accipiente Jubilaeo amplae aliae indulgentiae visitantibus septem Civitatis Cracoviensis templa, instar illorum, quae Romae totidem Ecclesias accedentibus dantur, a Paulo olim V concessae ad annum transacti Jubilaei, iterum ab Urbano VIII. moderno, ad spacium 12 annorum concederentur et hoc tempore promulgarentur. Qui enim Jubilaei participes esse non potuerunt, facile iacturam praedictis indulgentiis resarcire poterant.

28. P. Valentini Rusconii Patria,

Obiit 29^a^ istius mensis, quae in 1^am^ Dominicam Adventus inciderat, P. Valentinus Rusconius. Erat is Maior Polonus Bucoviae (quod oppidum Episcopi Posnaniensis non ignobile est) natus honestis parentibus Anno 1563. Principiis litterarum in Patria expeditis Posnaniam concessit, ibique in scholis Grammatices ac Poetices litteris operam dedit. Romam postea concessit anno 1581, ubi postquam Stanislao Rescio Abbati Andrzeioviensi (qui Bucoviensis erat eiusque compatriota) animum ineundae religionis aperuisset et ab eo plurimum Societatem Jesu laudatam audivisset, eidem nomen dedit eodem anno. Exacto vero Romae uno probationis anno, ad Collegium Maieratense missus est, ut ibidem et reliquum probationis expediret et simul Rhetoricae operam daret. Romam iterum reversus, vota Scholasticorum anno 1584 mense Aprili emisit, Rhetoricaeque aliquot menses totidemque Logicae vacavit. Pataviam post missus, ut Rhetoricam repeteret, cum Martino Smiglecio et P. Jacobo Harto Anglo in Poloniam venit. Jaroslaviae aliquanto tempore Syntaxen docuit; Casibus post Conscientiae per unum annum studuit; Cracoviae socius Magistri Novitiorum uno similiter anno erat. Inde missus Vilnam per alterum annum sub P. Adamo

Ingressus in Societatem,

Studia in Societate,

Reditus in Poloniam.

Varia munia et maxime Ministri,

Broio Anglo, Theologiae moralis auditor fuit. Factus Presbyter Anno 1589 Niesvisii curam praediorum habuit ac in schismaticis in aliquot pagis oppidoque ad Catholicam Ecclesiam reducendis felicem operam navavit. Vilnam anno 1595 reversus, Ministrum Collegii egit et typographiae domesticae curam habuit. Ibidem eodem anno in manibus P^is^ Bernardini Confalonerii 21^a^ Maii Coadiutor formatus spiritualis est factus. Cracoviam iterum evocatus anno 1597 ad S. Stephani aedem Ministri procuratorisque pagorum officio per aliquot annos est perfunctus. Tandem anno 1607 ad S. Barbarae domum venit et Procuratoris Provinciae officium curamque fabricae S. Petri sustinuit, quorum primum nonnisi duobus fere ante mortem annis deposuit ob senium ac debilitatem. Confessarii tamen munus in templo nostro ad finem vitae retinuit. Mediocrem doctrinam pietate et munerum sibi iniunctorum exacta observatione egregie compensavit; rara enim in rebus factivis a Deo talenta acceperat. Prudentiam et amorem fraternum cum alias saepius tum potissimum anno 1622, quo domi relictus nostrorum, qui ad iuvandos infectos manserant, Superior erat, luculenter ostendit, ut ibidem perscriptum est. Astmate et cordis oppressione ea die, qua Sanctissimam Eucharistiam sumpserat, ad obitum se comparans, praeter expectationem mortuus est die praedicto sub occasum solis, nam iam meliuscule haberi videbatur. Ex annis aetatis 62 consumpsit 43 in Societate. Sepultus sequenti die in templo nostro sub maiori altari.

Procuratoris praediorum,

Et Procuratoris Provinciae.

Prudentia.

Mors.

Aetas.

Sepultura.

Pecuniaria eleaemosyna Novembris erat florenorum 187. A R. D^o^ Zlotnicki fl. 50. Ab alio, qui sciri nolebat, alii 50. A D^a^ Opalinska Marsalca[1]) fl. 20. A Palatina Russiae[2]) fl. 10. A D^o^ Suffraganeo fl. 10. A Confraternitate Misericordiae fl. 15. Reliqui ab aliis. Carnes, panes, vinum, frumentum, pisces, butyrum, casei, ova, olera submissa fl. 74 sunt aestimata.

Eleaemosyna Novembris.

29. Post duplicem decisionem Rotae Romanae in Junio et superiore mense pro nostris scholis contra Academicos latam, asseverantibus Academicis istas decisiones in contumaciam tantum obtentas et affirmantibus coram variis, Procuratorem suum non fuisse bene informatum, petierunt iterum, ut melius informare possent Tribunal Apostolicum, quod illis liberaliter concessum fuit. Cum ergo praecipuos patronos adiissent et qua poterant diligentia suum negocium pertractassent, post plurimas causae ventilationes tertia decisio pro nostris scholis Cracoviensibus ab eadem Rota data est 18^a^ Decembris, in qua et dubia contra 1^am^ ac 2^am^ decisionem sunt sublata et nostrum ius confirmatum[3]).

Tertia Decisio in Rota Romana

Pro scholis Cracoviensibus facta.

---

[1]) Uxor Marsalci curiae, Lucae Opaliński.

[2]) Sophia Ostrogska, uxor Stanislai Lubomirski.

[3]) Annexum est iterum exemplar huius decisionis nostro Manuscripto, inter fol. 701 et 702, eodem formate, Romae in typographia Camerae apostolicae a. 1627 impressum.

Ea, quae ad certum mensem reduci non poterant, haec sunt. Reducti ad Ecclesiam haeretici 20 et ad Christi Vicarii obedientiam tres schismatici. Contractus illiciti plusquam 40 rescissi. Redditus Ecclesiasticos pingues, multis annis pessima fide usurpatos, ut unus restitueret, persuasum est. Tempore Jubilaei per duos menses et in Missionibus tum cum R^mo D. Thoma Oborski, quae fere 6 mensibus, licet interpolatis, durabant, tum in aliis ingens numerus eorum, qui totius vitae pecata absolutioni subiecerunt. A dissidiis, a concubinatu, a veneficiis plurimi sunt abstracti. Fructus animarum hoc anno.

Percepta mensis Decembris pecuniaria erat fl. 284, nempe a variis, opera P^is Wągrowski fl. 186. A Virgine Anna pro piscibus fl. 30. Quartualis a R^mo Cracoviensi fl. 25. A R. D^o Archipresbytero 10. Reliqui ab aliis Carnes, pisces, vinum, panis, aromata, poma, pruna, butyrum, hordeum, triticum, pisa constiterunt fl. 138. Eleaemosyna Decembris.

Iam annua templi eleaemosyna in pecunia pervenit ad fl. 1134 Calix vero argenteus cum patena, tabellae argenteae 15, torques parva aurea, casulae duae, albae aliquot, mappa auro picta, vela, corporalia fl. fere 400 sunt aestimata. Annua templi eleaemosyna.

Annus Domini 1627.

Mutio Vitellesco Societatis Jesu Praeposito Generali, Henrico Picherto Praeposito Provinciali, Matthaeo Bembo Domus S. Barbarae Praeposito et postea aliquod tempus succedente illi P. Stanislao Krzywokolski ac tandem P. Joanne Liesiowski.

Viginti quatuor nostri tantum hoc anno in domo S. Barbarae morabantur. Sacerdotes tredecim, Coadiutores novem, Novitii Scholastici lectores ad mensam duo. I. Nostrorum numerus.

Festum Circumcisionis Domini magna cum devotione expedivimus. Cantavit in ea Sacrum Officialis et Vicarius Generalis Cracoviensis, Erasmus Kretkowski, qui etiam nobiscum prandium sumpsit cum Christophoro Trciński Archipresbytero, Stanislao Witowski magno arcis oeconomo, Petro Borzykowski, Stanislao Rabo, Georgio Pipano, Joanne Wizembergero, D^o Celesta Consulibus Cracoviensibus, D^o Bonikowski Medicinae Doctore, Andrea Belza Notario Consulari Cracoviensi, D^o Elia genero D^i Pipani. Festum circumcisionis.

Circa initium huius mensis liber, superiori anno Romae impressus, Nicolai a Jesu Maria Carmelitae discalceati, Poloni, cum tali titulo: Apologia perfectionis vitae spiritualis etc. recusus est Cracoviae, cuius mentionem fecimus 26^a Septembris anno 1625. Ita vero distribuebant hunc librum Carmelitae discalceati variis et maximae iis, qui nobis male affecti erant, ut notum facerent contra nostros esse scriptum, non sine scandalo multorum. Cognita hac re Episcopus Cracoviensis Martinus Szyskowski, graviter reprehensis Carmelitis, eam Liber Nicolai Carmelitae discalceati recuditur Cracoviae et distribuitur. Prohibetur distributio.

distributionem interdixit et publicam libri combustionem est comminatus, si non desinerent ab ea distributione. Plus tamen sibi incommodi, quam nostris tali distributione intulerunt et multos ex amicis acquisiverunt inimicos.

Circa donationem Georgii Młodecki

Georgius Młodecki, Societatis nostrae, filius olim Nobilis Stanislai Młodecki, donaverat Collegio Cracoviensi S. Petri omnia bona sua immobilia, quomodocunque ad eum pertinentia, in Castro Sendomiriensi anno superiori circa initium Augusti et eodem anno praedictam donationem factam confirmaverat Cracoviae 19ª Novembris coram Notario publico Alberto Mathiae Bolkowski, aliisque testibus ad id vocatis. Quia vero R. D. Joannes Łącki, Decanus Omnium Sanctorum, eius cognatus, sive propter se, sive propter alios cognatos hanc donationem aut tollere, aut saltem dimminuere conabatur, 15ª huius mensis P. Fridericus Szembek volebat cum eo hoc negocium pacifice transigere significaveratque illi, et Serenissimum intelligere velle, an hoc legatum Collegio suo factum redditum sit, nec ne, et Episcopum Cracoviensem tanquam primarium piorum legatorum defensorem idem scire velle. Quaesivit D. Łącki, quibus instrumentis usuri essemus ad se convincendum in iis, quae legavit Młodecki. Respondit P. Szembek instrumentum nostrum praecipuum esse ipsius R. Dⁱ Łącki conscientiam, de qua nobis optime persuademus. Tum Dˢ Łącki subiecit, se habere aliquid argenti, de summis autem pecuniariis se nescire et eas per acta castrensia inquirendas esse. Ad hoc P. Szembek: Quandoquidem D. Vʳᵃ tutorem egit demortui, curam habuit omnium sive in argento, sive in aliis pecuniis et bonis relictorum. Coepit tunc referre Dˢ Łącki de 12 millibus, quae manserant, de tribus millibus a se expensis rationeque expensorum a se reddenda; de Dᵒ Starski affine nostri Młodecki impediente, ne nostri adeant hoc legatum et asserente illud ad se iure naturali pertinere; de patruo mortui Canonico Varsaviensi, addente testamento illud, ut si mortuus nepos non obediret tutoribus, nempe R. Dᵒ Łącki et Generoso Dᵒ Sosnowski, liberum iis esset ad libitum de legato disponere. Ad haec omnia respondit P. Szembek, se cum Dᵒ Starski nihil negocii velle habere, sed tantum cum R. Dᵒ Łącki, tanquam tutore et Ecclesiastico, a quo magis quam a saecularibus favor Ecclesiae expectandus. Clausulam testamento appositam dixit intelligendam de inobedientia quo ad malos mores, non de inito statu religioso. His dictis litteras Episcopi Cracoviensis, quas habebat penes se in hoc negocio, P. Szembek tradidit R. Dᵒ Łącki. Lectis litteris constanter asseruit R. D. Łącki, se ex legato nihil pro se optare. Credo, subiecit P. Szembek, et simul rogo, ut optime id, quod est, ostendat. Fecit etiam tunc mentionem summae pecuniariae in Mastowiąca Cracoviae vicina. Subrisit ad haec R. D. Łącki et fassus est, ibi summam 5 millium esse ac in argento quatuor vel tria millia reperiri; adiunxit tamen optare se ex bono in Societatem affectu, ut cum Dᵒ Starski affine mortui res pacifice transigatur et ut aliqua particula ad eum deveniat. Respondit P. Szembek, non se esse alienum, si bonis modis Dˢ Starski nobiscum processerit, ut aliquid consolationis habeat inde. His dictis acquievit R. D. Łącki et dixit, se cum Dᵒ Starski hoc negocium accomodaturum brevi; sicque discessit. P. Szembek interim ad Joannem Fontaninum dedit Zerzynam litteras, quibus eum iussit quamprimum

Agi coeptum cum R. D. Łącki.

Qui initio nonnihil tergiversatur

2. Sed postea varia in hoc negocio retulit.

Ad haec respondente P. Szembek

Et litteras Episcopi dante,

Ad mitiora descendit

Et suam operam pollicetur.

Varsaviam et ad alia quaedam loca discedere, diligenter inquirere in actis variis de his omnibus, quae ad hoc negocium Młodecki quoquomodo pertinebant.

Venerat Cracoviam D[s] Lubieniecki celebris minister Arianorum sub hoc tempus, quo varios inter se contractus nobiles concludere solent. Eum Academici studiosi diligenter observabant et tandem 19[a] huius mensis in platea S. Floriani inventum verberibus variis affecerunt, frustra aliorum nobilium, qui aderant, auxilium implorantem, hi enim ob concursum studiosorum nihil sunt ausi. Ita concussum immergere in Rudawka inprimis constituerant, sed mutata sententia penes scholam B[mae] Virginis et penes templum SS. Omnium et postea per forum eum cum clamoribus ac irrisionibus versus Bursam Hierusalem ducebant. Sed in foro dum essent, ex manibus eorum se proripiens, veste superiori, pileo et gladio relictis, in lapideam D[i] Celarii profugit. Insecuti eum erant Academici, sed accurrentibus multis nobilibus haereticis armatis, retrocesserunt. Ex praedictis nobilibus multi vicinam domum Georgii Ducis Zbarascii Castellani Cracoviensis adeunt, querimoniam contra tantam insolentiam instituentes. Gravissime id fert Dux et studiosos, ante domum stantes, ad se evocat; verum nullo ire volente ad Rectorem mittit, impudentiam tantam exaggerat, iustitiam ut administretur postulat. Verum dum haec fiunt, alii Academici ex schola S. Annae unum haereticum nobilem, Rupinowski dictum, comprehensum ad scholam suam trahebant; tantum abest, ut aliquid de sua impudentia ob comminationes Ducis Zbarascensis remiserint. Itaque sequenti die plusquam triginta nobiles haeretici Gabrielem Comitem a Tarnow, Capitaneum Cracoviensem, in arce adeunt, iniurias Nobilitati illatas referunt, ne tanta audacia sit impunita, rogant. Respondit Comes, se plurimum tantis iniuriis, quae illis erant illatae, condolere et acerbissime ferre tantam audaciam, sed ipsos quoque causam esse horum, eo quod in Tribunali per Deputatos ad id concurrerunt, ut Vice-Regens Rożanka et Wacewski [1]) Praefectus Militiae infamiae notarentur ob id, quod suo officio in comprimendis talibus impudentiis functi essent. Consilium igitur suum esse, ut procuretur Constitutio in Generalibus Comitiis de captivandis omnibus tumultus facientibus, sive sint Academici, sive non sint. Assenserunt omnes propositioni Comitis, qui etiam eodem tempore statim Generosum D[m] Maximilianum Jarzinam Judicem

3. Lubieniecki ministrum Arianorum comprehensum academici variis iniuriis afficiunt.

Fugit ex illorum manibus.

Iterum Rupinowski nobilem haereticum capiunt.

Alii nobiles haeretici adeunt Capitaneum Cracoviensem.

Quae illis respodeat.

Mittit Capitaneus ad Rectorem.

[1]) Waczewski.

Sochaviensem (sic) et Notarium terrestrem Cracoviensem cum Vicesgerente et nonnullis aliis ad Rectorem Academiae misit, ut omnem convenientem satisfactionem peteret et ingratitudinem Academiae contra Regem nobilitatemque, a quibus omnia haberet, ostenderet in tantis tum Magistratus arcensis tum duorum nobilium iniuria. Fecit egregie, quod illi iniunctum erat, D[s] Jarzina apud Rectorem, apud quem plurimos nobiles haereticos et quosdam alios, a Regni Pocillatore Stanislao Lubomierski missos, in eodem negocio invenerat. Ad haec omnia illud tantum respondebat Rector, se vehementer dolere, quod iuvenum levitates sint exsorbendae senibus, curaturum tamen se, ut omnis satisfactio fiat laesis. Citari ergo statim fecit tum seniorem Bursae Hierusalem, tum quendam Cherubinowski, quem ut Principalem et caeterorum ducem haeretici detulerant. Quia vero ex illa aula, in qua haec res fiebat, studiosi, qui erant plurimi, nolebant iussi discedere, ad aliam habitationem Rector cum praecipuis haereticis illisque, qui ex arce venerant, in Collegio maiori contulit sese. Ibi comparuit Cherubinowski rubea damascena veste indutus, quam forsan in vita sua ante nunquam induerat, multis modis probans, se reum non esse, eo quod suum cognomen capto Lubieniecki in media turba aperuisset et quod casu in tumultuantes inciderit ac diligenter curaverit, ne quidquam mali inferret aliquis Lubieniecio, testemque appellabat fratrem praesentem absentis Lubieniecki ideoque nullo modo censeri debeat author tumultus. His auditis dilata res in 22[am] huius mensis, sed nihil tunc factum et mane et a prandiis, ob Academicos armatos congregatos et ob Rectorem qui, eo quod tardius venirent haeretici, studiosos dimiserat ad prandium, qui postea post prandium ex omnibus contuberniis et ex civitate, conspiratione facta, ad plateam S. Annae in maximo numero dum convenissent, explosionibus scloporum et variis cachinnis canillisque implebant omnia. Atque ita in tanta violentia et pacis publicae violatione nulla administratur iustitia, triumphantibus impune turbulentis Academicis, cum tamen et Palatinus et Castellanus et Capitaneus Cracovienses tunc Cracoviae essent simul cum Pocillatore Regni, penes quem maxima erat nobilitas.

4. Pollicebatur Rector satisfactionem.

Citatus Cherubiński (sic) ut Principalis

Ostendit se non esse reum.

Differtur iudicium.

Et nulla post administratur iustitia.

Eleaemosyna pecuniaria huius mensis erat florenorum 361. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 100. A Dno Zagórski legati fl. 100. A Mfco D° Szyskowski Judice Vielunensi fl. 50. A R^mo D° Suffraganeo fl. 20. A D° Palatino Cracoviensi et Regni Ensifero ex Wielicka quartuale fl. 36. A D° Philippo Bibliopola fl. 12·

Eleaemosyna Januarii.

A Dº Stanislao Rabo fl. 13. Reliqui ab aliis. Res in frumento, foeno, carnibus, piscibus, caseis, butyro et in prandio, in festo S. Agnetis domui dato, constiterunt fl. 151.

In festo Purificationis Bmae Virginis erat domi nostrae Votorum Renovatio, praemissis iis, quae praemitti solent. — Hac ipsa die institutus in Collegii Ostrogiensis Societatis nostrae templo solennis actus, quo ex una nobili energumena per unum ex nostris daemon est eiectus; quae res, quia in hoc Regno valde erat notabilis, breviter hic perstringenda videtur. Erat haec nobilibus parentibus, sed haeresi Calvini imbutis nata, ipsa etiam eandem perfidiam complexa. Varie explorabant parentes cum plurimis aliis haereticis, an vere vel ficte fuerit obsessa nec ne; sed tandem fateri debebant vere obsessam. Cum enim simplex esset et vix legere sciens, occupata a daemone variis linguis loquebatur et plurima occulta se visentibus pandebat. Postquam varie a daemone exagitaretur, mittunt haeretici ad Collegii Rectorem (is erat hoc tempore P. Stanislaus Witwiński) petentes, ut nostri in praesenti afflictione opem ferrent. Adiit ille afflictos parentes eosque postquam fuisset consolatus et bene sperare iussisset, interrogavit de nonnullis. An videlicet fateantur esse daemoniacam vere; et affirmative responserunt. Cur nostram opem implorent, cum caeremonias catholicas rideant et exorcismos superstitiones vocent? Ad haec dixerunt, se aliam opinionem de nostra fide habituros, si hanc infirmam curaverimus. Subiunxit deinde noster, ut suos Ministros prius vocent ad hunc eiiciendum daemonem, vel si illi id non potuerint, Popos Schismaticos et si nec hi quidquam fecerint, tunc primum nostros accersant. Rosponderunt illi, Ministros suos abesse et talium rerum praxim non habere. Ingressi post nostri cubiculum obsessae, quorum conspectum daemon statim detestari et aversari coepit. Verum nostri, facto signo sanctae crucis, aqua benedicta lectum obsessae aspergunt et ei occulte Reliquias S. Patris Ignatii admovent. Tremere statim et vociferari daemon incipit illa verba proferens: «Os Ignatii calvi me premit et torquet». Monuerant nostri haereticos, ut librum suum haereticum, quem habebant, super pectus obsessae ponerent, quod dum faciunt, spiritus nequam ridere et librum amplecti coepit. Imposita deinde a nostris occulte imago B. Patris in eundem librum dum porrigeretur daemoniacae, ululare coepit ac detestari. Quaesita, quid timeret, respondit: Timeo imaginem S. Ignatii libro impositam. Haec audientes haeretici, qui astabant, nonnulli quidam admirabantur et silebant, nonnulli vero id pacto, quod Papistas cum daemone habere putant, asscribebant; quam contumeliam cum nostri efficaciter reiecissent, discesserunt ex illa domo, bonam spem facientes Parentibus brevi eiiciendum daemonem, modo eorum incredulitas hunc effectum non impediat. Indixit igitur Rector Collegii triduanum ieiunium, multas orationes, mortificationes, eleaemosynas, Sacrificia Missae ad hanc intentionem fieri curaverat et pro concione ut res ista populo commendaretur, effecerat ac diem exorcismis destinaverat: secundam huius mensis Purificationi Bmae Virginis dicatam, et locum: templum Collegii nostri. Licet enim cuperent haeretici, ut id privatim domi fieret, nostri tamen expedire iudicarant, ut hic actus nonnisi in templo fieret publice, tum ob aedificationem populi, tum ob testimonium catholicae fidei inter haereticos et schismaticos exhibendum. Invi-

5. Celebris actus eiecti daemonis ex una haeretica. Parentes haeretici post rem exploratam

A nostris opem petunt.

Veniunt nostri et aliqua prius inquirunt.

6. Ingressi nostri cubiculum obsessae, quae faciant.

Quomodo se ad exorcismos comparent.

Quae daemon contra nostros loquebatur.

sebant interim varii daemoniacam, quae haereticos continuo ridendo excipiebat tanquam amicos, nostrorum vero Patrum aspectum semper abominabatur, quanquam adiuratus daemon nostrorum vocibus, eam semper liberam relinquebat. Varia sub id tempus daemon invisentibus referebat et de odio, quo nostros persequeretur et de suo conatu, quo incendere Collegium Ostrogiense voluit et quo cubicula nostrorum ingredi tentabat, sed se prohibitum a B^ma^ Virgine et a S. Ignatio. Imo uni ex nostris retulit ordinem rerum in cubiculo dispositarum. Dum etiam in templo nostro in Sacrificio Missae elevatio fieret, ululare solebat et illa verba clamans, proferebat: «Ecce elevatus altissimus». Praefixo igitur

Adducta obsessa ad nostrum templum.

tempore adducitur daemoniaca ad nostrum templum, adiurato daemone, ut eam per illud tempus liberam relinqueret. Interfuit Sacro et Concioni quieta, quanquam dum Gloria in excelsis caneretur, daemoniaca ad instar leonis irrugiit, non sine terrore populi, qui frequentissimus aderat. Finito Sacro, ante altare B^mae^ Virginis et S. Ignatii adducitur obsessa et post brevem exhortationem, qua spectatores ad dolorem de peccatis, orationem pro obsessa et ad fidei actum eliciendum commonebantur, dat initium unus ex nostris Sacerdos, cui id Superior ex obedientia imposuerat, exorcismis. Inquirente inprimis de nomine

In exorcismis, quae daemon fatetur.

daemonis, post longam tergiversationem respondet, se esse simplicem Ruthenum dictum Hericho. Causa post quaesita ingressus, fatetur se a vetula Ruthenae fidei per veneficia adstrictum ad ferri filum et per ferrum ex invidia quorumdam immissum. Urgebatur, quis esset in coelo, quem maxime post Deum timeret, respondit Beatissimam Virginem et vestrum Ignatium ac duos vestros Franc. Adactus a Sacerdote, ne verba mutilaret, correxit et dixit duos vestros Franciscos Xaverium et Borgiam. Ultimo quaesitus, cuius auxilio ab hoc corpore pellendus esset, respondit contentissima voce: Mariae et Ignatii. Pergebat deinde in

7. Eiicitur tandem daemon ex obsessa

exorcismis noster fere per duas horas et fatigatus, conversa oratione ad populum edicit, ut si quis forsan peccati mortalis esset conscius, actum contritionis eliceret cum proposito confitendi, ne per occultum alicuius peccatum egressus mali daemonis impediatur. Populo cum lachrymis id de quo monebatur peragente, continuabat noster exorcismos tandemque daemonica e manibus fortium, qui illam tenebant, erepta in terramque deiecta, per merita SS^mae^ Virginis et S. Ignatiii liberata est in terraque iacens quasi semimortua relicta. Levata post a terra coram SS^mo^ Sacramento et imagine B^mae^ Virginis ac Sancti Ignatii professionem fidei catholicae, audientibus omnibus, fecit ac tandem in fine Canti-

Magna omnium gratulatione.

cum Simeonis «Nunc dimittis servum Tuum Domine» etc. magna cum devotione recitavit. Ingens post laetitia, acclamatio et gratiarum actio omnium est secuta, iteratis illis vocibus: «Magnus Dominus et laudabilis nimis, Magna Mater eius Sanctissima Maria, Magnus S. Ignatius». Conclusus demum hic actus brevi exhortatione ad populum, ex illis verbis desumpta: «Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templo tui», cui successit hymnus Te Deum laudamus cum campanarum omnium pulsu, abeuntibus schismaticis ac haereticis compunctis et Catholicis exhilaratis.

Academici vexant studiosos

Quinta et sexta huius mensis impudentes Academici plurimis modis studiosos S. Petri externos vexabant, pugnis percutientes, pileos

et libros diripientes, itinera quibus ex Collegio ituri erant obsidentes. Missi erant varii ad Rectorem Academiae, ut cohiberet tantam petulantiam et iustitiam administraret ac libros pileosque acceptos restituere iuberet, sed nihil factum. Ipsimet tamen Academici mutuis dissidiis inter se, maxime vero inter Alexandrum et Martinum Nieborowski et Adamum Gizycki ac Martinum Zaluski 8ª et 9ª huius mensis excitatis, satis vexabantur. Quo etiam tempore Dux Zbarascensis Georgius ob iniuriam famulo suo per Academicos illatam, ad eos cohibendos manus apposuit, quos hucusque tantopere defendebat. S. Petri. Ipsi etiam inter se contendunt.

Postquam P. Matthaeus Bembus suum triennium in gubernatione Domus S. Barbarae expedivisset, antequam Admodum R. P. Noster novum Praepositum designasset, R. P. Henricus Pichertus Provincialis ad certum tempus in eius locum P. Stanislaum Krzywokolski Vice-Praepositum domus constituit 10ª istius mensis. P. Stanislaus Krzywokolski fit Vice-Praepositus.

A 14ª ad 16ªm huius mensis Oratio triduana more recepto in templo nostro magna omnium frequentia peragebatur, in qua a Rmo Do Suffraganeo et Ecclesiae Cathedralis Praelatis Sacra et Vesperae solenniter celebrabantur et a nostris ex omnibus tribus domiciliis conciones fiebant. — Ab initio quadragesimae Patres huius domus successive recollectionem per Spiritualia exercitia expediebant ob Jubilaeum a Summo Pontifice per Admodum R. P. Nostrum pro nostris impetratum, quos etiam postea Fratres Coadiutores in eadem pia occupatione sunt subsecuti. 8. Oratio triduana. Collectio nostrorum pro Jubilaeo.

Sub idem tempus Academici pugnabant inter se et Cherubinowski in facie notabile vulnus accepit et cum inter Nieborowski et Zaluski sedari non possent discordiae ac alios, discedendum Cracovia erat Nieborovio. Pugna Academicorum.

Eleaemosyna huius mensis in pecunia erat florenorum 207. A quibusdam qui sciri nolebant, fl. 110. A Dª Pipanowa fl. 15. A Rdo Do Bobola fl. 10. Ex Wielicka fl. 36. Reliqui ab aliis. In rebus vas vini a Regni Pocillatore[1]), triticum, siligo, pisa, hordeum, pisces, haleces, vinum, mulsum, pruna, cepe, oliva, sal: aestimata sunt fl. 299. Eleaemosyna Februarii.

Pro Duce Christophoro de Zbaras, circa hoc tempus mortuo, in nostro templo funebre Sacrum decantatum 9ª Martii aliaque sacra lecta; excitatum praeterea erat Cenotaphium. Postquam id cognovisset germanus eius frater Georgius Castellanus Cracoviensis, gratum id sibi accidisse significavit suis, etiamsi alias valde infensum nobis se demonstrare soleat et varia contra nos loqui coram aliis non desinat. Funebres exequiae Christophori Ducis Zbarascensis.

Dati mutuo 500fl floreni Domui probationis a P. Stanislao Krzywokolski ob quoddam solvendum debitum 13ª istius mensis. Mutua pecunia pro domo probationis.

[1]) Stanislaus Lubomirski.

Ob Mansfeldium et Baldis trepidatio.

Trepidatio non exigua fuit Cracoviae 28ª huius mensis ob Mansfeldii et Baldis varias copias circa Silesiam et Hungariam dispositas, non multum Cracovia distantes. Postea tamen eae per Maiorem Poloniam in Pomeraniam evaserant et Gustavo se adiunxerant.

Unius religiosi exercitia spiritualia.

R. D. Cyprianus Sacerdos ex monasterio S. Spiritus spiritualibus Sancti Patris commentationibus domi nostrae vacabat per hunc mensem, petente id a nobis istius Praelato. — Eodem mense reddita Communicatio meritorum, ab Admodum R. P. Nostro missa, Generoso Dº Petro a Kamyk Borzykowski et eius coniugi Dorotheae a Gumin.

Communicatio meritorum Dº Borzykowski et eius coniugi.

Eleaemosyna Martii.

Accepimus per hunc mensem eleaemosynae in pecunia florenos 453. A Virgine Sophia fl. 200. A Dª Gortacka fl. 80. A quadam alia pia femina alios 80. A Dº Wizemberg fl. 40. A Rmo Dº Suffraganeo fl. 10. A Dº Szydłowski fl. 10. Reliqui ab aliis. Iam res, ut plumbum, quod 100 florenis constabat, frumentum, tortae, vinum, crematum, milium, pisces, carnes, butyrum, casei, ova, aromata, nuces, cervisia 269 fl. constiterunt.

9.

Stanislaus Glovacius dimittitur ex Societate.

Initio Aprilis Feria 5ª Magna et duabus sequentibus diebus consuetae ceremoniae iuxta usum Ecclesiae in nostro templo peractae [iuxta usum Ecclesiae] cum magna populi frequentia, quae etiam per festa Paschalia non desiit. Stanislaus Glovacius Coadiutor arcularius, cum in conversatione liberior et in vocatione inconstans permaneret et varia remedia sibi adhibita irrita essent, dimissus est a Societate 7ª huius mensis, ita ordinante Admodum Rdo P. Nostro Generali. — P. Andreas Wąchocius a S. Stephano ad S. Barbaram aeger transiit 9ª istius mensis, succedente sibi in Rectoratu Domus Probationis P. Gaspare Drużbicki. — Stanislaus Piesiowicz, finito suae probationis biennio, cum per spiritualia exercitia sese collegisset, admissus est ad vota simplicia 11ª huius mensis, celebrante Sacrum in sacello domestico P. Andrea Vąchocio.

P. Drużbicki succedit P. Vąchocio.

Stanislaus Piesiowicz ad vota admittitur.

Stanislaus Koniecpolski

Insignis victoria ex Gustavianis ad Hamerstinum reportata 16ª huius mensis per Illmum Dm Stanislaum Koniecpolski, Palatinum Sendomiriensem et Campiductorem Regni Poloniae, quam hic altius repetemus. Praedictus Dª Campiductor tota hieme in castris sub Dyrschovia [1]) manens, cum minus feliciter ob incommoda hiemis rem sub civitate Pucensi [2]) agi intellexisset et simul ad eum perlatum esset de hostili exercitu, in Saxonia Mehilburgo Pomerania collecto ad solvendum obsidione Puckum magnis itineribus pergere, relicta 28ª Martii ad Dyrschoviam parte copiarum, cum exercitu versus Puckum movit et admotis 2ª Aprilis huius machinis cuniculisque actis et moenibus civitatis prostratis, hostem ad deditionem, propositis arbitratu suo conditionibus, adegit. Post per exploratores cognoscens,

Dyrschovia versus

Puckum venit

Et capit.

[1]) Trzczew (Dirschau).

[2]) Puck.

hostem in confiniis Pomeraniae consedisse, relicto in civitate Pucensi peditatu, cum equestribus copiis et dragonibus ob hostem celerius assequendum in Pomeraniam 6ª Aprilis contendit, compellato per litteras Duce Pomeraniae, se hostem Sacrae R. M. et Reipublicae in ditionibus ipsius persecuturum, quandoquidem ille nollet, vel non posset eum ditionibus suis arcere. Interim hostis, accepto nuncio et de Pucko capto et de Campiductore cum suis copiis adventante, relictis plurimis impedimentis celeriter Amerstinum se contulit, ut inde facilius aut Sluchoviam [1]) aut Choiniciam vi vel terrore occupare posset. Dnus vero Campiductor statim etiam Choiniciam venit, cui minus fidebat (nam Sluchovia et arte ac natura et praesidio a Palatino Culmensi [2]) imposito, non male erat munita) ibique dum comperit, hostem Amerstino non se movisse, eo 12 Aprilis copias inopinato admovet, caesis qui in adiacentibus pagis consederant et qui medio ante oppidum milliari excubabant, ex quibus unus duntaxat evasit, qui nisi de adventu Dⁱ Campiductoris suos praemonuisset, eodem impetu hostiles copiae oppressae fuissent. Nam aliquot turmas equitum, quas hostes, ut nostros morarentur, praemiserant, nostri partim ceciderunt, partim fugarunt et tergis fugientium ita institerunt, ut si peditatus cum tormentis eo die adfuisset, omnes eorum copiae deletae fuissent. Multi tamen equites et dragones, dum peditum munia alacriter obeunt, magno hostem in suis munitionibus, quas extemporanee fecerant, affecerunt detrimento. Nox proelium diremit, quam et posteram diem obsessis viis, ne hostis fuga evaderet, in equis exercitus noster egit, pedestres copias et tormenta expectando. Haec ubi 15ª Aprilis ante vesperum adfuissent, noctu munitionibus circumcirca actis et tormentis dispositis iisque summo mane in oppidum explosis, consternati hostes supplices tractatum de pace a Dº Campiductore petierunt. Quem vix tandem, exercitu nostro id aegre ferente et praedam sibi eripi querente, impetrarunt hasque conditiones acceptarunt: 1ª Ut tres Officiales, nempe Obersten Streiff, Obersten Taiffel, Obersten Leuthnanth Kiedritz captivos redderent, quorum salus clementiae S. R. M. relinquenda esset. 2ª Ut apparatum totum bellicum, tormenta, sclopeta, pulveres, globos, vexilla, tympana, tubas Commissariis deputatis reddant et trophea ad pedes ipsimet proiiciant. 3ª Ut spolia, captivos, nobilium et subditorum

Post in Pomeraniam contendit

10. Per Choinicam

Amerstini hostes conclusos obsidet.

Et oppugnat et expugnat

Sub certis conditionibus.

[1]) Człuchów.
[2]) Weiher Melchior.

S. R. M. bona ablata, equos, pecora etc. Commissariis restituant statim. 4ª Ut equestres milites, qui sponte voluerint, pedestres vero et dragones omnes iuramento se astringant servitiis Regis Poloniae, quibus novi Officiales designabuntur, et stipendia talia, qualia habent, caeteris promittuntur. 5ª Qui exercitui S. R. M. annumerari renuerint et in suas regiones reverti voluerint, praestabunt iuramentum, quod per unum annum et sex hebdomadas contra Regem ac Regnum Poloniae arma non sint sumpturi et quod absque mora, relictis propriis curribus, sunt discessuri per designatam sibi viam, in qua transeunda nullas iniurias Regno ac finitimis ditionibus inferent, victu libere sibi concesso contenti. Has omnes conditiones acceptarunt statimque sunt executi, vexillis ad pedes D[i] Campiductoris per ipsosmet Ductores proiectis et iuramento pro servitiis S. R. M. facto. Et ex equitibus quidem tantum 250 abierunt in suas regiones, reliqui obsequiis S. R. M. se per iuramentum astrinxerunt. Erant in universum turmae equitum seu corneti quatuordecim et peditum cohortes tredecim. Et quidem Oberster Streiff cum Oberstero Taiffel cum 27 vexillis ad Regem erant missi, nam Oberster Kiedric, Supremus locum tenens, fugitivus, in Pomerania fuit comprehensus postea. Supremus alius locum tenens [1]) Kolembach, cuius corneti vexillum habuit pictum leonem ferientem gladio Polonum, cum tali inscriptione: Deus Svecorum et Pomeranorum amicus, Polonorum inimicus. Reliqui turmarum equestrium Praefecti hi erant: Rothmagister Ludovicus Kingae, Capitaneus Bekert, Cohortis Praefectus Pichl, Joannes a Brechweldt, Von Arnim Joannes, Bachardt a Stymbert, Maior Kluczynk, Jacobus Borckstorff, Joannes Gros, Joannes Christophorus a Borckstorff. Iam peditum Praefecti hi erant: Supremus locum tenens Joannes Fridericus Spar, Maior Bulfft, Capitaneus Ewerdt ab Arnem, Capitaneus Leopoldus Herre, Capitaneus Gotfridus ab Arnem, Capitaneus Valtman Dhanxa, Capitaneus Christophorus Siedlinch, Capitaneus Liber baro a Graudentz, Capitaneus Menck, Supremi locum tenentis Kiedryc cohors, Capitaneus Comes ab Eberstayn, Capitaneus Henricus Hiemcke, Ambrosius Laurentius. Hucusque de victoria Hamerstinensi, quae omnia accepimus ex relatione eiusdem victoriae impresa Varsaviae hoc anno, ultima Aprilis.

II. Quas hostes acceptant et exequuntur.

Turmae equitum hostilium erant 14.

Turmae peditum erant 13.

Eadem 30ª Aprilis contigit, post vitam sanctam, sancta mors Alphonsi Rodriguez Coadiutoris Societatis Jesu Maiorcae.

[1]) erat.

Submissa per hunc mensem eleaemosyna in pecunia erat florenorum 173. A Palatino Russiae fl. 50. A Mfco Dō Jacobo Charzewski fl. 50. A Rmo Dō Suffraganeo fl. 10. A Virgine Anna pro piscibus fl. 12. Reliqui ab aliis. Iam ligna, scandulae, triticum hordeum, panes, carnes, vinum, crematum, acetum, ova et alia minutiora per Aprilem nobis data, 259 fl. sunt aestimata. Hoc etiam mense quaedam vetula pauper, nostris vix nota et aliorum magis devota, 100 fl. pro calice comparando ad nostrum templum dedit, eam tamen ob causam, quod sibi in eodem templo ordo ac pietas placeret. Eleaemosyna Aprilis.

12. Funus Ducis Zbarascii.

Funus celebre peragebatur Cracoviae 5ª Maii Ducis Christophori de Zbarasz, pro quo in tribus templis nostris, quae Cracoviae habemus, Nostri Sacerdotes funebria Sacra habebant et Fratres coronas recitabant.

Jubilaei hoc anno prorogatio impetrata.

Quia per tempus Jubilaei, superiori anno a 27ª Septembris ad 27am Novembris celebrati, ingenti multitudini, quae convenerat, satisfieri nullo modo poterat, ideo Episcopus Cracoviensis Martinus Szyskowski prorogationem eiusdem Jubilaei ad alios duos menses a Sanctissimo Urbano VIII. petierat et obtinuerat. Ideo a 7ª huius mensis Maii ad 7am Julii iterum Jubilaeum indictum et assignatum cum iisdem declarationibus, quae superiori anno erant et cum eorundem trium templorum: Cathedralis, SSorum Petri et Pauli Apostolorum et SSmae Trinitatis visitationibus. Addita etiam erat ob resolvendos casus difficiliores per tempus Jubilaei certa Congregatio, quae singulis septimanis semel vel bis die et hora per schedulam denunciata fiebat. Huic praesidebat ipse Illustrissimus, adscitis: Joanne Foxio Archidiacono, Andrea Łukomski et Sebastiano Nucerino Doctoribus Theologiae, nec non Religiosis: Nicolao Moscinensi Ordinis Praedicatorum, Friderico Szembek Societatis Jesu, Stanislao a Jesu Carmelita discalceato, Alexadro Koslicki Carmelita mitigato aliisque viris piis ac doctis. Deputati docti viri ad resolutionem difficiliorum.

Sententia asserens prorogatum Jubilaeum etiam illis serviie, qui anno superiori illud habebant,

Ad initium huius Jubilaei celebris erat a praedictis deputatis mota disputatio: An videlicet hoc Jubilaeum pro iis tantum sit prorogatum, qui illud superiori anno consequi non poterant, an vero pro omnibus sive illud fuerint consecuti sive non. Iussus primo loco noster dicere sententiam, tum authoritate Doctorum variorum, tum rationibus probabat, pro omnibus esse prorogatum. Idem sensit Carmelita discalceatus et nonnulli Praelati. Contrariam sententiam tuebatur Doctor Dominicanus cum nonnullis aliis, quod nimirum illis tantum serviret Jubilaeum, qui anno superiori illud non poterant obtinere. Joannes Foxius Archidiaconus, qui tunc Congregationi loco Illustrissimi Episcopi praefuit, utriusque partis sententias cum eorum fundamentis in scripto sibi dari postulavit et datas ad Episcopum, ut ex iis quam vellet deligeret et confirmaret, misit. Confirmavit Episcopus affirmativam priorem, quam deinde omnes sunt secuti. Per totum etiam Jubilaei tempus quaterni Sacerdotes ex domo S. Bar- Acceptata ab omnibus.

13 Nostri in

templo arcensi per totum Jubilaeum audiunt Confessiones.

barae quotidie ad templum arcense ob audiendas Confessiones ibant. Accersiti insuper erant septem Patres Tertiani Jaroslavia, qui iisdem audiendis Confessionibus occuparentur, nam sicut anno superiori ita et hoc augendi ob multitudinem poenitentium erant Confessarii.

Quarta decisio Romanae Rotae pro nostris scholis.

Post tres decisiones factas Romae pro nostris scholis, quia Academici instabant, se ab immemorabili tempore et per consuetudinem privilegium obtentum habere, ut possint aliorum scholas Cracoviae non permittere, ideo iussi erant tale privilegium probare ac ostendere. Sed quia sola tantum assertatione id ab iis, non vero rationibus declarabatur, ideo quarta Decisio pro nostris a Sacra Rota est lata 21ª huius mensis [1]), in qua ostenditur, Academiam nullum habere privilegium prohibendi scholas illorum, qui potestatem a Summo Pontifice docendi acceperunt. Si enim haberent privilegium, vel esset a Summo Pontifice et iam illi derogavit Pius V., vel a minori aliqua potestate et haec nulla est cotra Pontificem, vel est a consuetudine et haec, quia est contra charitatem et iniqua ac irrationabilis, dum idoneis ad docendum non permittit docere etc., nihil etiam valet.

Monasterium S. Andreae nostri confitentur.

Circa 23am huius mensis, seu circa festa Pentecostes, ob petitionem Abbatissae Monasterii S. Andreae duo Sacerdotes ex nostra domo per 12 dies Confessiones excipiebant Virginum eiusdem monasterii, magna cum satisfactione.

Liber haereticus decreto Tribunalis publice Lublini exuritur.

Gallicus liber Molini haeretici conversus in Polonicum et impressus opera Samuelis Bolestrasicki Calvinistae, Lublini 28ª istius mensis per decretum tribunalitium publice in foro a carnifice est exustus et ex Regno proscriptus. Ipsi etiam Bolestrasicki, ab Achacio Grochowski Episcopo Premisliensi convicto, variae poenae sub infamia erant assignatae.

Sub idem tempus eiusdem Tribunalis edicto Synodi haereticorum ex Regno sublatae. Quae omnia in Actis Tribunalitiis extant. Senserant maiorem in modum ista decreta haeretici per totum Regnum et iam directe, iam oblique in variis Regni conventibus ac potissimum post mortem Regis in Comitiis electionis et coronationis acheronta etiam movebant ob ea tollenda multaque iis similia. Nec parum effecerunt, ob suum tantum fervorem et ob Catholicorum tepiditatem.

Senserant id graviter haeretici.

Eleaemo-

Per mensem Maium accepimus pecuniariae eleaemosynae florenos 166. Ab

[1]) Exemplar huius decisionis iterum annexum est nostro Manuscripto inter fol. 708 et 709, eodem formate impressum Romae in typographia Camerae apostolicae a. 1527, constans ex duobus foliis, quorum tres paginae sunt typis plenae.

Episcopo Cracoviensi fl. 55. A quodam fl. 20. A Confraternitate Misericordiae fl. 15. A D° Bogusławski fl. 14. A R^mo D° Suffraganeo fl. 10. Reliqui ab aliis. Carnes, pisces, panes, triticum, siligo, hordeum, pultes, casei, butyrum, acetum fl. 94 constiterunt, hoc mense submissa. syna Maii.

Adamus Gizycki, qui plurima contra nostros S. Petri Collegii studiosos et contra religionem nostram cum suis malis sociis mala faciebat ac promovebat, in morbo gravi a suis derelictus, nostrum pro Confessione vocavit et per eum ad mortem dispositus, prima Junii vivere desiit. Agnovit gemebundus errorem et veniam cum lachrymis petiit. **14.** Adami Gizycki mors.

In festo Corporis Christi gravis erat orta controversia inter Sodalitatem Misericordiae et Compassionis ob praecedentiam in Processione devolutaque res est ad Officialem R. D. Erasmum Kretkowski, qui pro Fraternitate Misericordiae tulit sententiam conformem illi, quam in eodem negocio ante multos annos tulerat Georgius Cardinalis Radivilus, Episcopus Cracoviensis. De praecedentia contentio sopita.

Paulus senex, horti nostri custos et procurator multo tempore, moriens 14^a istius mensis, legavit nostris florenos 300os, quos a multis annis labore ac industria sua acquisiverat. Paulus senex nostri horti custos moritur et nobis legat, quod habuit.

Venit P. Joannes Lesiewski Varsavia, aula relicta, Cracoviam 22^a huius mensis, in domo S. Barbarae mansurus.

Advecta est Varsaviam 27^a istius mensis imago miraculosa, quam in suburbio Bransbergensi collatam perditi Sveci aliique Gustaviani milites, tanquam Calvinistae, dum ter sclopis per summam impietatem traiecissent, sanguinem copiosum fudisse certis testimoniis constat, quamque Rex cum Regina variisque aliis diligenter hac die considerabat. Hoc mense tantum sacrilegium a perditis haereticis factum probabile est. Edita hac de re post Concio P. Fabiani Bierkovii Doctoris Theologi Dominicani, habita 13^a Octobris anni sequentis. Imago a Svecis sclopis traiecta advehitur Varsaviam.

Hoc eodem mense pluribus ex hostibus virgo quaedam uno proelio palmam reportavit. Haec ab ancilla vicina in cubiculum impuri amatoris clam illic agentis introducta et inclusa sollicitabatur ad facinus. Obstitit animose procaci iuveni, sed cum vim inferenti resistendo tandem non esset, forte in effigiem Deiparae parieti affixam oculos convertens, opem Sanctissimae Matris voce intensa inclamavit. Opem optima coeli terraeque Regina attulit addiditque vires, quibus nequam homine fortior facta, prius scelestas iuvenis manus reserato cubiculo, postea et oculos evasit et securitati suae deinceps, tali casu edocta, diligenter prospiciebat. Virginis unius egregia de impuro iuvene victoria.

Eleaemosyna pecuniaria huius mensis praeter legatum 300 florenorum Pauli senis, quod non statim erat redditum certas ob causas, erant fl. 246. Ex quartuali Wielicensi fl. 36. Ex venerabili Capitulo fl. 38. A D° Suffraganeo fl. 10. A D^a Balcerowa fl. 10. A Virgine Sophia legati fl. 36. A P. Melchiore fl. 12. A P. Starczewski fl. 14. A R. D. Mosiążek fl. 10. Ex venditis rebus nonnullis Pauli senis et aliis fl. 32. A quodam fl. 18. Reliqui ab aliis. In rebus accepimus: vas vini a D° Alagi et varia alia minutiora ab aliis, quae aestimata sunt fl. 126. Invenio a nonnullis annotatum (licet id in libro rationum non inveniatur) sex decades partim trabium, partim aliorum lignorum nobis donatas, quae 170 fl. aestimabantur et quas varii Benefactores contulerunt. Eleaemosyna Junii.

15. Finis Jubilaei. Impositus finis Jubilaei 7a Julii, cui datum erat initium 7a Maii. Ante eius finem convocaverat R. D. Joannes Foxius, Archidiaconus, omnium Religionum, qui sunt Cracoviae, Superiores cum suis Theologis et in loco Venerabilis Capituli proposuerat illam questionem: An hi, qui vel per suam negligentiam, vel alias ob causas non obtinuerunt Jubilaeum aliqua ratione, non specificata in Bulla, possint illud consequi in fine, etiamsi iam desit tempus adimplendi conditiones requisitas. Conclusum affirmative, quia tali casu possunt illae conditiones post finem impleri, vel a Confessariis in alias mutari. Illud etiam nobis hac sessione honorificum accidit. Cum enim P. Fridericus Szembek in loco consessus post omnes Religiosos sedisset, R. D. Archidiaconus, qui tum in loco Episcopi erat, invitum et reluctantem sibi assidere fecit, eo quod in eiusmodi dubiis solvendis ille esset ab Illustrissimo Episcopo tanquam Commissarius constitutus Timebatur, ne id molestius ferrent alii Religiosi, sed nihil tunc factum. Conclusum autem erat Jubilaeum in templo Cathedrali oratione 40 horarum et tormentorum bellicorum explosione. In templo autem S. Petri solenni nostrorum Processione ac Musica singulari, in aliis vero templis coniuncto et diuturno omnium campanarum pulsu et ex omnibus tam Parochialibus, quam Religiosorum templis institutis ad templum Cathedrale processionibus.

Quomodo qui neglexit Jubilaeum, in fine possit eum lucrari

Solemnitates adhibitae in fine Jubilaei.

16. Sententia post 4 decisiones pro nobis duplex data. Eadem die 7a Julii Romae post quatuor decisiones pro nostris Cracoviensibus factas, sententia data est contra Universitatem Cracoviensem praedictis decisionibus conformis per Joannem Baptistam Coccinum Rotae Decanum. Et quia ab ea Academici appellaverant et novum Judicem delegerant seu Commissarium, ideo eodem mense Anno 1629 eadem sententia confirmata a Joanne Queipo Dellano. Utramque hanc sententiam impressam hic apponimus [1]).

Adventus Pis Provincialis. Veniens R. P. Henricus Pichertus Povincialis Stepocicos octava istius mensis, evocavit ad se P. Stanislaum Krzywokolski, P. Matthaeum Bembum, P. Andream Wąchocium, cum iisque de variis Provinciae rebus contulit.

Lucas Organarius adigitur ad organa paranda. Cum quodam Luca Organario Praefectus templi nostri P. Petrus Kamocki contractum fecerat de reficiendis nostris organis, sed quia a contractu postea resilierat Lucas, ideo ei litem intendere debuit P. Kamocki, nam privatim rogatus nihil facere voluit Compulsus ergo est a R. D. Officiali sub poena excommunicationis circa 18m istius mensis ea perficere, de quibus convenerat

Renovatio votorum. Ultima huius mensis in festo S. Patris cantatum Sacrum in nostro templo a R. D. Erasmo Kretkowski Officiali et transacta devotio ac solennitas eius diei more consueto. Renovatio insuper Votorum hac ipsa die in sacello domestico expedita.

PP. Franciscani duos suos incarcerarunt ob re- Hoc mense Patres Franciscani, tumultu excitato contra P. Antonium, qui apud illos ante Custodem agebat, et contra Concionatorem, eo quod eos suspectos haberent, ne ad Reformatos Franciscanos ob vitam strictiorem transirent, utrumque in tetrum carcerem coniecerunt in eoque per aliquot hebdomadas de-

---

[1]) »Sententiae Sacrae Rotae Romanae, pro Collegio Cracoviensi Societatis Jesu, contra Universitatem studii generalis Cracoviensis«, quae duobus foliis constant, impressae Romae a. 1629, annexae sunt hoc loco. Quarum secundae inferius a. a. 1629 nr. 12. Wielewicki mentionem faciet.

tinuerunt. Nec tam facile eos liberassent, si non Episcopi Martini Szyskowski severae ad eos datae litterae intercesissent. Magnum inde scandalum externorum secutum erat, apud quos tam P. Antonius, quam Concionator in magna erant opinione et doctrinae et pietatis. Valde etiam id moleste tulerunt varii Praelati, postquam cognovissent. Et quia ex carcere occultissime ad nostros dederant litteras, non defuerunt nostri quantum poterant in eorum liberatione procuranda. formationem. Liberantur ad instantiam Episcopi.

Hoc praeterea mense subita morte ex hac vita sublato D° Simone Jasinski illo, qui bona Marcociensia domui probationis vendiderat, ingentes tricas circa eadem bona nostri sunt experti. Uxor enim mortui Chrząstowska haeretica, a cognatis suis et ex seipsa satis contra nos incitata, ius suum in illa bona praetendens, collecta manu variorum militum, Marcocicos est ingressa 6ª sequentis mensis et vi omnia occupavit, non mediocriter laeso uno ex nostris P. Floriano Tyminski, qui a porta aulae, penes quam clausam stabat, violenter aperta reiectus est. Obtulerat suam operam ad vim vi repellendam Marchio Myszkowski nostris, quibus ex animo compatiebatur. Sed nostri religiosae modestiae memores ad pacatiora consilia descendere maluerunt. Itaque per P. Valentinum Tarlovium, Pocillatorem Regni Stanislaum Lubomierscium adeunt, afflictionem suam referunt et simul consilium auxiliumque ab eo petunt, imo totum negocium eius favori et prudentiae committunt. Accepit ille rem cordi, patrocinium suum libentissime obtulit et brevi effecit, ut Dª Jasinska et Marcocicos reliquerit, certa summa per amicabilem compositonem accepta, et se omni iure ad eadem bona in perpetuum abdicaverit. 17. Mortuo D° Jasinski, uxor eius bona Marcociensia invadit violenter. Suscipit nostri patrocinium Dⁱ Lubomierski et rem componit.

Eleaemosynae pecuniariae per hunc mensem accepimus florenos 321. Ab Episcopo Posnaniensi Mathia Lubinski fl. 100. A Dª Olbrichtowa fl. 50. Post mortem Dⁱ Amandae fl. 24. A quodam per P. Wągrowski fl. 20. A variis in fine Jubilaei fl. 24. A D° Suffraganeo fl. 10. A D° Stanislao Rab fl. 13. Reliqui ab aliis. Iam ligna, frumentum, vinum, carnes, lacticinia, pisces aliaque minutiora fl. 166 consiterunt, nam ea, quae ipse Episcopus Posnaniensis praedictus in rebus dederat, fl. centum constabant. Eleaemosyna Julii.

In templo SSmae Trinitatis Carmelita discalceatus Prior S. Michaelis in concione plurimis, tacite quidem, 4ª Augusti in festo S. Dominici nostros perstringebat, ita tamen, ut omnes ea quae dicebat contra nos dicta adverterent. Dissimulanda censuerunt nostri haec omnia. Carmelita discalceatus nostros perstringit pro concione.

P. Joannes Lesiewski ex aede S. Barbarae ad Collegium S. Petri 6ª huius mensis transiit et ibidem Vice-Rectorem agere coepit, P. Friderico Szembek ad pristinam in domo S. Barbarae commorationem redeunte. P. Lesiewski fit Vice-Rector S. Petri.

Martinus Szyskowski Cracoviensis et Boguslaus Radoszewski Boxa Kiioviensis Episcopi, Commissarii Regii ratione compositionis pacificae inter Academiam Cracoviensem et nostros, cum nihil apud Academicos efficere potuissent, iuxta ea quae superiori anno in Julio sunt annotata, transactionis huius publicam relationem fecerunt 13ª istius mensis Kieleciis, cum propriis subscriptionibus et sigillorum ap- Relatio Commissionis per Episcopos, impeditae ab Academicis.

positionibus, ut videlicet omnibus manifeste constaret, Academicos in causa fuisse, ne res ista pacifice transigeretur. Ponitur haec transactio ad verbum in libello Gratis a fol. 339.

18. Academici tecta S. Petri Collegii concutiunt.

Academici postquam a suis cognovissent sententiam pro nobis Romae latam, odio contra nos maiori exarserunt et ex iis illi, qui in Contubernio Juristarum degunt, 16ª huius mensis facto initio per aliquot post dies lapidibus ac ruderibus tecta Collegii Sancti Petri concutiebant et varios nostros, dum illis essent obvii, ingentibus convitiis exagitabant.

Novus Procurator Provinciae et Minister.

In locum ac in officium Pⁱˢ Nicolai Szelski 26ª istius mensis successit P. Joannes Borszynski ac munus Procuratoris Provinciae obire coepit, sicut eadem die Pⁱ Andreae Kanski successit in officio Ministri P. Gaspar Krzizanius.

Novus Nuncius Apostolicus Sanctacrucius hortatur Academicos frustra.

Sub idem tempus Joanni Baptistae Lancelloto in munere Nuncii Apostolici per hoc Regnum successit Antonius Marchio Sanctacrucius Archiepiscopus Seleuciensis [1]). Hic postquam in Regnum venisset et intellexisset Academicos velle, ut negocium, quod iam cum nostris Romae agitare pridem coeperant, per forum saeculare in Comitiis Generalibus terminaretur, gravissimas ad eos 23ª huius mensis litteras dat, quibus eos ab ea re dehortabatur. Vide eas positas in libello Gratis fol. 392. Sed eas illi nihil curarunt et tam in particularibus, quam in generalibus Regni conventibus mirabilia contra nostras scholas efficere conarentur [2]), licet non eo successu, quem optabant, ut infra patebit.—Idem Sancticrucius (sic) et modum unionis scholarum nostrarum cum Academia, quem optabamus, et totum nostri negocii processum 27ª huius a P. Friderico Szembeco accepit in scripto, utrumque enim ab eo vehementer postulabat.

Accipit processum nostri negocii.

Academici Prosowicis cum nostris hostibus haec conantur:
1m
2m
3m

In Comitiolis Prosovicensibus, quae circa finem Augusti peragebantur, Borovius Academicus contra nostros perorabat conniventibus multis, qui intererant, Regni Proceribus et articulos illos statuere volentibus : Ut privilegium Serenissimi de domibus vicinis coemendis aliisque necessariis pro Collegio S. Petri irritum foret. Ut Nuncii apud Legatum Pontificium, ne nostri Cracoviae docerent, efficerent. Ut nomine Nobilitatis ad Pontificem Maximum de prohibitione docendi nostris facienda scriberetur. Verum tum Rᵘˢ D. Thomas Oborski Suffraganeus, tum R. D. Erasmus Kretkowski Officialis, qui

[1]) Santacroce munere hoc fungebatur a. a. 1627—1630.
[2]) conabantur.

nomine Episcopi Cracoviensis conventui intererant, istis reclamarant et Academicos graviter reprehenderant, quod negocium in rota Romana agitari coeptum huc in forum incompetens introduxerint. Adiuvit hos non parum Castellanus Oswiecimensis D[s] Zborowski et alii non pauci ex equestri ordine. Imo haeretici, qui intererant, asserebant convenientius esse, ut nostri potius doceant Cracoviae quam Academici, ob summam, quam in suis studiosis vel fovent, vel permittunt, petulantiam impudentiamque. Reclamatur illis a variis.

19. Quid Rex possit aut non possit in scholis.

Sparserant etiam tunc Academici per varia Regni Comitiola Minoris Poloniae, nostros solo privilegio S. Regiae Maiestatis innixos aperuisse scholas Cracoviae, ut nos videlicet in odium inducerent. Nolebant advertere, aliud esse accipere potestatem docendi, cuius vigore scholae Catholicae aperiuntur, haec enim cum sit spiritualis et terminos Politicae potestatis excedat, a Rege dari non potest; aliud autem, potestate hac a Sede Apostolica obtenta, petere a Rege, ut usum huius potestatis sine impedimento et cum eius patrocinio exercere possemus. Et hoc a Rege obtinuimus, cum non excedat terminos eius potestatis sitque unum ex Regalibus.

Eleaemosyna Augusti.

Pecuniae pro eleaemosyna hoc mense accepimus florenos 238. A Virgine Anna fl. 100. Legati a D° Lang fl. 50. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 25. A D° Suffraganeo fl. 10. A Parocho Szecignievensi fl. 10. A D° Martino fl. 10. Reliqui ab aliis. Carnes, lacticinia, vinum, acetum, pisces, tela, vitra et alia minutiora fl. 78 computata sunt.

Orationem pro initio studiorum Academici tibiis et saltibus turbant.

Impudentes Academici, dum in aula Collegii S. Petri initio Septembris Joannes Chomentowski pro felici studiorum exordio perararet, praesentibus R[mo] D. Thoma Oborski Suffraganeo, R. Erasmo Kretkowski Officiali, R. D. Garwaski [1]) cum aliis, supervenerunt plurimi ductore quodam Przerębski et sub fenestris aulae, uno tibias inflante, saltus cum insanis vociferationibus exercebant. Quod quidem omnibus, qui transibant, improbantibus statim finem habuit, illi tamen gloriabantur, quod nostri orationem aliquomodo impediverint.

Academici, fractis sepibus, hortum nostrum invadunt et spoliant.

Sub idem tempus, sicut et circa finem superioris mensis, multi Academici ductore Kopyciński et quodam Clerico ex schola B[mae] Virginis, hortum domus S. Barbarae invadebant fractis sepibus et fructus nondum maturos excutiebant ac rapiebant fere omnes eosque, qui ad custodiam horti erant relicti manu armata aggredieban-

[1]) Canonicus cathedralis cracoviensis.

tur. Id intelligens Admodum R. D. Kretkowski, Officialis, retulit 11ª huius mensis ad Venerabile Capitulum Cracoviense. Unde Jacobus Naiman apud suum Germanum, qui tunc Academiae Rectorem agebat, effecit, ut tres Professores Academici ab eo mitterentur ad hortum nostrum, qui damna in fructibus et sepibus facta revideren. Sed id nobis nihil profuit, nam et restitutio damnorum nulla facta te ex invasoribus nulla iustitia administrata. Imo Rector Academiae, dum de tantis damnis ad illum esset relatum, illud dixisse fertur: Etiam mihi a studiosis damna inferuntur et si Patres ea nolunt habere, non doceant. Quasi vero Patres S. Barbarae ad Collegium pertineant, quibus talia damna inferuntur.

Revisores damnorum irrito conatu mittuntur.

20. Venit R. P. Provincialis Cracoviam 20ª istius mensis et visitationem instituit domus ac templi. — Sub idem tempus D. Paulus Rakoci, ex Hungaria Częstochoviam ad Aedem Bmae Virginis pergens, divertit Cracoviam domique nostrae prandio est exceptus. Versabatur per Septembrem mensem in Prussia P. Fridericus Szembek ob certa negocia et dum venit Culmam, in templo Patrum Franciscanorum ingressus Sacrarium incidit in imaginem ibidem ab aliquot annis affixam, in qua praeter alios B. Stanislaus Kostka inter novem sustentantes Angelos aeterno Patri supplex cernebatur. Huius rei mysterium exquirente nostro, loci praeses autori imaginis relationem iniunxit. Is erat Daniel Bonikowski, Ordinis S. Francisci Fratrum Minorum conventualium laicus et idiota ex districtu Plocensi in Starekosiny oriundus, qui visionem suam, quam adhuc saecularis habuit, fuse retulit, cuius authenticum P. Nicolaus Oborski, rerum ad Canonisationem B. Stanislai spectantiam curam gerens, iam ante acceperat Succus rei est: Torunii agebat praedictus Daniel adhuc saecularis anno 1623, frequentibus tum de Deo tum de Bma Virgine cogitationibus mentem pascens, nihil tamen de B. Stanislao cogitans. Sic occupato nocte quadam quinque horarum quies extasi persimilis accidit. Erat in prato floribus odoriferis pulcherrime convestito. Ver amoenissimum oculis et iucundissima tempe blandiebantur. Palatium ille Paradysus peramplum habebat, magna vi hominum ingenti laetitia triumphantium refertum, quibuscum ipse sibi, versari, gaudere, triumphare videbatur. Cum ecce sereno coelo locus a meridie splendidissimus et amplissimus quadrata figura patuit, unde Pater aeternus, summa verendus Maiestate, vultu sereno obtulit sese. Neque tamen diu benigna fronte Patris aeterni frui licuit. Vertitur in indignationem benignitas, lenitas in furorem, sublata dextera angelis annuit, descenderent in terras, scelera hominum meritis poenis castigarent et igne ferro orbem depopularentur. Audiit haec misericordiae Mater et ad Filium suum Jesum: »Vides — inquit — periculum et imminens orbi exitium? At quorsum haec vulnera tua, de quibus copiosissima profluxere sanguinis fluenta? Per ergo hunc tuum innoxium cruorem et per haec etiam materna ubera, precor et obtestor, intercede paterno furori, eripe genus humanum poenae; nec enim desunt etiamnum probi homines, qui nos debitis honoribus prosequuntur«.

Adventus Pis Provincialis. Exceptio Di Rakocii.

Picturae Culmensis Bi Stanislai occasio.

Danielis Bonikowski visio

Ante Annos 4, Per 5 horas,

In qua post paradysum, Deum Patrem indignantem et scelera punire volentem vidit

Et Christum, Beatam Virginem Pro omnibus intercedentes.

Valuit supplicatio Virginis et statim filius Aeternum Patrem placare coepit. Quod dum fit, Virgo Sanctissima ad B. Nostrum Stanislaum a tergo Divinae Maiestatis, atque si unus e cubiculariis intimis esset, conversa: »Serve, ait, sponsi mei, quin Dominum tuum pro fratribus tuis aliisque caste pieque viventibus adeoque etiam pro toto cordis obdurati hominum genere precaris«? Nec mora descendere super nube quadam visus B. Adolescens et provolvi ante Divinam Maiestatem infra pedes Christi, sustentantibus ex imperio divino novem Angelis, quaternis a dextra sinistraque, uno ad genua. Porrexit Virgo SS^ma precarios globulos, in quibus, ut olim dum vita maneret, gratissimum superis implorationum pensum decurreret. Et flexere tandem Christi, B^mae Virginis Beatique Stanislai vota divinam severitatem ac illud responsum non mediocrem fiduciae causam obtinuerunt: «Dabo tuis, fili mi, tuisque sponsa mea hisque serve mi supplicationibus iramque meam severam, si homines a suis resipuerint sceleribus, continebo. Puniam tamen eos in misericordia, quo se poenas commeruisse intelligant». Ut audita vox Misericordiae, statim a duodecim nubibus totidem Angeli, duas in partes veluti choros divisi, prodierunt variis musicis instrumentis psalmum »Laudate Dominum omnes gentes« admirabili suavitate decantarunt. Hucusque praedicta visio, qua Daniel hic commotus et colorem vestium Christi subcinericium D. Francisci Familiae usitatum, incitatum nomen dedit eidem Ordini, in quo etiam nunc singularis virtutis omnibus est exemplum. Haec omnia sibi ostensa, aliquoties sancte affirmavit et curavit eandem apparitionem eleganti pictura exprimere.

21. Ac similiter B. Stanislaum,

Qui supplex sustentantibus Angelis praecabatur.

Placatus Deus Pater.

Decantant Angeli Divinas laudes.

Confirmatur haec visio.

Tractatus de pace cum Gustavo per hunc mensem fiebant in Prussia, sed nullo operae praecio, homine astutissimo semper nostros ludificante.

Gustavus nostros ludificat.

Pro D^o Joanne Popowski, pie defuncto, omnes nostri funebres exequias in templo S. Barbarae expediverunt circa finem istius mensis.

Exequie pro D^o Popowski.

Florenos 163 in pecunia pro eleaemosyna per Septembrem accepimus. A D^o Formankowicz fl. 50. A D^o Wisemberg fl. 38. A D^a Cehina fl. 25. A R^mo D^o Suffraganeo fl. 10. A M^co D^o Karnkowski fl. 10. Reliqui ab aliis. Res submissae, nempe carnes, panes, vinum, fructus varii constiterunt fl. 40.

Eleaemosyna Septembris.

Ill^mus D^s Melchior Alaghy Comes de Behony, Partium Superiorum Regni Hungariae Generalis Judex, Curiae Consiliarius et Cubicularius S. Cesareae ac Regiae Maiestatis nec non Comitatus Zemplinensis Comes, praesente R. P. Provinciali prima Octobris cum aliquot suis domi nostrae prandio est exceptus. Inter varia benevolentiae signa, quae nobis declaravit, erat etiam eius pollicitatio de vini decem vasis quotannis, durante eius vita Domui Sanctae Barbarae mittendis pro eleaemosyna. An huic pollicitationi satisfecerit postea, vel quamdiu supervixerit, non satis constat.

D^s Alaghi excipitur a nostris.

22. Discessus Varsaviensis P^is Liesiewski.

Circa initium huius mensis P. Joannes Liesiewski ex Collegio S. Petri Varsaviam profectus erat ob negocia illius Collegii contra Academicos in Comitiis Regni Generalibus (quibus hoc mense datum erat initium) promovenda et defendenda. Substitutus in eius locum ad aliquod tempus erat P. Andreas Vachocius in Collegio praedicto.

Absoluta Visitatione Domus S. Barbarae R. P. Provincialis 11ª istius mensis ad visitandam domum Probationis se contulit.

Redditu suo ex Prussia P. Szembek confutat rumores de se sparsos.

Reversus ex Prussia P. Fridericus Szembek Cracoviam 16ª huius mensis eo ipso suo reditu multarum calumniarum et falsitatum Academicos convicit. Quia enim fere per duos menses domo abfuerat, sparserant Academici apud plurimos, eum ideo Cracovia ablegatum, ne amplius Academiam turbet et quod ipsis Patribus Societatis esset intolerabilis. Ita vero id creditum erat a multis, ut etiam Dⁿ Joannes Zebrzydowski Ensifer in Comitiolis Prosovicensibus, superiori mense celebratis, palam idem affirmare non dubitaverit. Sed tanta falsitas adventu Patris evanuit.

Liber Polonicus contra Gratis Pis Szembek.

Prodiit hoc mense Posnaniae impressus liber Polonicus tali titulo: Gratis Plebanski gratis wycwiczony w Jezuickich szkołach Krakowskich mędrszym niż przyszedł do domu się wracający. To jest Respons na dyskurs Plebanski o Collegium Jezuickim Krakowskim, Gratis nazwany y na dwa inne tegosz autora w teyże materiey. Author huius libri erat P. Fridericus Szembek, qui tamen ob certas causas, quas hoc tempus suggerebat, expressum. suum nomen non posuerat, sed sub nomine Josephi Pieknorzecki consciis Superioribus eum in lucem ediderat. Displicuit non parum hoc fictum nomen et externis et nostris, qui convenientius fore arbitrabantur, si nomen proprium et cognomen positum fuisset. Directus porro liber hic erat contra famosum Joannis Brzoscii libellum inscriptum Gratis, cuius anno 1625 in Octobri mentionem fecimus (ideoque similis titulus Gratis illi datus) et in tres partes divisus. In 1ª vanissimae Brzoscii obiectiones contra scholas nostras Cracovienses dissolvuntur. In 2ª ostenditur, nulla privilegia Academiae scholas nostras prohibere. In 3ª et crimen falsi, quod nostris Brzoscius impudentissime imponebat, et plurima alia contra nos false dicta ostenduntur, ac simul quatuor decisiones pro nostris Sacrae Rotae cum primo decreto, variae litterae Regiae, Nunciorum Apostolicorum, Episcoporum, Praelatorum adducuntur ingentiaque Academicorum mendacia manifeste declarantur. Pupugit ea res Academicos, qui in suis impudentissimis pasquillis triumphantes, nullum a nostris responsum dandum arbitrabantur et iactitabant quidem se statim librum hunc confutaturos, sed nullus hactenus id fecit, etiamsi non pauci postea ab illis contra nostros libri sint scripti.

Cur proprium nomen non posuerit.

Contra Brzoscium est directus.

Eius 3 partes: 1ª 2ª 3ª

Pupugit Academicos.

23. Multis valde probatur, ex qui-

Multi porro Senatores tam Ecclesiastici, quam saeculares sicut et alii Praelati Religiosique avidissime hunc librum legebant et satis laudare non poterant. Apud nostros etiam per Collegia ad mensam

in variis locis legebatur, ut nostri causam, quam Academici tot fal- bus aliqui numerantur:
sitatibus intricatam reddebant, extricatam et manifestam agnosce-
rent. Certe Joannes Wężyk, Episcopus Posnaniensis et iam tunc No- 1us
minatus Archiepiscopus Gnesnensis, cum ei hic liber adhuc scriptus
Ciążyni per Joannem Wielewicki Rectorem Collegii Posnaniensis
fuisset oblatus, toto diligenter lecto, a solida refutatione, rerum varie-
tate et eruditione eum plurimum laudavit et libentissime, ut impri-
meretur, concessit. Andreas similiter Lipski, Episcopus Cuiaviensis, 2us
asserebat, se eius libri lectione satiari non posse eumque mirifice
laudavit. Jacobus Maximilianus Fredro, Venator Leopoliensis et Re- 3us
gius Secretarius, postulans hunc librum a P. Szembek, postulationis
illam causam attulit, quod eum in tota aula Regia Episcopus Cuia-
viensis canonizaverit. Christophorus Slowikowski Consularis Craco- 4us
viensis, libro hoc lecto, aiebat Patres Societatis nihil utilius in rem
suam edere potuisse. Mitto plurimos alios Nobiles, Parochos ceteros-
que, qui sibi hoc libro apertos oculos in tot, quae nostris falso im-
ponebantur, affirmabant. Unum addo Arrianum D^m^ Cichocki, qui hoc 5us
libro lecto, ita P^i^ Szembek significare voluit: »Si ita evidenter
solveretis argumenta Arrianismi, sicut solvistis argumenta Academi-
corum, statim essem Catholicus«. Non advertit miser homo, longe
clarius et antiquorum et novorum Arrianorum pridem solutas nu-
gas, si obstinatio communis omnibus haereticis non impediret. Haec
ideo adduxi, quia non pauci ex nostris eum librum improbabant et
supprimendum censebant, imo nonnulli coram externis impudenter ac Nostris quibusdam non probabatur.
falso referebant, eum ipsis nostris Superioribus non probatum; id
enim aliqui Ordinis Senatorii P^i^ Szembek obiecerunt. Sed commune
malum est, ut nulli magis libros nostrorum persequantur, quam ipsi
nostri, quod utinam non tam frequenter experiamur. Certum autem
est P. Friderico Szembek iniunctum fuisse a P. Matthaeo Bembo,
dum post mortem P^ii^ Tyszkiewicz munus Vice-Provincialis obiret, ut
hunc librum scriberet, deinde Censores eiusdem libri fuisse P. Mat- Iussus erat P. Szembek hunc librum scribere.
thaeum Bembum, P. Joannem Wielewicki, P. Joannem Roguski et
P. Simonem Perovium, nec facultas istius libri imprimendi ab aliis
Superioribus erat revocata, sed approbata. Vide quae diximus anno
1625, 24^a^ Novembris de assignato P. Szembek ad respondendum
Brzoscio. Tam tarde autem liber hic fuit a P. Szembek editus, quia
et decisiones et decretum Roma expectabantur, sine quibus non vi-
debatur imprimendus.

24. Alter liber Polonicus P^is Bembi.

Hoc eodem mense prodiit alter, Polonicus etiam liber, suppresso nomine, authore P. Matthaeo Bembo, talem habens titulum: Obrona Collegium Krakowskiego Patrum Societatis Jesu Stanom Koronnym na Seimie walnym Warszawskim Anno Domini 1627 Zgromadzonym do uważenia podana. Impressus erat Varsaviae, nam Cracoviae ob Academicos nulla scripta nostrorum audebant typographi imprimere. In hoc autem imprimis ostendebatur Societatem posse Cracoviae docere idque nullum ius Regni prohibere. Deinde Academicos Romae nihil contra id ostendere potuisse. Ad haec producebantur causae ex ipsis decisionibus Rotae Romanae, ob quas expedit, ut Societas Cracoviae doceat et postea ipsamet pro nobis facta sententia. Denique obiectiones, quas Academici facere poterant, breviter dissolvebantur. Sparsus hic liber et in Comitiis publice, quia sub tempus eorum erat editus, et per totum fere Regnum miram satisfactionem omnibus adferebat in iis omnibus, quae ad nostrum negocium cum Academicis pertinebant. Quid autem ad eum iuratus noster hostis Jacobus Naiman responderit, patebit sequenti anno.

Quae in eo continebantur.

Sparsus per Regnum.

Hostes nostri duo religiosi mortui. Nicolaus Carmelita discalceatus. Qui stigmata ficta habuit. Et Koczanovius Bernardinus.

Mortui circa hoc tempus duo magni nostri hostes iique religiosi, Nicolaus a Jesu Maria Carmelita discalceatus, de cuius libro Apologiae perfectionis aliqua initio Januarii anni huius diximus. Tanto gravius iste nostros persequebatur, quanto maiorem externam praeferebat sanctitatem. Sparsum erat de illo, quod stigmatibus nominis Jesu et Mariae fuerit insignitus. Sed R. D. Erasmus Kretkowski, Officialis, pro officio suo dum cum chirurgis cadaver intueretur, deprehendit eum adolescentem curasse sibi haec nomina, more in Germania recepto, in balneo per chirurgum incidi, quae certa pinguedine illita nunquam exterminari solent. Alter erat Bernardinus Koczanovius Lector, qui tam scriptis, quam colloquiis privatis et publicis nostros perstringere non cessabat nec superiores eum, ut abstineret, graviter monentes curabat. His adiungi potest Adamus Gizycki saecularis, de quo initio Junii diximus, qui tamen ante mortem errorem gemebundus agnoverat; quod utrum fecerint praedicti religiosi, non constat.

25. Discessus R. P. Provincialis.

Ad finem huius mensis discessit Cracovia R. P. Provincialis, relictis pro novo Praeposito domus Professae P. Joanne Liesiewski penes P^m Krzywokolski patentibus a R. P. Nostro missis.

Eleaemosyna Octobris.

Eleaemosyna huius mensis in pecunia erat florenorum 122. A D^o Szczepanowski fl. 30. A fraternitate Misericordiae fl. 15. A R^mo D^o Suffraganeo fl. 10. A D^o Rab fl. 13. A Virgine Sophia fl. 11. A variis per D. Wągrowski fl. 19. Reliqui ab aliis. Carnes, panes, lacticinia, ova constiterunt fl. 16.

B. Caroli officium.

Festum S. Caroli Borhomei hoc anno in rubricas huius dioecesis relatum erat cum officio semiduplici, sed postea sequentibus annis id non continuabatur.

Oratio 40 horarum.

Sexta et septima Novembris erat in templo nostro quadraginta horarum supplicatio pro felici successu Comitiorum Regni. Summum Sacrum habuit R^mus D. Suffraganeus Cracoviensis Thomas Oborski, qui etiam conclusit Orationem,

magna hominum frequentia ac devotione. Noctu nostri per horas assignatas orabant, succedentes sibi. Toto vero tempore Comitiorum fiebant orationes per varia templa distributae, apud nos vero diebus Sabbathi.

Mfcus D. Joannes Szydłowski venerat 8ª huius mensis ad nos et depositum, quod domi nostrae habebat, volebat accipere; sed ille, qui tum in loco superioris erat, nempe P. Fridericus Szembek, ob absentiam Superioris, tum ob summam 60 millium Collegio S. Petri a praedicto Dno inscriptam, cum illa conditione »Si uxorem non duxisset«, non permisit id. Pessimam in partem id accepit Dª Szydłowski et gravissime nobis offensus, coram officio Castrensi traducere nostros constituit miseratque ad nos Rmum D. Thomam Oborski Suffraganeum et R. Dm Garlinski Canonicos, expostulatum. Redeunte ergo P. Krzywokolski, post consultationem ea de re factam, redditum illi est depositum, cum obligatione illius summae, quae evanuit eo brevi uxorem ducente. Mansit nihilominus a nobis alienatus et eleaemosynam, quam ordinariam domui quolibet mense dabat, dare desiit eamque ad PP. Carmelitas discalceatos transtulit. Dolebant multi ex nostris ita eum aspere initio expeditum, cum nullo negocio haec res suaviter transigi potuisset et facile ad id adductus fuisset alio modo, ut tantisper adventum Superioris expectare vellet.

Dⁱ Joannis Szydłowski,

Ob depositum non statim redditum, Gravis contra nos offensio Et eleaemosynae, quam dabat, subtractio.

26.

Circa finem huius mensis finis Comitiis Generalibus Regni Varsaviae fuit impositus in iisque potissimum actum de prosequendo et continuando bello contra Gustavum in Prussia et non pauca circa id constituta. In iisdem Comitiis cum omnem lapidem movissent Borovius Rector Academiae et Brzoscius, ut nostras scholas Cracoviae impedire possent, nihil pulice vel apud Senatum vel apud Nuncios effecerunt; privatim tamen a quibusdam Nunciis emendicaverunt subscriptiones litteris ad Pontificem, in quibus petebant, ut decretum pro nobis iam datum irritum fieret. Et iterum in conventu Prosovicensi, in quo rationem reddebant Nuncii eorum, quae in Comitiis generalibus peracta sunt, a variis nobilibus similes subscriptiones petebant easque a quibusdam obtinuerunt.

Quae Academici in Comitiis contra nostras scholas machinantur.

Sexaginta tres florenos in pecunia hoc mense pro eleaemosyna accepimus. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 25. A Suffraganeo fl. 10. A P. Ravensi fl. 10. Reliqui ab aliis. Res submissae ut tritici metretae 13, siliginis metretae 10, hordei metretae 7, carnes variae, pisces, rapae, caules, casei, panes, vinum, aestimata sunt fl. 116.

Eleaemosyna Novembris.

Solennitas S. Francisci Xaverii 2ª Decembris et 4ª S. Barbarae consueta hominum frequentia ac devotione transacta. Et quidem in festo S. Barbarae Summum Sacrum a Rmo Do Suffraganeo, Rorate vero a R. Do Sarnowski sunt decantata.

S. Francisci et S. Barbarae solennitas.

Postquam 7ª huius mensis Varsavia P. Joannes Liesiewski rediisset, rebus pro quibus iverat non male confectis, redditae sunt illi sequenti die Paten-

P. Lesiewski fit

Praepositus S. Barbarae.

tes litterae Admodum Rndi Patris Nostri Generalis, 28a Octobris Roma datae, quibus Praepositus Domus S. Barbarae renunciabatur et eadem die munus hoc obire coepit.

Eleaemosyna Decembris.

Eleaemosyna huius mensis in pecunia erat florenorum 394. A Serenissimo Rege fl. 100. Ex legato R. D. Szypowski Canonici Cracoviensis fl. 166. A Rmo Do Suffraganeo fl. 20. A Rdo Do Archipresbytero fl 19 A P. Liesiewski fl. 24. A R. Do Bobola Canonico Cracoviensi fl. 12. A quibusdam ignotis fl 11. Reliqui ab aliis. Iam vasa tria vini a Do Paulo Rakoci missa et unum vas a Da Forgacowa, aromata a Do Mazurkowic, siliginis metretae tres et hordei aliae tres, similiter tres ciceris, tunna salis, carnes variae, panes et alia minutiora aestimata sunt fl. 269.

27. Eleaemosyna templi.

Iam templi annua eleaemosyna in pecunia erat fl. 1026. Calix praeterea argenteus deauratus cum patina a Da Pipanowa, continens marcas 4. Ab una Casimiriensi femina, cuius eleaemosynae in Aprili fecimus mentionem, alius calix cum patina, similiter quatuor marcarum. Duo mappae auro et serico pictae, 2 tobaliae, 2 superpellicea, casula viridis serici, argentea tabula unius marcae etc. plusquam 300 florenis constiterunt.

Haeretici conversi.

Ex iis, quae ad certum anni tempus vel mensis diem referri non poterant, erant inprimis varii haeretici conversi, sed per errorem non sunt notati, vel scripta de iis perierant. Unius tantum schedula inventa, cuius opera sex haeretici ad fidem Catholicam et unus Schismaticus ad obedientiam Christi Vicarii sunt adducti nec pauci nutantes in fide confirmati. Plurimi tales sine dubio erant et occasione Jubilaei, iterum hoc anno per duos menses durantis et occasione missionum cum Rmo Do Suffraganeo aliarumque, non sine maximo fructu animarum, sed ex scriptis de illis non constat.

Sacellum praesentationis Bmae Virginis in domo Dae Czeska.

Cum domum pro virginibus orphanis Mfca D. Sophia Czeska sufficienter accomodasset, petierat hoc anno ab Episcopo, ut eam approbaret. Misit igitur Episcopus R. Dm Kretkowski Officialem et R. D. Lubinski Canonicos, qui domum praedictam diligenter lustrarent et ad se fideliter de omnibus referrent, quod exacte ab iis est factum. Approbavit igitur domum Episcopus et ut coeptum opus in ea promoveretur, permisit, sacelli similiter domestici sub titulo Praesentationis Bmae Virginis, quod optabant, usum concessit, et in eo primum Sacrum R. D. Kretkowski Officialis solenni ceremonia Deo obtulit.

Annus Domini 1628.

Mutio Vitellesco Societatis Jesu Praeposito Generali, Pompilio Lambertengo Provinciae Poloniae Visitatore, Henrico Picherto Polonicae Provinciae Provinciali, Joanne Liesiowski Domus Professae S. Barbarae Praeposito.

I. Numerus

Viginti octo ex nostris in domo S. Barbarae per istum annum morabantur. Sacerdotes 17, Coadiutores novem, Novitii scholastici duo.

In solennitate Dominicae Circumcisionis consueta ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae frequentia. Cecinit Summum Sacrum et secundas Vesperas R^mus D. Suffraganeus Thomas Oborski idemque cum nonnullis Praelatis nobiscum est prausus. — Nostrorum. Festum circumcisionis.

D^na Agnes Skopkowna vidua 7^a huius mensis deposuit apud nos fl. 200 ea conditione, ut si illis ante mortem indiguerit, posset eosdem repetere, si autem mortua fuerit, ut domui S. Barbarae cederent. — Depositum Agnaetis Skopkownae.

Eadem die venerat domum nostram unus Religiosus Monasterii Chebdoviensis Ordinis Praemonstratensis exercitiaque Spiritualia S. Patris Nostri est aggressus et ea quindecim fere diebus, non sine magno spirituali fructu continuavit. — Praemonstratensius unus exercitia peragit.

2.

Undecima istius mensis insolentes ac impudentes Academici, impulsu nonnullorum Baccalaureorum et contubernii Hierusalem alumnorum, ex quibus plurimi nostri antea erant discipuli, dignum consuetae impudentiae suae facinus sunt aggressi et perfecerunt. Liber P. Friderici Szembek contra Pasquinum Brzoscii, anno superiore editus, a variis legebatur avide et mirum in modum probabatur, ob evidenter confutatas ineptias, tam Brzoscii, quam aliorum Academicorum. Academici igitur, quos agnita veritate praeconceptas de nostris opiniones deponere conveniens erat, odio veritatis perciti, inter se concludunt, ut liber P^is Friderici Szembek publice in foro exureretur et pro hac re conventum maiorem nobilitatis ac diem fori expectabant. (Dederat non paucam occasionem tantae audaciae Carmelita discalceatus, in festo S. Stephani non pauca imprudenter contra hunc librum locutus). Advocant autem carnificem eumque cremato exceptum, omnibus modis inducere ad exustionem praedicti libri contendunt. Nullo modo se id posse facere sine scitu Magistratus ille dixit, post plurimas tamen instantias unum ex suis sociis (quod tamen nullo modo facere debuit) concessit. Praedicta igitur die 11^a Januarii, quae in feriam tertiam infra octavas Epiphaniae inciderat, circa horam 17^am [1]), egressis ex classibus Studiosis et in fine publicarum lectionum, tali apparatu alumni contubernii Hierusalem ex platea S. Annae procedebant. Tubicen inprimis antecedebat, inflans tubam, hunc comitabatur socius carnificis, portans perticam, chartis in summitate et variis philuris obvolutam sexternionibusque, sive illi ex libro P^is Szembek fuerint sive non. Sequebatur magna turba Studiosorum, quorum agmen dirigebant Gawlowic clericali veste, Radlic Lovicensis, Baccalaureus Vieiski, Cosmigiel Leopoliensis, Tomaszewski et alii non sine maximis vociferationibus, quibus indicabant li-

Academici librum P^is Szembek — Publice exurere costituerunt. — Advocant Carnificem — Et cum eius socio — Ex contubernio Hierusalem — Cum tubicine et cum vociferationibus procedunt

[1]) Quartam post meridiem.

brum Jesuitarum Gratis dictum ignibus absumendum esse. Directa infamis processio ad saxeam columnam fustugationis, ad quam cum perventum esset, iussus eius gradus conscendere praedictus socius carnificis et proclamare, praeeunte uno ex studiosis, hoc modo: Wiadomo czynię ze się pali ksiąska od Jesuitow wydana przeciwko Academiey. Cumque ad illa verba venisset: przeciwko Academiey, eloqui ea non potuit, etiamsi sexies fere illi suggererentur. Et sic aliquid aliud balbutiens clamavit: Czynie co muszę. Addunt alii, studiosos circulis ferreis, ex columna prominentibus, impositas[1]) varias chartas, ut prius virgis exciperentur ante ignem, sed P. Szembek id totum describens, nullam virgarum facit mentionem. Face deinde accepta praedictus carnificis socius ignem subiiciebat chartis, quae dum eum tarde concipiebant, inclamabat populus: Niechce gorzec. Prospexerat tunc ex fenestra D. Stanislaus Lubomierski, Pocillator Regni, cum Niewiarowski et Dąmbski Canonicis (tunc enim in eius domo, columnae opposita, peragebantur nuptiae inter D^m^ Palcewski et filiam D^i^ Stanno Capitanei Sądecensis), sed cum ardere coepissent, desiit prospicere, clausa fenestra. Interim volantibus chartis per aerem alii studiosi inclamabant: Gratis Jezuicki do nieba leci, alii: Gratis Jezuicki do piekła leci, bo krzywo leci. Tunnam postea pice illitam, variis chartis ac stramine impletam succendunt, quam quinque vel sex studiosi evaginatis frameis discindebant, clamantes; Pali się Gratis Jezuicki. Quia vero tunna praedicta nigra erat, ideo quidam sparserant statuam alicuius nostri stramine impletam et veste nostra indutam exustam, sed nihil fuit praeter dictam tunnam. Iactitabant etiam tunc Academici, se tunnam librorum Gratis intercepisse et exusisse. Ultimo tandem aliquot folia socio carnificis a studiosis data, ut ferreis annulis insererentur. Rector Academiae Borovius totum id molestum sibi accidisse praesetulit et dicitur tunc, dum per plateas iam Studiosi irent ad librum comburendum, misisse quendam, qui moveret Seniorem, ne id fieret; sed multi id illo vel conscio vel saltem connivente factum arbitrabantur. Quomodo enim rem cum tanto apparatu factam vel non scivisset vel impedire non potuisset? Quomodo Senior Contubernii Hierusalem, in cuius conspectu et tractatus cum carnifice et tantae praeparationes fiebant, istis omnibus non occurrisset et Rectori Academiae aliisque, ad quos id spectabat, non significasset, si voluisset? Imo ex iis, qui quinque

Ad columnam

Proclamationem instituunt.

3. Exurunt. Prospiciente e fenestra D^o^ Lubomierski.

Tunna etiam picea accensa et dissecta sarcasmos instituunt.

Rector Academiae prae se tulit, id sibi molestum, sed forsan ficte.

[1]) Imposuisse.

vicibus illa ipsa die, qua librum exurere constituerant, iam nomine Bursae Jagellonicae, iam nomine ipsius Rectoris et nomine Parohi Niklaszowski ac iterum Doctoris Petricii et Niewiarowski Canonici exemplaria istius libri a P. Szembeco petebant (nec tamen obtinuerunt, quia eorum machinationes iam erat praedictus Pater subodoratus) manifeste apparet, quam multi fuerint conscii tantae impudentiae.

Ob combustionem nonnulli librum postulabant.

Tanta impudentia Academicorum more perscripto transacta, iussu R. P^is^ Provincialis instituta inter nostros Consultatio, an tanta iniuria, non solum nostra, sed etiam Summi Pontificis, Regis, Nunciorum Apostolicorum, Episcoporum Regni, quorum omnium in hoc libro iam decreta, iam litterae erant positae, iure per nostros vindicari debuit, nec ne? Pro affirmativa sententia valde efficacia erant argumenta et fere praecipui authores huius tragediae sciebantur, pars tamen negativa praevaluit, in iniquitatem temporum omnia referens et defectum executionis, contemptum iurium, maiora mala futura, si lis intendatur, proponens. Quanquam non pauci haec allata ex pusillanimitate fuisse profecta, forsan non immerito censebant. Atque ita in tanta iniuria nostri tacuerunt et ab omni iure abstinuerunt, multis externis admirantibus, imo id molestissime ferentibus. Certe Andreas Lipski Episcopus Cuiaviensis et de exusto isto libro et de nostrorum sententia, qua non prosequendam iniuriam censuerunt, postquam cognovisset, illa pro suo fervore verba protulit: Si essem author huius libri in Societate manens, pro zeloque ordinis talia scribens et non experirer zelum ordinis ratione mei honoris, eo modo quo hic factum est, relinquerem ordinem etc. Civilis etiam Magistratus Cracoviensis, diligenti inquisitione facta, in carnificem suum socium talia permittentem graviter advertit, longe gravius puniturus socium, si fuga sibi non consuluisset. Quanquam multi e contra censebant, tantam impudentiam magis Academicis obfuturam, quam nostris. Et sicut infanticidium ab Herode institutum, ob Christum perimendum, magis Christum manifestavit orbi, ita exustus hic liber maiorem ardorem omnibus iniecit eius acquirendi ac legendi, ut bene sumus experti.

4. Nostri deliberantes, an tanta iniuria esset vindicanda, negativam partem eligunt.

Quam moleste id tulerit Lipski.

Civilis Magistratus Cracoviensis socium carnificis punire voluit.

Hac exustione multi excitati ad legendum librum

Dum P. Fridericus Szembek 13^a^ huius mensis varios nobiles, qui Cracoviam convenerant, salutaret et libellum suum Gratis multis ex iis offerret, qui avidissime acceptabant et combustionem eius dolebant ac improbabant, casu incidit in Ensiferum Regni Joannem

Joannis

Zebrzidowski

Zebrzydowski, qui solus librum improbans multa acerba contra P. Szembek protulit. Aiebat enim, quod noster Provincialis librum praedictum improbaverit, quod contra Academicos tres solum negocium promoverent, quod unus ex nostris dixerit: X. Lancicius y X. Szembek, nadrwiwszy odbiegli tey sprawey! quod primus motor in hac re sit P. Szembek. Addidit etiam contra Societatem illud ob incarceratum Nowodworski Varsaviae: Rzuciliscie się na slachtę, rzucicie się potym na Papieza. Impune scribuntur libri contra SS^mam Trinitatem, contra vos autem si aliquid scribatur, tantas poenas exigitis. Respondit ad haec omnia P. Szembek, ut necessum erat, sine responsione tamen omnia haec dicta et stultissima et mendacissima nimis se ipsa refutant. Offerebat tamen ipse Dominus tunc suam operam Societati in rebus licitis, et cum illi revocaret P. Szembek epistolam ad se datam, in qua aiebat Ensifer tamdiu se Academicos defensurum, quamdiu ius illis opitulabitur: Ecce iam ius, ait P. Szembek, non opitulatur, cum Rotae Romanae sententia sit pro nobis. Hic exarsit Ensifer et iterum in librum P^is Szembek coepit invehere et in excommunicationes in eos datas, qui contra nos scripserunt et quod ea, quae contra nos scribuntur, statim pasquinos esse dicamus. Respondit ad haec P. Szembek: Si prodirent contra nos scripta sine mendaciis, sine scandalis, sine aculeis et sarcasmis, nunquam damnarentur, dum aliter prodeunt, et damnantur et damnabuntur semper. Et sic finis collocutioni impositus.

Acerba dicta contra P. Szembek,

Et contra Societatem,

Sed ex affectu malo et sine ulla veritate.

5. Ratione nostri Młodecki frustra tentatur compositio.

Tentata amicabilis compositio 15^a istius mensis ratione negocii mortui Charissimi Młodecki, inter nostros et inter D^m Starski. Ex parte nostra seu Collegii S. Petri erat R. D. Andres Łukomski et R. D. Garliński Canonici, ex parte altera erant D^s Kazanowski olim Notarius Castrensis et D^s Ługowski Notarius terrestris. Sed nihil potuit effici. Cum enim D^s Starski se legittimum assereret successorem et nos fortissime id negaremus et praeterea nos bona conscientia iuri nostro, antequam iudicium aliter decernat, renunciare non posse asseremus, denique dum ob pacem et quietem prius quartam, postea et tertiam partem e bonis Młodecii concederemus, D^s autem Starski vix aliquid concederet, discessum est rebus infectis.

Tumultus contra Judaeos ab Academicis.

Iterum nullum finem petulantiarum facientes Academici inter Judaeos 23^a huius mensis tumultum excitarant, Judaeos nonnullos vulnerarunt, illi etiam a Judaeis aliquot vulnerati et unus in cloacam deiectus; et processisset tumultus ad multo graviora, nisi satellitium tum Arcense, tum Castellani Cracoviensis intervenisset et inter utramque partem iurgia caedesque diremisset.

A 26ª ad finem huius mensis loca communia domestica purgabantur, ita ut a qualibet urna quinque grossi solverentur. Cloaca domestica purgatur.

Ultima huius mensis quidam Athanasius Graecus Archiepiscopus, ut ipse aiebat, Imbriensis, habens et Cardinalium nonnullorum et Admodum Rdi Patris Nostri Generalis litteras commendatitias, Varsavia huc venit et hospitio a nostris exceptus, ad 10ᵉᵐ Februarii apud nos mansit. Data illi discedenti vestis superior et 20 taleri. Hic etiam nonnulla ex Collegio Posnaniensi (nam ex Germania pro festis Natalitiis venerat) et pro eleaemosyna et mutuum acceperat, nempe lectisternia aliaque nonnulla, quae Varsavia se remissurum erat pollicitus, sed nec remisit nec unquam postea restituit. Non multo post aliqui nostri Leopoli deprehenderunt, eum vere fuisse Schismaticum ac partes Schismaticorum contra unitos fortiter promoventem ideoque impostorem. Utinam autem plures talia fingentes et tot litteras commendatitias acquirentes ac ex Graecia in has partes venientes non fuissemus saepius experti, postquam tam nos quam multos alios egregie decepissent. Athanasius Graecus Archiepiscopus hospitium habet domi nostrae per 10 dies. Probabile est fuisse impostorem.

Mense Januario eleaemosynae pecuniariae accepimus florenos 200. Ex legato Pauli fl. 70. Ex quartuali Vielicensi fl. 36. Ab Episcopo Camenecensi fl. 30. A Rᵐᵒ Dᵒ Suffraganeo fl. 13. A Dᵒ Rab fl. 13. Reliqui ab aliis. Iam tritici metretae 30, siliginis metretae tres, pisorum coreti 4, carnes variae, panes, vinum, crematum, casei constiterunt fl. 100. 6. Eleaemosyna Januarii.

In festo Purificationis Bᵐᵃᵉ Virginis Athanasius ille Graecam liturgiam in sacello Congregationis Assumptae, nostris illi ministrantibus, celebravit. Athanasii missa.

Primam festivitatem Nostrorum trium Japoniorum Martyrum Jacobi Ghisai, Pauli Michi, Joannis Goto (qui Anno 1597, 5ª Februarii pro Christo sunt passi, ut suo loco annotavimus) 5ª huius mensis celebravimus cantatis Sacro et utrisquae vesperis Contioneque de iis habita. Expositae erant in altari maiori imagines horum Sanctorum, torquibus ac lampadibus exornatae. Festivitas prima Martyrum Japoniorum.

Tumultu excitato inter Academicos et aulicos Ducis Georgi[i] Zbarascensis 8ª istius mensis Kałuski Academicus vulneravit Kresz Thesaurarium Ducis, abscisso uno digito et altero in eadem manu vulnerato, vulnerati etiam aliquot Academici, imo et in carcerem arcensem postea nonnulli erant compacti. Gravissime vero ferens Dux Zbarascius istam abscisionem digiti sui thesaurarii, ad Rectorem Academiae dedit litteras, instantiae et indignationis plenas, quarum haec erant puncta: 1ᵐ Ut clarum est, solis claritatem obfuscari non posse, sic clarum et notum esse, quo favore et labore Academiam esset prosecutus et ferme solus res eius in Comitiolis sustinerit. 2ᵐ Quam gratitudinem experiatur et quot iam modis indignis sui ab Academicis tractati fuerint, notum esse omnibus. 3ᵐ Nisi hac ocasione iustitia administrata non fuerit, se penitus non solum relicturum Academiam, sed etiam ea contra eam dicturum in primis, quae instant, Comitiolis, quae est merita. 4ᵐ Petere se, ut omnibus studiosis arma Academicus Kałuski vulnerat Dᵐ Krzesz. Litterae Ducis Zbarascii hac de re ad Academiam expostulantis.

interdicantur nec ea unquam gestent, deinde ut Kałuski statim excludatur, ut videlicet ex eo Academiae privilegiis spoliato facilius curare possit iustitiae debitae administrationem. Respondit Rector nomine Academiae, se agnoscere favores et beneficia dolereque vehementer ex tot amaritudinum causis datis; mandasse, ut omnes arma deponant, sese etiam ante illius requisitionem (mandarat hoc ante Rector, sed vix aliquis ex Academicis morem illi gesserat); Kałuski se excludere non posse ab Academia, nisi reum esse constiterit. Se enim legibus teneri Academiae et insuper Sacramento se obligasse ad easdem leges servandas nec quidquam ultra modos praescriptos agendi in iustitia administranda facere posse. Non valde Duci placuit haec responsio propter Kałuski non statim eiectum.

Respondit Rector Academiae ad singula.

7. Andreae Solecensis mors subita.

Andreas Solecensis Coadiutor, in Collegio S. Petri manens, apoplexia correptus 16ª huius mensis, sequenti die mortuus est et 18ª in templo eiusdem Collegii sepultus. Quia vero discedens ante aliquot annos Romam P. Lancicius varia secreta huic Andreae commiserat, maxime circa colligendam et conservandam occulte pecuniam (ita ut de ea nec Provincialis ipse sciret) et ad se certis modis tunc mittendam, ideo hac subita morte ingentes tricae inde ortae. Nam ubinam ab Andrea pecuniae fuisset conservata non mediocris summa, nullus sciebat et ea, quae restabat, cum occulte ac inscio Vice-Rectore Collegii S. Petri P. Joanne Korczewski ad P. Fridericum Szembek fuisset delata et postea eius pars ab eodem Romam Pⁱ Lancicio transmissa, molestissimum id erat tum praedicto Vice-Rectori, tum etiam ipsi R. P. Provinciali, qui expostulatorias ea de re litteras ad P. Szembek dederat. Iste etiam modus Pⁱˢ Nicolai Lancicii, quo discedens ad aliquot annos ex Provincia secreta cum certis subditis talia constituerat, qualia etiam ipsi Provinciali non essent nota, valde toti Provinciae displicuerat. Unde et in Congregatione Provinciali, quae hoc anno peragebatur, plurima contra eum dicta erant.

Quae ob eam ortae difficultates,

Contra P. Lancicium et alios

in Provincia.

Rationes Pⁱˢ Szembeci, de scholis nostris non admittendis.

P. Fridericus Szembek, tam multas difficultates advertens, quae Collegio S. Petri cum Academicis intercedebant nec finem habiturae putabantur, scripsit ad Admodum R. P. Nostrum 22ª istius mensis, proponens varias rationes, ob quas perplexus erat, an sententia, quae in favorem nostrarum scholarum Cracoviensium esset, uti debeamus nec ne. 1ª erat Rex titubans in suis dictis et, ut nonnulli dicebant, animans contra nos quosdam. 2ª Clamores Nuntio-

m Regni contra nos. 3ª Si Episcopi in causa sui Coepiscopi Achacii ochowski contra Bolestrasicki haereticum ita erant languidi, ut et ex miraretur et haeretici dicerent, se plus obtinuisse quam obta- nt, quid erit in causa nostra? 4ª Contrarius sensus et Primatis egni et multorum Episcoporum nostro. 5ª Episcopus Cracoviensis artinus Szyskowski negative se habens et Vicarius eiusdem ineffi- x. 6ª Nostrorum diversae sententiae, seu divisio linguarum in hoc egocio. 7ª In aula Regis non est, qui hoc negocium ita ut par est omoveat et Regem ad constantiam urgeat, Cancellario Regni[1]) et ice-Cancellario[2]) minus faventibus. 8ª Effrenis insolentia iuventutis cademicae, quam nullus hactenus cohibere potuit. 9ª Nullus possi- lis modus moraliter administrandae iustitiae ex Academicis, dum iuriam inferunt. Unde et Dux Zbarascius in tot iniuriis, suis fa- ulis illatis, non potuit habere iustitiam. 10ª Nulla spes fructus, qui eri solent in Collegiis, si illis invitis scholas habeamus. Explicat has tiones fusius P. Szembek in suo diario et postea alias his contra- as opponit, sed minus satisfacientes. Itaque in hac re, quam ipse um aliquot nostris cum tanto fervore et rumore promovere non du- itavit, tandem advertit multas difficultates, quas utinam pridem cum uis asseclis advertisset.

8. Simultates inter Academicos.

Variae sub idem tempus erant simultates inter ipsos Academi- os, inter Naimanum Jacobum et Brzoscium, ratione responsionis ad bellum P. Friderici Szembek Gratis et ratione impensarum pro ypo huius libri. Inter Kałuski, seu ut alii scribunt Załuski, qui ci- atus ad arcem excepit forum cum aliis studiosis, et inter reliquos cademicos, inter Rectorem et caeteros studiosos, qui eum arma rohibentem audire nolebant.

Mirabilis volucrium cantus circa truncum, cum quo demersus est P. Silveria.

P. Petrus Sterglerus 26ª huius mensis Graecio P. Andreae Vachocio Cra- viam inter caetera illud scripsit, magna consideratione dignum ex relatione Assistentis Lusitaniae de B. Consalvo Silveira, sive ut alii scribunt Sylveria, i anno 1561, 15ª Martii Monomotapae pro fide Christiana necatus est. Huius im corpus vestibus Societatis indutum, separatum hucusque manet a trunco, i corpori eius dum demergeretur alligatus fuit. Et quidem ad truncum in adam parte insulae apparere perpetuo aves quasdam albi coloris, suavissima elodia concinentes et sibi in cantu succedentes, fuisseque Romae Sacerdotem illis Indiae partibus, qui ex navi, prope illud litus aliquo tempore haerente Et croco-

[1]) Venceslaus a Leszno Leszczyński.
[2]) Thomas Zamoyski.

dilli, custodientes corpus. et viderit eas aves et melodiam audierit. Idem Sacerdos dicebat, se non vidisse corpus Beati ex navi, sed se narrantem audivisse unum, qui ascenderat altam arborem ex eaque visum fuisse corpus Beati tectum veste Societatis et custodiri ab aliquot crocodillis. Huic rei praedictus Sacerdos testimonium dedit cum iuramento Romae coram Tribunali Congregationis Sacrorum rituum. Quid Deus hac re velit, tempus ostendet.

Eleaemosyna Februarii. Accepimus eleaemosynae pecuniariae per mensem Februarium florenos 258. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 122. A Serenissimo Rege fl. 50. A D° Charzewski fl. 50. A D° Suffraganeo fl. 10. Reliqui ab aliis. In rebus tritici metretae tres, pisorum metreta una, carnes variae, oliva, vinum etc. constabant fl. 40.

9. Oratio triduana. A 5ª Martii ad 7ᵃᵐ inclusive Oratio triduana consueta devotione et maxima hominum eaquae perpetua frequentia expedita est. Licet enim et Patres Carmelitae discalceati et Patres Bernardini Reformati aemulatione nostrorum in suis templis Orationes similes instituissent, nihil tamen id Nostro templo obfuit. Porro primam Orationis diem, seu Dominicam Quinquagesimam, exornavit insignis actus Susannae Amandae, quo in templo nostro in manibus Rᵐⁱ Thomae Oborski Suffraganei Cracoviensis, Summum Sacrum cantantis, obtenta prius ab Episcopo Cracoviensi facultate, votum castitatis emisit. Aderat Parens Virginis Dˢ Stanislaus Amanda, Italus, Vir industrius et in aula Maximiliani Imperatoris Romani clarus, a quo etiam ob praeclara merita inter nobiles et equestris ordinis homines relatus fuit. Et post cum eiusdem Imperatoris Legatis ad Solimanum Turcarum Imperatorem ivisset, usus tali occasione Graeciam, Cappadociam, Aegyptum, Palestinam in eaque loca Christi mysteriis insignita obivit. Tandem in Poloniam venit et filia Stanislai Frezeri in matrimonium accepta ex ea praedictam Susannam cum nonnullis aliis liberis suscepit praefectusque manens longo tempore Olkusiensium fodinarum, egregia sua industria maximas opes acquisivit, quas in varia pia opera liberaliter distribuebat. Tali ergo Parente haec virgo nata, post aliquot sorores magnis viris in matrimonium collocatas, multis precibus, ut votum castitatis publicum et ob maiorem cum Deo coniunctionem et ob spem omnibus procis praescindendam emittere posset, cum Parentibus egit ac obtinuit. Deducta ergo solenniter ad nostrum templum per suos cognatos est et post concionem de eius voto futuro factam, ad altare maius cum iisdem cognatis honorificentissime progreditur, praeferentibus nonnullis tum sertum gemmis ac unionibus contextum, tum annulum sponsalitium et cor aureum cum tali inscriptione: Christo immortali sponso Susanna Amanda se per haec signa dicat sacratque in perpetuum. Haec omnia in genua provoluta manu propria in manus Antistitis celebrantis porrexit, quae ille accepta supra ferculum SSᵐᵃᵉ Eucharistiae deposuit. Deinde virgo ante Sanctissimam Eucharistiam vernacula lingua tali formula votum fecit: Wschechmogący wiecny Boze. Ia Zuzanna Amandowna, aczkolwiek z każdey miarey Maiestatu twego Boskiego naniegodnieisze stworzenie, ufaiąc iednak dobroci y miełosierdziu twemu nieskonczonemu a pobudzona będąc łaską twą osobliwą do pragnienia służenia doskonalszego tobie: Slubuie Maiestatowi twemu Boskiemu przed Przeczystą Bogarodzicą Marią Panną y przed wszystkim dworem niebieskim y przed tobą Naiwielebneyszy Oicze Tomaszu Oborski Biskupie Laodycki na miescu Pana Chry-

Virgo Susanna Amanda, Stanislai Amandi filia,

Ut publice castitatem voveret, obtinuit

Et votum emittit magna cum caeremonia.

Formula voti

In mani-

stusowym y Namiestnika iego a mego Pasterza J. M. Xiędza Biskupa Krakowskiego Marcina Szyskowskiego będącym, Czystość wieczną. Przetosz Boskiey twoiey dobrątliwosci niepoiętey y łaskawosci niewypowiedzianey przez krew nadrozszą Jezusa Christusa proszę pokornie, abys tę ofiarę od małosci mey niegodnego stworzenia twego wdzięcznie przyiąc raczył. A iakos mi dał łaskę do pragnienia doskonalszego zycia y ofiarowania się tobie, tak racz teyze łaski y pomocy do doskonałego wykonania tego comci obiecała mnie niegodney poki życ będe bez przestanku dodawac. Amen. bus Thomae Oborski, Suffraganei facti.

Hoc modo voto castitatis emisso, Sanctissimam Eucharistiam suscepit, omnibus qui aderant et admirantibus et felicissima omnia illi auspicantibus. Cognati post eius (praeter alia quae alibi pro pauperibus et variis hospitibus instruebant convivia) domi nostrae Praelatos varios: R^m D. Suffraganeum, R. D^m Kretkowski Officialem, R. D. Łukomski, R. D^m Bobolam, R. D. Łubiński, R. D. Skarszewski Canonicos, R. D. Nucerinum Concionatorem Arcensem, R. D. Constantinum Custodem Regii thesauri et alios saeculares consanguineos egregio convivio exceperunt. Concio vero P^is Adami Makowski in hoc actu habita, postea in Decembri anni huius edita est in lucem. **10.** Cognati eius domi nostrae multos convivio excipiunt.

Reddidit P. Rector S. Stephani 9^a istius mensis fl. 500, quos superiori anno in Martio mutuos a nobis acceperat recepitque argentum, quod pignoris loco deposuerat. Debitum restitutum.

Ius patronatus in altare certum apud B^mae Virginis parochiale templum, quod nobis donatum erat anno Domini 1617, 5^a Junii a D^o Foxio, uti ibidem annotavimus, per Patrem Gasparum Rezlerum, cuius mater soror erat D^i Foxii ad idemque ius pertinebat, confirmatum est 15^a huius mensis coram R. D^o Erasmo Kretkowski, Officiali Cracoviensi. Ius Patronatus confirmatum altaris in aede B^mae Virginis.

Unus ex studiosis Collegii S. Petri, Skicki vocatus, a petulantibus Academicis 39^a istius mensis vulneratus est. Accusati ea de re apud Borovium Rectorem et convicti, sed nulla iustitia administrata censebatque Rector se administrasse iustitiam ideo, quod moniti essent ab eo, ne frequentantes Collegium S. Petri vexarent. Skicki vulneratus ab Academicis.

Eleaemosyna pecuniaria erat florenorum 136 per mensem Martium. Ex quartuali Vielicensi fl. 36. A D^o Stanislao Rab fl. 24. A D^o Suffraganeo fl. 10. A D^o Nucerino fl. 10. A D^o Pipano fl. 10. A D^o Satanowski fl. 16. A Procuratore Provinciae fl. 10. Reliqui ab aliis. Iam tritici coreti 3, siliginis coreti 10, seminum canapis coretus unus, prandium a Castellana Oswiecimensi Cristina Myskowska, carnes, panes, pisces, oliva, aromata fl. 62 aestimata sunt. Eleaemosyna Martii.

Ipsa die prima Aprilis venit ad nos Cracoviam e Hungaria P. Martinus Caldi Societatis Nostrae, a Pasmano Archiepiscopo Strigonensi et Primate Regni Hungariae missus, ut a Serenissimo Rege Nostro quoddam monasterium dirutum in Scepusio pro loco Collegii Societatis Jesu ab eo fundandi impetraret. Et nulla quidem fuit dif- **11.** Martinus Kaldi a Pasmano Archiepiscopo Strigonensi missus.

ficultas in hac re a Serenissimo impetranda, sed Praefectus et Capitaneus Scepusius, qui tunc erat D[s] Stanislaus Lubomierski Pocillator Regni, variis pretextibus omnia impedivit. Fama erat Scepusienses haereticos tum apud ipsum tum apud eius famulos plurimis muneribus procurasse, ne in Scepusium homines Societatis inducerentur. Adferemus in Septembri litteras Regias ad Pasmanum Archiepiscopum in hac re datas.

Id quod impetrat a Rege impeditum habet a Praefecto.

Cum fuissent obtentae Remissoriae ab Academicis in ordine ad Canonizationem B. Cantii, coeperunt 3[a] huius mensis varios evocare pro testimoniis de hoc Beato adferendis. Inter caeteros evocarunt etiam P. Fridericum Szembek, qui alacriter eo venit et plurima de vita, sanctitate, miraculis huius Beati per ordinem questionum, in Remissorialibus fieri solitarum, cum iuramento deposuit. Unde non solum gratias egerunt Academici P[i] Szembeco, sed etiam ex eius depositione adverterunt modum, quo in hoc negocio res essent examinandae, quem deinde sunt secuti.

P. Szembek varia cum iuramento deponuit de sanctitate B[i] Cantii.

Mortuus erat Calissii in fine superioris anni Adamus Sandivoius Czarnkowski Palatinus Lenciciensis et Maioris Poloniae Capitaneus Generalis. Ad funus eius, quod 5[a] Aprilis Czarnkoviae summo apparatu celebratum est, pro concione a Coniuge vidua relicta P. Matthaeus Bembus Cracovia evocatus fuit, quam summa omnium prudentium approbatione fecit. Nam discoli milites, qui plurimi in eius funere erant, non valde libenter ea audierunt, quae de malis militibus in ea adferebantur. Edita post haec Concio in lucem mense Junio.

P. Mathaei Bembi Concio in funere Palatini Lenciciensis.

Gabriel Comes a Tarnow, Generalis Cracoviensis Capitaneus, multorum quidem locorum Societatis sed potissimum S. Petri maximus Benefactor et Defensor 12[a] istius mensis fere subita morte (nam alienationem sensuum passus, vix duos dies supervixit) extinctus est sine Sacramentis. Coniux eius ingrata et nobis valde offensa (falsissime putans, simultatum quae inter eam et eius virum intercedebant, nostri essent authores (sic), cum tamen pro nullo magis nostri laboraverint, quam pro ea cum marito serio reconcilianda) ad funus eius nulla nostrorum opera uti voluit, non sine multorum admiratione. Erat is vir maximis a Deo talentis exornatus et ad summa quaeque natus, si non concitatiori cholerae saepius deditus et apud Serenissimum et apud alios prudentiores omnia destruxisset.

Gabrielis Comitis a Tarnow mors.

Eius Coniunx sine causa nobis offensa.

12. Feria 6[a] ante Dominicam Palmarum, quae in 14[am] huius mensis incidit, missus pro festis instantibus Bolechowicos P. Stanislaus Krzywokolski cum P. Andrea Skibicki, qui in Collegio S. Petri Theologiam finiebat, ibique tum concionibus faciendis tum verbi Dei praedicatione egregiam operam proximis impendebant.

Missio Bolechowicensis.

D[a] Cristina Grochowska a Rytwiany, testamento in praetorium Cracoviense porrecto, 17[a] istius mensis, 4000 fl. templo et domui nostrae post suam

Cristina Grochow-

mortem legavit, usum tamen eius liberum, quamdiu viveret, sibi reliquit. Eius vero pecuniae, cista inclusae, templi Praefectum P. Petrum Kamocki, conscio Domus Praeposito, custodem esse voluit. Sed postea statu vitae mutato, ingressa Religionem S. Francisci in monasterio S. Agnetis, voluntatem mutavit et pro 4 millibus unum domui nostrae attribuisse scribit in sua historia P. Kamocki. An hoc tamen hoc anno vel aliis factum sit, nihil in rationibus domus et templi invenio.

ska pro 4 millibus legatis nobis, mutata sententia, dat unum.

Generosus D^{s} Joannes Lezynski certorum bonorum Palatinae Vilnensis Chodkieviciae Fundatricis Nostrae Ostrogiensis et aliorum locorum maximae Benefactricis administrator, cum Cracoviam ob curandam valetudinem suae coniugis venisset, Annam filiam quadriennem morte sublatam ammittit magno cum moerore. Concessa igitur fuit illi postulanti, tum ob multa alia tum potissimum ob Palatinae Vilnensis et eius Matris Ducissae Ostrogiensis ac Jaroslaviensis immortalia erga Societatem promerita, in nostro templo filiae sepultura, quae peracta est 29^{a} huius mensis, cantante Sacrum de Angelis P. Joanne Borzynski et funebres caeremonias peragente, cenotaphio praeterea albo serico et 40 fere candelis exornato. Sepulta est inter gradus nostrorum sepulchrorum e regione maioris altaris. Recreatus eo loco sepulturae nonnihil Parens, quod in eodem templo eius avia D^{a} Dorothea Lezinska anno 1588 vel potius Anno 1601 esset condita.

Annae Lezinska quadriennis sepultura apud nos Parentibus eius id petentibus.

Quidam Parochus penultima huius mensis domum nostram venit ob spiritualem collectionem, quam etiam non sine fructu expedivit.

13. Parochi unius collectio spiritualis.

Ultima huius mensis, operante Sacris R^{mo} D^{o} Thoma Oborski Suffraganeo, Mfca D^{a} Sophia Gorecka vidua in templo nostro votum non nubendi, seu castitatis vidualis, magna hominum frequentia praesente, eadem ceremonia, qua in Martio Susanna Amandowna Deo fecit, cum id antea requisitus Episcopus Cracoviensis concesisset.

Sophia Gorecka votum viduitatis emittit.

Quadraginta duos florenos Mense Aprili in pecunia accepimus. A R^{mo} Suffraganeo fl. 20. Reliqui ab allis. Res constiterunt fl. 117. Nempe farinae siliginis metretae 11, tritici metretae tres, hordei aliae tres, butyri vasa tria, caseorum sexagena, ovorum sexagenae 13, tortae, carnes variae, vinum, pisces, panes et alia minutiora.

Eleaemosyna Aprilis

Ius domui S. Barbarae donatum, ut altaristam Corporis Christi ac S. Longini praesentare possit, cum obligatione cantandi Sacra in templo nostro, cum 15^{a} istius mensis iterum confirmatum fuisset coram R. D. Officiali, moleste id coepit ferre R. D. Christophorus Trcinski Archipresbyter, praetendens nescio quod praeiudicium inde Ecclesiae Parochiali B^{mae} Virginis imminens. Non paucas molestias iuridicas cum eo debuimus subire, sed tandem iuridice ostensum, nullum eum pati praeiudicium et immerito offensum fuisse P. Petro Kamocki templi Praefecto, qui iure cum eo agebat.

Ius Patronatus altaris moleste fert Archipresbyter B^{mae} Virginis.

Mortuus est domi nostrae 20^{a} huius mensis P. Michael Ponecius Societatis nostrae. Ponecii (quod oppidum est Maioris Poloniae) honestis parentibus is natus Anno Dni 1575. Ex 53 aetatis annis 30 in Societate consumpsit. In patria humanioribus litteris non male instructus ad Collegium Posnaniense venit et in eo uno anno Rhetoricae et tribus Philosophiae studuit non malo profectu.

Mors P. Michaelis Ponecii. Eius patria et aetas. Studia.

Ingressus in Societatem. Labores in Societate Scholastici. Gradus. Munia varia.

Ingressus Societatem, post exactum biennium probationis in domo S. Stephani Cracoviae, in scholis Grammatices octo fere annis docuit. Deinde scholasticae Theologiae duobus annis et Casuum Controversiarumque uno anno in Societate auditor fuit. Sacris initiatus, operarii Societatis munus in variis locis egregie obiit et anno 1610, 4ª Octobris gradum Coadiutoris formati spiritualis suscepit. Ministri munere Posnaniae annis tribus, Cracoviae vero fere 12 est perfunctus, magna nostrorum satisfactione. Tribus annis Concionatorem pomeridianum egit. Saepius etiam variorum Concionatorum vices supplebat. In Confessionibus excipiendis singularem gratiam et dexteritatem habebat poenitentesque tam in corrigendis moribus quam in usu rerum spiritualium dirigebat egregie, maxime vero eos, quos commentationibus S. Patris Nostri excoluerat In regularum institutique observatione excellens fuit eamque in aliis, dum Ministrum ageret, fortiter et suaviter promovebat, modestia morumque compositione et religiosa conversatone in sui amorem multos attrahebat. Orationi spiritualique lectioni plurimum addictus fuit et ocium semper exosum habuit. Mortificationem et internam et externam ex animo coluit, cui diuturna phtisis magnam occasionem dabat, quam ille non minori animi fortitudine quam aliorum aedificatione patientissime tolerabat. Extremis vitae suae diebus vix pedibus haerens, excipiendarum Confessionum causa ad templum venire in eoque diutius morari non dubitabat. Denique postquam vires prostratae eum lecto affixerunt, consuetis Ecclesiae Sacramentis munitus in medio nostrorum, qui convenerant, extremum diem vitae clausit, magno sui desiderio relicto, supradicta 20 huius mensis die, quae in Sabbatum inciderat ideoque ob impedimentum diei Dominicae tertio post mortem die in sepulchro Sacristiae vicino, mane, magno hominum concursu conditus est.

14. Maxime in officio Ministri. Eius virtutes et animarum zelus.

Mors et sepultura.

Aurificum Cracoviensium Informatio contra quemdam eos traducentem.

Ediderat quidam Aurifex haereticus Cracoviensis ex quodam rancore privato quamdam relationem contra Aurifices, quasi Reipublicae noxios ac damna inferentes in iis, quae ex auro argentove confecta vendunt vel emunt. Ideo seniores Aurifices Cracovienses 20ª istius mensis ediderunt Cracoviae polonico idiomate Informationem necessariam omnibus res ex auro huius Regni confectas aut ementibus aut vendentibus, quae extat et non parum prodest ad intelligendum valorem et pondus multiplex tam auri Hungarici Polonicique, quam argenti.

15. Synodus Petricoviensis Provincialis. Quae in ea contra nos acta, sed frustra.

Joannes Wężyk Archiepiscopus Gnesnensis et Primas Regni indixerat Synodum Provincialem Petricoviae varias ob causas, quae 22ª huius mensis inchoata ad 26am eiusdem est protracta. Valde multa Academici proponere curabant et efficere, ut publico totius Synodi nomine peteretur a Sanctissimo, ne scholas Cracoviae haberemus. Quia vero in eadem Synodo inter caetera agebatur de contribuendo donativo pro Regni necessitatibus, ideo non pauci Praelati

nobis infensi eidem contributioni nos addicere volebant. Sed per Dei gratiam nec Academici nec dicti Praelati quidquam effecerunt. Dum enim a Synodo peterent Academici, ut Privilegiorum Academiae curam habere vellet et attendere, ne per nostras scholas violarentur idque apud Summum Pontificem efficere non graverentur ob tot turbas, quae occasione nostrarum scholarum fiunt, Rd[s] P. Henricus Pichertus Provincialis (qui Petricoviam cum P. Matthaeo Bembo tunc venerat) petiit etiam obnixe a Synodo, ut privilegia Societatis Nostrae tum alia tum potissimum illud de scholis habendis etiam in iis locis, in quibus sunt Universitates, inviolata maneant. Ostendit deinde multis, turbas hactenus ortas non per nostros sed per Academicos factas. Audita utraque parte Synodus, cum partes more consueto secedere iussisset, instituit de nostro negocio consultationem, in qua multi pro Nostrorum defensione multa dixerunt et inprimis Andreas Lipski Episcopus Cuiaviensis, qui postquam causam nostram efficacissime defendisset, invectivam in Academicos Decretis Pontificiis non acquiescentes et causam scholarum Ecclesiasticam ad forum saeculare evocantes instituit. Idem etiam de Canonizatione B. Stanislai Kostka, post instantias in praecedentibus Synodis factas, ut iterum ab hac Synodo instantia fieret, multis egit et effecit. Venerat enim ad eandem Synodum P. Nicolaus Oborski, cui rerum ad Canonizationem praedicti Beati pertinentium cura demandata fuit, ad hoc negocium promovendum. Tandem ratione Nostrorum et Acadmicorum illud solum constitutum erat, ut utraque pars pacifice S. Rotae ultimam determinationem expectaret et ut nulla, pendente lite, scripta contra se ab utraque prodirent.

Academicis contra nos quaedam petentibus,

P. Henricus Pichertus Provincialis respondet.

Andreas Lipski Episcopus Cuiaviensis pro nobis multa dicit.

Canonizationem B. Stanislai a Synodo petit.

Quid ratione nostorum et Academicorum in ea constitutum.

In hac Synodo etiam illud conclusum, ut si determinatio a Pontifice pro nobis fieret, eam omnino se recepturum Archiepiscopus pollicebatur cum aliis Episcopis et maxime Andrea Lipski Episcopo Cuiaviensi. Deinde dum de Conservatoribus facta esset mentio, Noster P. Provincialis declaravit nostros non deligere alios Conservatores nisi Ordinarios, seu ipsos Episcopos in suis Dioecesibus.

Ediderat sub finem superioris anni Jacobus Naiman, suppresso nomine, libellum Polonicum cum tali titulo: »Zniesienie Obroney Collegium PP. Societatis Jesu«, in quo Patris Bembi Apologiam pro nostro Collegio se refutaturum susceperat et simul nonnulla se reiecturum addiderat, quae P. Szembek in suo libello Gratis dicto attulerat. Sed infelix Naiman pro refutatione argumentorum solam ca-

Novus liber Jacobi Naimani contra nostros.

lumniarum et mendaciorum congeriem more consueto edidit. Paraverat responsionem ad hunc pasquinum Naimani P. Matthaeus Bembus iamque imprimenda erat Varsaviae, sed ob constitutionem praedictam Synodi ab ea imprimenda abstinuit. Hac constitutione contempta Naiman, non contentus praedicto pasquino, novum edidit, tum contra P. Bembum, tum contra P. Szembecum similem priori, sed fere duplo auctum, in titulo illud addens: Z przydatkiem niektorych punktow do nowego Gratisa. Et sane multa addidit mendacia, sine quibus miser iste homo nunquam contra nos scribere potest. Quoniam vero liber hic nonnisi circa Februarium sequentis anni comparuerat, ideo in eum locum de suppressione eius narrationem reiicimus.

Idem liber recusus auctus.

16. Eleaemosyna Maii.

Ascendit eleaemosyna pecuniaria Mensis Maii ad florenos 906. A Palatina Lenciciensi[1]) fl. 350. A Palatino Posnaniensi[2]) fl. 100. Ab Abbate Paradisiensi R. D. Lentowski fl. 100. Quae omnia P. Matthaeo Bembo, dum in Maiori Polonia esset, pro domo nostra erant data. A Mfco Dō Lezinski fl. 100. A Dā Sophia Gorecka fl. 80. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 75. Ab Archiepiscopo Gnesnensi fl. 50. A Suffraganeo Cracoviensi fl. 10. A Fraternitate Misericordiae fl. 15. Reliqui ab aliis. Res etiam per hunc mensem submissae aestimatae sunt fl. 267. A Dō Alaghi vini tres tunnae. A Dā Palatina Lenciciensi telae ulnae ducentae et ab Abbatae Obrensi[3]) ulnae 50. Ab aliis siliginis metretae 26, vasa duo butyri, carnes variae, vinum, ova et reliqua minutiora.

Concio funebris P. Bembi impressa.

Quam concionem P. Matthaeus Bembus 5ā Aprilis Czarnkowi habuit in funere, uti annotavimus, eam 4ā Junii in lucem edidit Cracoviae. In hac tum origo Czarnkovianae familiae, tum eius per aliquot annorum centurias de Republica Polona egregia merita referuntur. Deinde ipsius mortui laudes non sine variis instructionibus proponuntur. Commode vero impressio huius concionis sub hoc tempus inciderat et per diversa Regni loca sparsa erat, quo eam malevoli per Maiorem Poloniam mirabiliter traducere coeperant, quibus hoc modo os obstructum est.

Rmus D. Tyszkiewicz celebrat in nostro templo.

Georgius Tyszkiewicz, Suffraganeus Vilnensis ipsa Dominica Pentecostes, quae in 11am huius mensis inciderat, Summum Sacrum in nostro templo pontificaliter habuit prandiumque simul apud nos sumpsit cum Abbate Sciricensi[4]) et cum Dō Lezinski.

Discedunt nostri primo Wielopolum propter consultationes

P. Joannes Liesiowski Domus Praepositus cum P. Matthaeo Bembo et P. Friderico Szembek 21ā huius mensis discesserunt Cracovia versus Jaroslaviam propter Congregationem Provincialem, quae 11ā sequentis mensis erat inchoanda. Ideo vero maturius se itineri dederunt, ut cum Rdo P. Provinciali, qui illis Wielopoli obvius esse debuit, varias consultationes de rebus Provinciae

[1]) Vidua Sandivoi Czarnkowski.
[2]) Stanislaus Przyjemski.
[3]) R. D. Andreas Chlewski.
[4]) R. D. Stanislaus Drohojowski.

ante initium Congregationis instituerent, quod et fecerunt quarta post die, dum Wielopolum venissent et R. P. Provincialem cum P. Gaspare Drużbicki iam ibidem invenissent per aliquotque ibidem commorati fuissent. Reliquerat P. Lieciowski domi nostrae sub hoc tempus sui loco pro Superiore P. Adamum Makowski, quod quam male factum fuerit, statim patebit. Postea Jaroslaviam ad Congregationem.

Venit ex Italia Cracoviam 26a istius mensis P. Pompilius Lambertengus et Nostrae et Lituanicae Provinciae Visitator designatus ab Admodum R. P. Nostro Generali. Quia vero tam cito adventus eius non sperabatur et ipsemet Vienna de se nihil significaverat et ideo de eo Jaroslaviam ad Congregationem Provincialem invitando nihil constitutum erat, litterae etiam eius ad P. Provincialem tarde Jaroslaviam venerant, ideoque currus pro illo cum equis tarde missus erat eumque Cracoviae non invenerat, nam Varsaviam occasione Comitiorum Generalium Regni, quae tunc celebrabantur, ad salutandum Regem sese contulerat et inde, postquam Cracoviam rediisset, ibidem adventum P. Provincialis expectabat. Quia vero P. Makowski Adamus, qui ob amorem commodorum propriorum et ob defectum candoris astutumque procedendi modum, sermonis suavitate externaque modestia tectum, non bene in tota fere Provincia audiebat, vices Superioris tunc, uti diximus, in domo S. Barbarae agebat: mirum est, quam male P. Lambertengus ab eo de praecipuis quibusque Provinciae personis fuerit instructus. Tanto vero magis P. Lambertengus illi credebat, quanto ille diligentius et exquisito victu, Italico modo praeparato, eum reficiebat et blando sermone eum, in quamcunque partem optabat, inclinare contendebat. Maximam proinde conceperat opinionem de P. Makowski P. Lambertengus eumque statim Collegii Leopoliensis Rectorem consituere voluit, nec deposuit post id, quod conceperat, etiamsi illa essent ei relata, quae parum religiose a P. Makowski erant acta. Alios etiam Patres iuniores, qui tunc Cracoviae erant et illi varia in partem sinistram explicantes referebant, libenter audiit et sic non parum incommodi Provincia experta ob informationes privatorum a P. Lambertengo prius acceptas, quam cum P. Provinciali contulisset, multorumque erat opinio de eo, quod apud eum potissimum locum haberet primo referens et informans, nec facile patiebatur se a tali prima informatione abducere. Imo hac ratione non levis alienatio ab eo Provincialis et aliorum seniorum orta.

17. Venit P. Lambertengus Visitator Cracoviam. Cur non invitatus ad Congregationem Provincialem. Quanta incommoda ex P. Makowski, relicto tunc in loco superioris. Qualis opinio de illo P. Lambertengi. Informationes prius a privatis, quam a Provinciali, obfuerunt.

Accepimus per Junium mensem eleaemosynae pecuniariae florenos 300. A Ducissa Jaroslaviensi fl. 200. Ex legato Pauli fl. 50. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 20. A Suffraganeo fl. 10. A reliquis 15. Tritici metretae 5, siliginis aliae 5, milii unus coretus, caseorum duae sexagenae, carnes, vinum, pisces fl. 46 computata. Eleaemosyna Junii.

P. Adamus Ustinius cum P. Joanne Smętnio iterum 9a Julii cum Rmo Do Suffraganeo, Parochias varias ob Confirmationis Sacramentum visitante, discesserunt ubique Confessionibus excipiendis et Concionibus faciendis ac explicanda Christiana doctrina vacantes. Missio cum Do Suffraganeo.

Inundacio Vistulae ac variorum aliorum fluminum sicut alibi, ita et Cracoviae ingentia damna non in domibus, agris, hortis, pratis tantum, sed etiam in hominibus intulit. Quantum ad homines 18. Vistulae inundatio et fluvio-

rum aliorum cum magnis damnis.

spectat, eos circiter 50 variis occasionibus demersos aquis fama ferebat. Iam in agris fruges sive demessae sive non, quaecunque viciniores erant Vistulae, omnes vel undarum impetu abreptae, vel limo eodem impetu inducto illitae ac penitus destructae. Hortus similiter S. Barbarae totus in aquis natabat cum domo ipsa, unde tam in fructibus, quam in leguminibus, quae iam excreverant, ingentia saecuta sunt damna.

Congregatio Provincialis Jaroslaviensis.

Datum initium Congregationi Provinciali, quae erat decimanona sub R. P. Picherto Provinciali 11ª istius mensis duravitque ad 21ªm eiusdem. Electus Secretarius Congregationis P. Andreas Brzozoviensis et eius locum supplens P. Jacobus Golemowski, electi praeterea deputati P. Joannes Wielewicki et P. Matthaeus Bembus ac eligendo Procuratori indicta dies 14ª huius mensis.

Ducissae Jaroslaviensis benevolentia ac beneficentia erga nostros, multiplex.

Anna de Stemberg Kostkowna Ducisa Ostrogiae et Palatina Volhiniae admirabilem toto tempore Congregationis Jaroslaviensis benevolentiam ac beneficentiam nobis ostendit. Non solum enim omnibus nostris saepius prandium dedit, sed etiam iis, quae praeparaverat simul cum utraque filia sua, Palatina Vilnensi[1]) et Vice-Cancellaria Regni[2]) aliisque nonnullis, et nostros omnes et familiam ac equos omnium munificentissime sustentabat. Denique post finem Congregationis singulos Superiores Viatico pecuniario donavit. Insuper 13ª huius mensis in aula sua Collegio vicina, quam non ita pridem penes Monasterium Virginum S. Benedicti extrui curaverat, omnes 40 ad Congregationem spectantes, quibus non paucos Collegiales adiunxerat, Ducali prandio excepit cum maxima sua voluptate. Perpetua praeterea, quamdiu nostri Jaroslaviae morabantur, cum suis in templo, tempore matutino praesertim, morabatur.

Electus Procurator P. Bembus.

Quarto scrutinio electus in Procuratorem Provinciae P. Matthaeus Bembus 14ª huius mensis et ei substitutus, si quo casu impediretur, P. Andreas Gutteter.

Quae in occasione P. Lancicii sint proposita.

Inter varia, quae in ista Congregatione sunt proposita Admodum Rndo Pⁱ Nostri, erant etiam illa propter P. Lancicium, Romae per aliquot annos commorantem et varia secreta insciis Superioribus certis personis committentem. 1ⁿᵐ An sit res dispensabilis a Rectore diu et remote manente, ut inscio Vice-Rectore, a Provinciali vel Generali constituto, pecuniam penes Coadiutorem relinquat. 2ᵘᵐ An possit talis Rector absens gubernationem per litteras exercere.

Mutua pecunia pro domo Probationis.

In eadem Congregatione conclusum, ut Domus Professa Domui Probationis ob aes alienum contractum 3000 fl. mutuo daret et alia tria Collegium Posnaniense ex depositis. Unde his tribus adiuncto quarto, quod R. P. Visitator

[1]) Uxor Leonis Sapieha.
[2]) Uxor Thomae Zamoyski.

9ª Augusti dari Cracoviae iusserat, 7ª post Septembris Posnaniae Dno Krzeciewski soluta sunt 4 millia debiti, quod Novitiatus contraxerat

19. Sepultura in nostro templo Dae Sophiae Maniecka.

Mfca Dª Sophia Maniecka 17ª istius mensis in nostro templo sepulta in sepulchro recens erecto sumptibus Dae Jordanovae Matris suae, inter gradus nostrorum sepulchrorum ante altare S. Barbarae.

Erant exortae non parvae difficultates cum Rdo D. Archipresbytero circa hanc sepulturam, quia hac die 40 horarum supplicationes in eius templo peragebantur, sed tamen postea sunt sopitae.

Jubilaeum duarum hebdomadarum quomodo peractum.

Finita Congregatio Provincialis nostra Jaroslaviensis 21ª huius mensis sicuti supra retulimus. Promulgatum Jubilaeum duarum hebdomadarum 23ª istius mensis, in quo nostri consuetis Jubilaei laboribus more solito dabant operam. Assignata erant 3 altaria visitanda in uno templo, aut tria templa: Cathedrale, SS. Apostolorum Petri et Pauli et S. Francisci. Confessio et Communio nulli certo loco nec designato Confessario erat affixa, sed liberum cuique relinquebatur, modo esset Confessarius approbatus. Ad initium Jubilaei campanae omnium templorum media hora pulsatae, idem factum ad eius finem. In templo S. Petri post Conclusionem Jubilaei processio per templum in maxima hominum frequentia a nostris est instituta. Idem Jubilaeum per oppida et pagos successive celebrabatur.

In templo nostro Oratio 40 horarum.

Antecedente die Dominico festum Sti Patris et in ipso festo peracta quadraginta horarum Oratio in nostro templo pro Regni variis iisque urgentibus necessitatibus et pro peste ac fame avertendis, quae post tantam aquarum eluviem timebantur. Gustavus etiam cum magno exercitu in Prussia morabatur et vix aliquo damno affectus nostris insultabat. Eadem die domi nostrae cum Rdo P. Visitatore aliquot Praelati cum Rmo D. Thoma Oborski Suffraganeo, qui hoc festo nostro Sacrum in templo nostro cecinit, prandium domi nostrae sumpserunt.

Eleaemosyna Julii.

Eleaemosyna Julii erat in pecunia florenorum 548. A Rmo Do Suffraganeo fl. 100. A Mfco Do Borek fl. 100. Ex solutis viaticis in Congregatione Provinciali fl. 128. A Ducissa Jaroslaviensi fl. 30. A R. Do Nosarzewski fl. 30. Pro Alvaris venditis fl. 49. A R. Do Łukomski fl. 15. A R. Do Bobola fl. 10. A Dno Stanislao Rab fl. 13. Ab Abbate Chebdoviensi[1]) fl. 10. Ab Abbatissa S. Andreae[2]) fl. 10. Ab aliis variis fl. 42. Res submissae aestimatae sunt fl. 274, nempe ligmorum decas una ab Episcopo Cracoviensi, taflae duae eorunden a Dª Komorowska. Una tafla a Generoso Do Dębiński, una similiter a Do Capitaneo Zywecensi. Salis tunnae 8 ex Wielicka, pisorum una metreta, boves duo et 4 porci a Dª Plazina, carnes aliae variae, casei, vinum mulsum, aromata et alia minutiora ab aliis.

20. Redit cum suis P. Lesiowski Jaroslavia.

Post molestissimum iter ob aquarum eluviem, quae non solum circa Cracoviam, sed etiam in plurimis aliis Regni locis erat et ob quam saepius haerendum erat, saepius longo per aquas tractu, praecedentibus conductis ductoribus, eundum non sine periculis, tandem 3ª Augusti rediit P. Joannes Liesiowski

---

[1]) R. D. Martinus Piecznowski.
[2]) Anna Szypowska.

Venit Cracoviam P. Provincialis.

Cracoviam cum suis sociis ex Congregatione Provinciali. Tertio post die secutus est eum R. P. Provincialis, qui omnes tunc primum R. P. Visitatorem salutarunt cum eoque sequentibus diebus varia de rebus Provinciae contulerunt.

Incipit visitationem templi et domus P. Visitator.

Dedit initium Visitationi et templi et domus nostrae R. P. Visitator 8ª istius mensis. Et quidem in templum illud (ordinaverat) inter caetera ordinaverat, ut in ciborio inferius parva porta poneretur, clausa antiqua superiori, ut facilius pixis cum SSmo Sacramento exponeretur ac imponeretur sine suppedaneo, quantum fieri potest.

Cur Domus Orphanellarum illi displicuerit.

Displicuit simul eidem P. Visitatori quo ad multa Domus pro Orphanellis cum adiuncto sacello Praesentationis Bmae Virginis, quam P. Petrus Kamocki mirum in modum promovebat. Aiebat enim P. Visitator eum locum pium quidem esse et utilem posse fore, negocium tamen circa eum susceptum plenum difficultatibus futurum. Satius esse, ut Virgines ad templum nostrum ob Confessiones veniant, quam ut nostri in earum sacello Confessiones excipiant. Ad hoc non posse nostros earum externam gubernationem ad instar Seminariorum et Convictuum suscipere, sed Confessionibus tantum ac piis consiliis eas iuvare, quod et ceteris faciunt.

21. Partem ex manu S. Catharinae praesente publico Notario abscindere curat pro Domo Professa Neapolitana. Vide An. 1596 n. 32 et An. 1603 n. 27. Nonnulla quae de hac reliquia referuntur.

Frustulum unius digiti longum et pene duorum crassum ex reliquia seu manu S. Catharinae Virginis Martyris, quae in nostro templo in argentea cistula conservatur, idem P. Visitator, praesente Notario Publico et testibus ad id specialiter vocatis variisque nostris, abscindi curavit 13ª istius mensis pro domo Professa Neapolitana, ut tantumdem ex reliquiis S. Barbarae inde nostro templo per commutationem mitteretur. Abscissa autem particula sufficienter est obsignata et P. Matthaeo Bembo, qui Romam brevi iturus erat, reddita, ut per eum Roma Neapolim fideliter transmitteretur. De his omnibus extat publicum instrumentum, in quo inter caetera (quod etiam suo loco notavimus) illa asseruntur, quod manus haec S. Catharinae una cum cubito ad humerum usque carne adhuc integra et incorrupta ab Orientalibus Ecclesiis e ditione Turcica ex Syna monte Arabiae, Serenissimae Annae Jagelloniae, Vladislai Jagellonis Pronepti, Casimiri Jagellonidis Nepti, Sigismundi Primi et Bonae Sfortiae filiae, Sigismundi Augusti sorori, Stephani Primi Coniugi, pro singulari dono oblata fuerit. Quod eadem Anna Regina P. Bernardo Golinski Societatis Jesu, Sigismundi III Regis Poloniae Confessario, praedictam manum donaverit, qui eam approbante suo Superiore Joanne Paulo Campano, per Regnum Poloniae Provinciali, templo S. Barbarae dedit. Quod anno 1603 sub tempus Magni Jubilaei in Polonia, conscio loci ordinario Bernardo Macieiowski Cardinali, inter varias Sacras reliquias, quae Cracoviae habentur et de quibus liber prodierat, numerata fuerit ac fidelium cultui publico proposita etc.

Missio Czaievicensis. Discedit Romam P. Bembus. Provincialis Lituaniae cum P. Cislak venit Cracoviam.

Discessit P. Stanislaus Krzywokolski Czaiewicos 14ª huius mensis pro laboribus sequentis festi. P. Matthaeus Bembus, rebus ad iter comparatis, cum Mathia Wawrowicz 17ª istius mensis Romam se contulit, accepta simul uti insinuavimus S. Catharinae reliquia pro Domo Professa Neapolitana. P. Jamialkowski Provincialis Lituaniae cum P. Gregorio Cislak venerunt Cracoviam ad R. P. Visitatorem duobus post diebus et per sex fere dies sunt hic commorati.

Academici petulantes hortum nostrum violenter ingressi 22ª huius mensis die, unum ex nostris vulnerarunt impune. — Academici in horto unum nostrum vulnerant.

P. Lachowski Procurator Romam electus a Provincia Lituana eadem 22ª Cracoviam ad nos venerat et 25ª Romanum iter est ingressus.. — Procurator Lituaniae it Romam.

Judaeus unus 27ª istius mensis in templo nostro fonte est ablutus, cum antea ea didicisset, quae ad Christianam doctrinam pertinebant. — Judaei baptismus.

Ultima huius mensis migravit R. P. Visitator ad domum Probationis eamque visitare coepit.

Eleaemosyna pecuniaria huius mensis erat fl. 224. A Rmo Do Suffraganeo fl. 116. Pro equo donato et vendito fl. 73. Reliqui ab aliis. Res submissae, nempe metreta pisorum una, caseorum sexagena una, butyri vas unum, carnes variae, vinum, pisces, olera constabant fl. 43. — Eleaemosyna Augusti.

22.

Per Septembrem et Octobrem in variis templis distributis diebus continuabantur supplicationes, iussu et ordinatione Episcopi Cracoviensis pro felici successu belli contra Gustavum instituti. Nobis in templo S. Barbarae feria quinta ex ordine contigerat, qua pomeridiano tempore exposita in pixide SSma Eucharistia, litaniae communes decantabantur cum variis aliis precibus, Sacerdotibus duobus incipientibus et musicis prosequentibus. — Supplicationes duorum mensium.

R. P. Visitator a S. Stephano 15ª huius veniens ad nos, exhortationem fecit et in fine eius Indulgentiam plenarium, more post Visitationem recepto, concessit omnibus. Eodem etiam ad Collegium S. Petri visitandum sese contulit. Annotavimus initio Aprilis huius anni postulationem Petri Pasmani Archiepiscopi Strigonensis ad Regem Poloniae de Collegio fundando in certa parte Scepusii; iam litteras, quibus Rex ei responderat 15ª istius mensis, non abs re visum, ut hic ponamus. Tenor earum est talis: Sigismundus III Dei Gratia Rex Poloniae etc. Rndme in Christo Pater syncere nobis dilecte. Pium ac dignum veteri Ungarica pietate Synceritatis Vestrae desiderium ex litteris illius intelleximus simulque in eo coeleste beneficium agnovimns, quod ad eruendam e tenebris in illis partibus sanctae et purae religionis doctrinam, nova quotidie per eos potissimum, quos gregi suo custodes ac pastores instituit, subministret instrumenta. Porro ipsi ita iudicavimus nullum genus hominum in Ecclesiae militantis negocio vel disseminandae vel oppressae fidei restituendae aptius esse Patribus Societatis Jesu, quod infiniti illorum hac in parte non frustra suscepti in variis mundi partibus labores declarant. Proinde magna spes est, eandem illos diligentiam iis in locis, ad quae cura ac beneficio Synceritatis Vestrae vocantur, adhibituros esse. Nos quidem pro eo studio, quo propagationi Sanctae fidei favemus, libenter huic praeclaro Synceritatis Vestrae desiderio ac petitioni annuimus et consentimus, quod Religioni Catholicae bene vertat illorumque saluti prosit, ut Synceritas Vestra Praefatos Patres illo quem scribit loco constituat. Damus praeterea ad Mfcum Capitaneum Territorii Scepusiensis litteras, ut rem salutarem auspiciis Synceritatis Vestrae institutam nulla re impediat, imo vero, qua est ipse pietate et fervore in fidem Catholicam, omni studio ac conatu pro posse promoturum negocium et aucturum certo confidat. Praeterea incolae oppidi illius severe mandato nostro ad omnem modestiam et observantiam Patribus exhibendam stringentur, ut nihil futurum sit, quod illos in vinea — Post visitationem indulgentia P. Visitatoris. Litterae Regiae ad Pasmanum Archiepiscopum, Quibus eum Rex laudat. Et concedit, quod postulabat. Ad Scepusiensem etiam Capitaneum dat litteras, ne impediatur Archiepiscopus.

illa laborantes deterreat ac retardet. Augeat Divina bonitas in mente Synceritatis Vestrae nominis sui amorem et fervorem omnique felicitate faciat abundantem. Cui nos quoque Regium favorem nostrum pollicemur et offerimus. Datum Varsaviae 15ª Mensis Septembris anno 1628 Regnorum Nostrorum Poloniae 40 Sveciae 35 etc. Sigismundus Rex. Inscriptio talis erat: Illmo ac Rmo Dno D. Petro Pasmany Archiepiscopo Strigonensi et loci eiusdem Comiti perpetuo, Primati Hungariae, Legato nato, Caesareae Regiaeque Maiestatis intimo Consiliario ac Supremo Cancellario.

Inscriptio litteris data.

23. Impeditum tamen totum.

Ex his litteris manifeste patet, quam ferventer Rex voluerit promovere Collegium Scepusiense et quam audacter impeditum id fuerit a Capitaneo Scepusiensi[1]), sive ob haereticos tam famulos eius quam eum ipsum prensantes, sive ob Ducem Zbarasium, a cuius ore pendebat tunc Capitaneus et qui libenter ea omnia impediebat, quae cum aliquo honore Societatis coniuncta essent, imo honori sibi ducebat, dum ab aliis hostis Societatis nostrae dicebatur et putabatur.

Venit Cracoviam Episcopus Cracoviensis.

Venit Cracoviam 18ª huius mensis Martinus Szyskowski Episcopus Cracoviensis, quem nostri varii salutarunt.

Exigentibus contributionem ex domibus nostris quid responsum.

Dª Cichocki Capitaneus[2]) cum duobus civibus Cracoviensibus 26ª istius mensis venerunt ad praepositum Domus S. Barbarae et exigebant a nostris contributionem, ratione trium domorum, quas inhabitamus. Quibus responsum est, prius nos ab Episcopo Cracoviensi intelligere debere, quid nos facere conveniat et ita sunt dimissi.

Exercitia spiritualia Abbatis Chebdoviensis.

Martinus Piecznowski Abbas Chebdoviensis ob spiritualia exercitia venit ad nos 28ª istius mensis et eaque ad decimam sequentis continuavit maximo suo spirituali fructu.

Adventus Ducissae Jaroslaviensis.

Eadem die venerat Ducissa Jaroslaviensis Cracoviam, quam statim P. Praepositus et alii nostri salutarunt.

Eleaemosynae Septembris.

Per Septembrem fl. 93 eleaemosynae pecuniariae accepimus. Ex quartuali Vielicensi fl. 38. A Dº Suffraganeo fl. 10. A Dª Furmakowicowa 10. A Virgine Anna, quae ab aliis collegit fl. 20. Reliqui ab aliis. Iam butyri vas, caseorum sexagena, succi cerasorum unum vas, brasei metretae sex, carnes variae, vinum, mulsum caeteraque minutiora fl. 29 sunt computata.

Festum B. Borgiae.

Die festo B. Francisci Borgiae, quod in 1am Octobris incidit, Rds D. Erasmus Kretkowski Officialis in templo nostro Sacrum cecinit, cui interfuerunt et Episcopus Cracoviensis et Ducissa Jaroslaviensis et Lituaniae Marsalcus Dª Sapieha.

24. Academicus ebrius nostros in-

Cum rediret P. Adamus Makowski cum Socio Laurentio Sebastianowicz ex horto Dⁱ Atavanti Civis Cracoviensis, in quo Marsalcum Lituaniae inviserat 7ª huius mensis, incidit casu in quendam

---

[1]) Stanislaus Lubomirski.

[2]) Vice-Capitaneus Cracoviensis.

Academicum studiosum ebrium, qui nostris conspectis statim eosdem stricto gladio est insecutus per suburbium. Et Pater quidem Makowski fuga evadens illum declinavit, Laurentium vero assecutus est eiusque caput gladio in planum converso aliquoties percussit. Ita nullum isti homines finem petulantiae faciebant, quia nullus erat, qui eos cohiberet. sequitur et unum percutit.

Processiones ex praecipuis templis, quae sunt Cracoviae, 10ª istius mensis ad aedem SS. Petri et Pauli Apostolorum ob memoriam victoriae ex Turcis relatae more iam consueto institutae sunt et simul continuabantur per hunc mensem indictae in variis templis. Processiones ad templum SS. Petri et Pauli Apostolorum.

Orationes pro cohibendis Gustavi Adolphi Sveci conatibus, qui proditione cuiusdam Galli Brodnicam et ante Novam coeperat. Gustavus capit Brodnicam et Novam.

Discessit P. Pompilius Lambertengus Visitator Cracovia 12ª istius mensis, qui circa finem Junii eo venerat, absolutis et trium domiciliorum Cracoviensium Societatis nostrae visitationibus et variis de rebus Provinciae Consultationibus. Nonnulli hunc eius discessum in 18ªm huius mensis retulerunt. Discedit Cracovia P. Visitator.

Annotarunt quidam in supplicatione Varsaviae instituta pro Regni necessitatibus 13ª huius mensis factam concionem per R. P. Fabianum Bircovium Dominicanorum Theologiae Doctorem, qua exaggerabat sacrilegium Svecorum impudentium, ob quam Imaginem Aeterni Patris Christum Crucifixum tenentis sclopis explosis aliquoties traiecerunt, ex qua sanguis miraculosus prosiliit. Haec imago ex suburbio Bransbergensi per quosdam milites nostros, insciis vel dissimulantibus hostibus, abrepta fuit, ut diximus anno superiori 27ª Julii et Varsaviam ad Regem Reginamque deportata. Concio Pis Fabiani Bircovii contra Svecorum sacrilegium.

Votum facere decreverat sub hoc tempus (ob victoriam ex Gustavo celerius reportandam) Episcopus cum Praelatis et Canonicis Cracoviensibus de Festo Conceptionis Bmae Virginis cum Octava per totam Cracoviensem Dioecesim in perpetuum celebrando. Quia vero in Rubricellis Anni 1527 et 1629, quae iam ante voti praedicti nuncupationem typis vulgatae fuerant, id non fuit adnotatum, ideo 16ª huius mensis prodiit impressa indictio tali modo praedicti festi celebrandi per R. D. Erasmum Kretkowski Officialem modusque additus Officii per Octavam expediendi. Decernunt de voto faciendo Episcopus cum Capitulo. Indicitur celebratio cum Octava festi Conceptionis.

Circa idem tempus allata domui nostrae Citatio ratione contributionis, de qua superiori mense nobiscum Dⁿ Cichockie gerat, sed eam non curavimus, sicut et alii Ecclesiastici non curant. **25.** Citantur nostri ob contributionem irrito conatu.

Per 21ªm et 22ªm huius mensis, quae in 19ªm Dominicam post Pentecosten inciderat et qua votum de festo Conceptionis cum octava celebrando in templo Parochiali Bmae Virginis emittendum erat, valde solennis Processio cum Processio

solennis cum imagine Bmae Virginis, quae est in templo S. Mathiae

ea imagine Beatissimae Virginis, quae est in maiori altari templi S. Mathiae, est instituta, quam iam breviter describemus. Antequam discessisset Cracovia R. P. Visitator, petierat ab illo R. D. Officialis Kretkowski, ut in processionibus duorum dierum, quae propter votum de festo praedicto Conceptionis faciendum suscipiendae erant, imaginem SSmae Virginis, eam quae est in templo S. Mathiae, deferri permitteret unumque ex nostris tum apparandae imagini tum ordinandis circa eam deferendam nonnullis attendentem designaret. Utrumque libenter concessit R. P. Visitator. Sabbato igitur circa vesperas accommodata ut

Inprimis ad templum Cathedrale.

par est imago a decem nostris delata est, Clero Cathedrali (praeter Praelatos) et Bmae Virginis ac S. Stephani obviam praecedentibus et R. D. Officiali in pluviali subsequente (qui etiam initio Processionis accommodatam ad rem habuit exhortationem) candidis facibus multis collucentibus et campanis variorum templorum personantibus. Ob ingentem vero populi praecedentis et comitantis concursum nonnisi prima noctis hora imago in templum arcense est illata et ante maius altare supra sepulchrum Friderici Cardinalis est collocata concioque ab uno ex nostris habita, nempe a P. Friderico Szembek.

Deinde sequenti die

Sequenti die totus Clerus regularis saecularisque cum Confraternitatibus suis ad templum Cathedrale convenit. Habita devota concio a R. D. Sebastiano Nucerino, qua incitabat, ut omnes in tanta necessitate ad praesidium Bmae Virginis confugerent. Summa pompa delata imago a decem (nostris) circumferentibus nostris, aliis plurimas faces candidas subsequentibus (aliis) Sacras varias Reliquias templi Arcensis portantibus et claudente agmen Rmo Do Suffraganeo, pontificaliter induto et ingenti populo cum maxima devotione comitante antecedenteque. Quidam Religiosi (PP. Dominicani) nostros in hac processione se antecedere advertentes, protestationem fecerunt de praecedentia coram Praelatis contra nostros, ne videlicet essemus in possessione. Sed unus ex Canonicis, noster hostis Jacobus Naiman, ioco quidem, sed tamen vere eos expedivit. Sicut baiuli — inquit — aliquid portantes sive antecedant sive non, nullum vestrae praecedentiae faciant praeiudicium, ita nec isti imaginem deferentes. Postquam ad templum Bmae Virginis ventum esset, ob maximum hominum concursum magna cum difficultate Praelati illud sunt ingressi. Imago vero collocata in maiori altari. Habitum Sacrum de Immaculata Conceptione a Rmo Do Suffraganeo, in cuius medio concionatus R. D. Ostrowski. In coemeterio vero, quod totum populo erat refertissimum, tres etiam nostri tunc temporis, rogatu Archipresbyteri, concionabantur: P. Adamus Ustinius et Joannes Plaski ac Daniel Zaleski, Theologi nondum Sacerdotes, quo etiam tempore in templo S. Barbarae Sacrum cantatum et concio peragebatur. (Nam tunc ob annuam B. Stanislai memoriam Orationem diurnam pro Regni necessitatibus habebamus). Quamdiu concio in templo Parochiali erat, nostri 20 astabant imagini in altari collocatae, Praelatis in gradibus altaris humiliter sedentibus. Miserat tum unus ex iis ad quendam nostrum, ut aliquem sermonem ad Clerum in Presbiterio considentem haberet, sed ne inde aut turbatio aut offensio aliqua R. D. Ostrowski sequeretur, excusavit noster. Finita concione, circa finem Sacri votum solenniter a R. D. Officiali nuncupatum, cuius formula ad imitationem eius, quam nos habemus, petente Capitulo erat confecta. Finito Sacro, Reliquias varias, quae

Imago iterum a nostris defertur maxima pompa ad templum Bmae Virginis.

26.

Frustra protestantibus Religiosis de praecedentia.

In cemeterio templi Parochialis tres nostri concionantur.

Annua Commemoratio Bi Stanislai.

In Sacro de Conceptione Votum Officialis nuncupavit.

ex templo Arcensi erant allatae (inter quas etiam erant quaedam ex vestibus Deiparae). Praelati cum universo Clero in templum Cathedrale deduxerunt, imagine in templo Cathedrali ad vesperum usque relicta. Post prandium, finitis vesperis, concionem habuit R. P. Christophorus Dominicanus. Post eius concionem Clerus B^mae Virginis et S. Stephani, cum maximo hominum concursu, noctu iam imaginem, quam nostri portabant, eo modo quo antea, aliis candidas haces circumferentibus, deduxerunt ad templum S. Stephani, ubi expositum fuit SS^m Sacramentum et concionatus est P. Bartholomaeus Paprocki. Reposito post concionem SS^mo Sacramento in Ciborium per R^um D^m Suffraganeum, delata ultimo imago ad templum S. Mathiae et iterum benedictio ab eodem D^o Suffraganeo data populo, varios hymnos de Beatissima Virgine decantante.

Post vesperas Concio P^is Dominicani

Deducitur Imago ad S. Stephanum Et ad S. Mathiam.

Et sic tandem finis impositus huic festivitati ac devotioni, cui Dominus non parum favisse multorum iudicio visus est. Nam sub hoc plane supplicationis tempus, cum Stanislaus Koniecpolski Gustavum, capta Brodnica versus portum Bielavensem contendentem, insequeretur cum suis ac in eius copias equestres, quarum Ductor erat Baldis Gustavo valde charus, incideret, commisso cum iis fortiter proelio felicissime eas prostravit, plurimis caesis et captis. Inter captivos primus erat ipse Baldis, qui cum Stanislaum Koniecpolski stricto gladio fuisset aggressus, cum manus, qua gladium gerebat, ab eo sclopo fuisset traiecta, captus est. Novense etiam oppidum et eius arx, a Gustavo proditione capta (omnia enim in Prussia haeretici haeretico Gustavo prodebant, quae poterant), opera et industria D^i Moczarski noctu sub idem tempus hosti fuit erepta, caesis in ea Svecis, qui inventi erant.

27. Sub hoc tempus

Baldis capitur.

Nova recuperatur.

P. Adamus Ustinius cum P. Joanne Smętnio R^mo D^o Thomae Oborski Suffraganeo adiuncti ad consuetos labores in Sacramentis Poenitentiae Eucharistiaeque administrandis et in concionibus faciendis ac doctrina Christiana imbuendis, 22^a huius mensis abierunt et in iis ad 22^am Decembris magno cum fructu permanserunt.

Missio cum D^o Suffraganeo.

Sub finem pariter huius mensis P. Sebastianus Scarga cum P. Joanne Kretkowski in parochia R. D. Erasmi Kretkowski, ad quam erant invitati, egregiam operam saluti proximorum impenderunt.

Missio ad quamdam Parochiam.

Percepta eleaemosynae pecuniariae per Octobrem erat fl. 109. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 25. A D^o Rab fl. 13. A R^mo D. Suffraganeo fl. 10. Quidam fl. 12. Ex viaticis fl. 20. Reliqui ab aliis. Iam butyri vasa 8, casei, carnes variae, pisces, mulsum, olera computata sunt fl. 72.

Eleaemosyna Octobris.

Impetraverat ante duos annos P. Albertus Męczynski ab Admodum Rdo P. Nostro Generali Missionem Indicam et Japonicam et iam Ulissiponem eam ob causam venerat et integro fere anno occasionem commodam in Japoniam per mare navigandi expectabat. Hac re cognita eius cognati, inter quos praeci-

Patre Męczynski in Indiam pergente

Cognati eius

puus erat Kurdwanowski, qui P^is Męczynski sororem germanam coniuge buit, putantes eum amplius in Poloniam redire non posse et molestissi rentes, eum bona sua Collegio nostro Cracoviensi inscripsisse, ut vulgo d contra nos movere coeperunt et atrocia quaeque confingere ac per totu

Atrocia contra nos spargunt,

gnum spargere. Affirmabant per nostros vi adactum ad inscriptionem facie Probabant variis modis, inscriptionem esse invalidam et aetatem sufficient alienationem faciendam P. Męczynski non habuisse. Addebant eum iamp mortuum et nostros de eius Japonica missione omnia fingere ob bona reti Inciderant haec omnia in illud tempus, quo Judices Tribunalitios, Lublin

28. Judicibus nobis tunc infensis.

gentes, in hoc negocio habuimus infensissimos. Passim etiam Nobilitas, contra bona Ecclesiasticorum debachatur, ingentes in nos contumelias p tum Regnum spargebat, avaritiam nobis imponebat eoque rem deduxer communiter omnes expectarent privationem bonorum nobis inscriptoru

Ob quod revocatus ex Lusitania in Poloniam,

sententiam tribunalis. Itaque nonnulli amici nostri Rdo P. Provinciali al nostris efficaciter ostenderunt, omnino causam nos amissuros, nisi ipsem Męczynski praesens sit in Tribunali vel Lublinensi vel Petricoviensi et runt dilationem nostrae causae ad adventum eius. Significatum hoc totu P. Nostro Generali, qui rationum momenta expendens, statim datis Ulissip littteris ad P. Męczynski, eum in Poloniam revocavit ad omnes lites in h gocio finiendas, iisque sopitis dabat ei spem iterum in Iaponiam eundi. A

Venit Cracoviam

litteras P. Męczynski uno die ante navigationem in Japoniam instituenda quam iam erant parata omnia et morem gerens iis, quae erant iniuncta, e sitania Cracoviam veniens 5^a huius mensis, postquam Varsaviae cum Se simo Rege aliisque Regni Proceribus variis in locis de iniquitate suoru

Et postea Petricoviam

gnatorum in hoc negocio egisset, Petricoviam praeter omnium opinione mili omnino modo, quo secundum Polonicos Annales per S. Stanislaum tatus Petrinus suorum cognatorum iniquitatem in Regiis iudiciis in causa rum Ecclesiasticorum confutaverat) ad tribunal venit ita opportune, ut s dius una hora venisset, causa omnino cecidissemus. Exceptus omnium ad

Confusisque suis cognatis,

tione, causam praesens egit, egregie eam singulari nostro Patrono Mfco siecki, qui dum haec scribimus Regni Instigatorem agit, promovente, fe illam lucratus est cum maxima perditorum cognatorum confusione, prae vero Kurdwanowski ita bonis eius inhianti, in quem certae insuper poenae

Causam lucratur et lites componit.

decretae, quas tamen post multas variorum intercessiones P. Męczynski di contentus ea re, quod eius et nostri hostes tot falsitatum fuerint convicti. que omnia, quae ad hoc negocium pertinebant, sopita sunt.

Prandia duo nobis parata.

D. Pipani Proconsulis coniux una die, nempe 19^a huius mensis, i norem S. Elisabethae, cuius nomen gerebat et altera die D^a Baierowna eiusdem mensis prandium domui nostrae appararunt solemne, quod etiam annis superioribus facere consueverant.

29. Thomae Zamoiski ingressus in Capitaneatum

Die 22^a huius mensis, qua festum S. Ceciliae solet celeb Thomas Zamoiski Vice-Cancellarius Regni venit Cracoviam et pitaneatus Cracoviensis, post mortem Gabrielis Comitis a Ta a Rege sibi collati, adiit possessionem magno comitatu suorum

rumque, qui illi obviam processerant. Statim vero post suum ingressum illud maximopere curabat, ut petulantes tam Academici, quam quicunque alii pacem publicam turbantes Cracoviae, cohiberentur et in ordinem redigerentur et cum Rectore Academiae, cum ad eum salutandum cum suis venisset, de adeo dissoluta iuventute Academica, de recens per eos occiso Kozaco Ducis Zbarascii, Castellani Cracoviensis, et de tot iniuriis Collegio S. Petri illatis expostulavit et peculiariter sibi a Rege commissum significavit, ut res eiusmodi nullo modo permittantur, vel sine debita poena transeant. Etiamsi vero Rex id non commisisset, ipsa rei aequitas et pacis conservatio publicae id a me, ait, suo iure exigit. Statim res ad praxim erat deducta, diligenti custodia noctu ac interdiu disposita, per quam eiusmodi dissoluti capiebantur ac in carceres tam arcenses quam praetorii compingebantur.

Cracoviensem.

Expostulat cum Rectore de dissolutione Academicorum.

Cohibet eosdem.

Submissa eleaemosyna pecuniaria per mensem Novembrem fl. 96. A Vice-Cancellario Regni [1]) fl. 50. Ab Abbate Chebdoviensi [2]) fl. 10. A Virgine Zalanka fl. 10. A Confraternitate Misericordiae fl. 15. A reliquis fl. 11. Iam tritici coreti 24, siliginis metretae 8, carnes variae, caseorum duae sexagenae, vinum, olera, aromata, pisces, butyri vasa 3 etc. constiterunt fl. 198.

Eleaemosyna Novembris.

A 2a Decembris ad 4am inclusive peracta in templo S. Barbarae triduana Oratio pro Regni necessitatibus, maxima hominum frequentia ac devotione. Et ipso S. Barbarae festo postquam Sacro concionique Vice-Cancellarius Regni cum sua Coniuge interfuisset et nos variosque Praelatos domi nostrae convivio excepisset, ipse etiam nobiscum cibum sumpsit.

Triduana in nostro templo Oratio.

Prodierat sub hoc tempus Relatio quaedam historica (relatio) de novo Regno Tybet, recens invento, de nostris ob Christianam religionem in illud introducendam eo penetrantibus et de vario in eo rei Christianae successu ac processu. Hunc libellum ex Italico in Polonicum conversum per P. Fridericum Szembek ac Vice-Cancellario Regni inscriptum, idem P. Szembek ante prandium domi nostrae in praesentia multorum illustrium virorum, brevi prolocutione adhibita, Vice-Cancellario obtulit. Recepit eum libentissime et ipsemet respondens magnam animi gratitudinem ostendit ac impensas in typographum compactoremque refundere statim iussit. Missus idem liber Serenissimis Regi Reginaeque, Principibus ac multis Regni Proceribus omnesque non parum recreavit et eo non parum restaurata opinio de laborum per nostros in novo orbe susceptorum continuatione, quae iam non parum labefactata videbatur ob intermissam a tot annis editionem vulgari lingua eorum, quae inde adferebantur.

30. Historia de Regno Tybet impressa

Per P. Szembek oblata Regni Vice-Cancellario

Et multis aliis.

Ad initium etiam huius mensis typis vulgata est concio P. Adami Ma- Concio Pia

[1]) Thoma Zamoyski.
[2]) Martinus Piecznowski.

Makowski impressa.

kowski, quam 5ª Martii, votum castitatis Susanna Amandowna publice emi tente, in templo S. Barbarae Cracoviae habuit.

Cum octava festum Conceptionis celebrari coeptum.

Festum Conceptionis Beatissimae Virginis cum octava celebrari coeptum hoc anno per totam Cracoviensem Diocesim, iuxta votum ea de re in Octobri factum [1]).

31. Rector Academiae exclusis tribus, vult placare Ducem Zbarascium, sed irrito conatu

Exclusit Rector Academiae tres studiosos ob occisum Kosakum Castellani Cracoviensis Georgii Ducis Zbarascii et 9ª istius mensis adiit cum 10 Professoribus praedictum Ducem, intercedens pro studiosis Academicis, ut iis condonare dignaretur et referens se fecisse, quod poterat; nam ob immunitates, aiebat, quas habent, non poteram eos alio modo iudicare. Indigne tulit totum id Dux et postquam fecisset mentionem sui boni affectus erga Academiam et maximae Academicorum ingratitudinis, ostendit atrocia facinora Academicorum, ob quae et Sacerdotes et Nobiles et cives ac artifices et Judaei tuti esse non possunt, deinde exclusiones eorum fieri tantum ad formam, ex una bursa in aliam, nec per eas iustitiae satis fieri posse adiecit. Adiecit deinde, non ideo a Maioribus data illis privilegia, ut iis abutantur, nec ea esse maiora illis, quae Nobilitas habet, cum qua tamen in iustitia administranda minus est negocii; se si non status Senatorius constituisset (sic), istos homicidas quaesiturum fuisse, non in bursis et hospitiis, sed in cubiculis Academicorum; se praeterea in Comitiis futuris curaturum, ut eorum privilegiis cornua deterantur; studiosos non cum armis, quibus omnia volunt debellare, sed cum libris incedere debere etc. Ad haec omnia nihil fere responderunt Academici et confusi abierunt.

Duce permulta Academicis obiiciente.

Apud eundem Naiman nihil efficit.

Venit ad eundem Ducem Zbarascium Jacobus Naiman eo plane tempore, quo currum conscendebat Prosovicos ad Comitiola pergens 11ª huius mensis. Volebat enim ab illo petere, ne contra Academiam in illo conventu aliquid ageret, sed eum Dux ad Colloquium non admisit. Erant etiam in praedictis Comitiolis Legati Academici, quae 12ª istius mensis habebant initium, in quibus per varios curantes, ne Dux Zbarascius contra illos ageret, penitus nos relinquerant; habebant enim, quod agerent cum Duce sibi offenso. Nobilitas etiam ad-

32. In Comitiolis Prosovicensibus nihil dictum contra nos.

---

[1]) Annexae sunt Manuscripto nostro litterae, typis impressae, Erasmi Kretkowski, Canonici, Vicarii in Spiritualibus et Officialis Generalis in Civitate ac Dioecesi universa Cracoviensi, quibus clero universo tam Saeculari quam Regulari celebrandam hanc octavam, nomine Lociordinarii Martini Szyszkowski, mandat. Datae sunt Cracoviae die 16 Novembris A. D. 1628.

vertens Ducem ita offensum Academicis, nullam nostrarum scholarum fecit mentionem.

Sparsus rumor erat inter externos sub idem tempus et postea inter nostros, de decreto ultimo pro nobis Romae facto, sed tamen adhuc duae decisiones restabant, quas sequenti anno videbimus. Jacobus tamen Naiman, hostis noster, ita hanc rem extenuabat, ut Bullam Pii V. pridem factam, sublatam et revocatam esse, asserere non dubitaverit. Rumor de ultimo decreto pro nobis.

Rdus D[s] Strembosz Praepositus Mstoviensis [1]) egregie nos in festo Natalis Domini iuvit, cantans in templo nostro Matutinum et duplex Sacrum, nostris interim more consueto in plurimorum Confessionibus excipiendis occupatissimis. Rdi D[i] Strembosz labor in nostro templo in Natali Domini.

Ultima huius mensis erat diurna oratio in nostro templo pro Regni necessitatibus, quae postea sequentis anni prima die, seu per festum Nostrum Circumcisionis Domini continuabatur.

Percepta eleaemosynae pecuniariae Mensis Decembris erat fl. 79. A D[o] Wizemberg fl. 40. A R[mo] D[o] Suffraganeo fl. 10. A R. D. Bobola fl. 10. Ab aliis fl. 19. Res submissae constiterunt fl. 173. Tritici metretae 5, hordei tres, siliginis 12, pisorum metreta una, boves tres, vituli sex, capones 50, anseres 20, vinum, panes, pisces et alia minutiora. Eleaemosyna Decembris.

Annua templi eleaemosyna ascendit ad fl. 1041 in pecunia. Calix vero cum patena auratus, torques et cor aureum, casulae duae, mappae aliquot reliquaque minora, plusquam ducentis fl. sunt aestimata. His accesserunt tum ciborium in parte inferiori reformatum, tum sacellum S. Annae parvum plumbo tectum; hoc enim utrumque isto anno perfectum est. 33. Annua templi eleaemosyna.

Ex iis, quae ad certum mensem referri non poterant, haec sunt. Ab haeresi ad Ecclesiam redierunt 19. Ex Arrianis sacro fonte lustrati sex et ex perfidis Judaeis tres. Mulier imprecationibus assueta, mariti quodam tempore crapulam perosa, eidem cibum imprecationibus fartum apposuit. Adhibuit maritus pro more, cibum sumpturus, crucis antidotum et ecce sibili prorumpentes ex obsonio mortem inibi latentem prodiderunt. Inopinato eventu territa mulier ad pedes nostri Sacerdotis accidit, confessione crimen expiatura. Erat alia perditae vitae, cui visio cuiusdam ad aeterna supplicia damnati erat occasio damnandae superioris licentiae et post institutam peccatorum Confessionem ad meliorem frugem redeundi. Praeposuit quaedam castam paupertatem copioso argento, quo pudor eius tentabatur. Quidam ab annis teneris voluptatibus immersus, eo iam progressus erat, ut ludibriis daemonum ad vitae praecipitia protraheretur, sed ope tandem divina saniorem ad mentem conversus, accedens ad nostrum Sacerdotem, per Poenitentiae Sacramentum remedium malo postulavit et accepit. Duorum consciscendae sibi necis consilium, ob continuos blasphemi spiritus assultus, dissolutum est iidemque ad pacem conscientiae reducti. Ex haeresi conversi. Signum crucis contra imprecationes. Variae aliquorum conversiones.

Ex missionibus variis hoc anno factis, praeter illam, quae erat cum R[mo] D[o] Suffraganeo aliquoties, in qua 11 oppida et 153 pagi lustrati et de qua ali- 34. Missio Zywecensis.

[1]) Mstoviae erat abbatia Canonicorum regul. Lateranensium.

Quales homines in territorio Zywecensi.

quot in locis diximus, non contemnenda etiam fuit Missio Zyvecensis. Est Zywecense territorium inter montes Carpatios, Poloniam ab Hungaria nonnullisque aliis Moraviae ac Silesiae partibus dividentes, situm. In eo plurimi incolae in summa divinorum inscitia vitam degunt, maxime vero illi, qui ovium gregibus in montibus et sylvis attendunt et per sylvas praedas agunt, Getas veteres, aut Marcomanos et Galactophagos referunt. Nullo enim fere alio cibo praeterquam caseo et lacte vivunt, statura procera, robusto corpore, animo in Martem et praedas incitato celebres. Ad hos cum nostri venissent, post multos susceptos labores, eo rem per Dei gratiam deduxerunt, ut sufficienter de rebus divinis instructi ad Sacramenta Poenitentiae Eucharistiaeque accesserint, spesque in Domino eos maiores in rebus salutem animae concernentibus progressus facturos, maxime si frequentiores ad eos missiones imposterum instituantur, quibus illi ob maximum Sacerdotum defectum maximopere indigent.

Quid in iis sit auctum.

Annus Domini 1629.

Mutio Vitellesco Societatis Jesu Praeposito Generali, Pompilio Lambertengo Provinciae Poloniae Visitatore, Henrico Picherto Praeposito Provinciali et illi officio functo, succedente Gasparo Drużbicki, Joanne Liesiowski Domus S. Barbarae Praposito et illi, Collegii S. Petri gubernationem suscipienti, succedente P. Joanne Wielewicki.

I. Numerus nostrorum

Triginta duos socios Domus Professa Cracoviensis hoc anno numeravit. Sacerdotes viginti. Rei familiaris administros decem et tyrones, ad mensam legentes, duos.

Festum Circumcisionis.

Consueta hominum ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae frequentia Circumcisionis Dominicae festum expeditum. Cantante Suffraganeo Cracoviensi Thoma Oborski Summum Sacrum, Concionante Jacobo Ostrowski Theologiae Doctore et Canonico Cracoviensi. Qui etiam simul cum R. D° Kretkowski Officiali ac nonnullis Praelatis prandium nobiscum sumpserunt.

Renovatio Votorum.

In festo Epiphaniae Domini Votorum Renovatio in domestico sacello, more solito peracta.

Nobilitas Cracoviensis non ita ut antea offensa.

Circa idem festum Nobilitas Palatinatus Cracoviensis, propter solitos contractus Cracoviam veniens, licet tantopere contra nos ante per Academicos fuerit concitata, tamen, postquam intellexisset scholas S. Petri iudicio Rotae Romanae approbatas esse, ne tantillum quidem ea re commovebatur. Imo palam aiebat, quemcumque finem lis nostra cum Academicis sit habitura, se parum curare et se ad placitum, sive ad scholas Patrum sive ad Academiam filios studiorum causa missuram.

Supplica-

Per hunc mensem et sequentem indictae erant supplicationes

variae ab Episcopo Cracoviensi pro felici successu Comitiorum. Et inter caetera, ut annotat P. Petrus Kamocki in sua templi historia, insserat per duas hebdomadas certa hora in singulis Cracoviensibus ecclesiis Sacrum de Conceptione B^mae^ Virginis fieri. tiones pro felici Comitiorum successu.

Datum initium Comitiis Generalibus Regni Varsaviensibus 9^a^ istius mensis, in quibus de modo belli contra Gustavum continuandi potissimum actum. Nullus tunc, data opera, ob nostrum negocium cum Academicis, Varsaviam erat missus. Nam P. Visitator satis esse arbitrabatur, eos nostros, qui erant in aula, huic negocio attendere, quod etiam illis diligenter commendaverat. Academici in fine huius mensis miserant Varsaviam Brzoscium et Piotrawicki, qui varia quidem contra nostras scholas apud varios tentarunt, sed irrito conatu. Imo cum ad Principem Vladislaum, qui eorum semper patrocinium suscipiebat, venissent et tam auxilium quam consilium contra nos postulassent, ita illis fertur respondisse: Quandocunque in vestro negocio aliquid volo loqui, semper mihi vestrorum petulantiae, quae perpetuo committuntur, os claudunt. Urgebat in iisdem Comitiis Georgius Dux Zbarascensis, ut Constitutio sub Rege Stephano Torunii facta de insolentibus ac tumultus excitantibus, sine ullo respectu aut nobilitatis aut libertatis Academicae alteriusve, capiendis ac puniendis ad praxim reduceretur. Sed quia ibidem ostensum fuit, id sine ingenti status ecclesiastici praeiudicio fieri non posse, ideo ab ea confirmanda Constitutione Ordines Regni tunc abstinuerunt.

2. Comitia Generalia Varsaviae.

Academici frustra in iis contra nos agunt.

Quae Princeps illis responderit.

Constitutio Stephani cur non confirmata in Comitiis.

Rediit Roma Cracoviam, 25^a^ istius mensis, P. Jacobus Lachowski Lituaniae Procurator et aliquot diebus nobiscum commoratus, in suam Provinciam abiit. Venerat cum eo Charissimus Casimirus Vrowiecki, qui ex Austria, in qua Societatem erat ingressus, ob certa negocia in hanc Provinciam erat remissus et in ea postea post aliquot annos mortuus.

Adventus P^is^ Lachowski et Casimiri Vrowiecki.

Pecuniaria eleaemosyna huius mensis erat fl. 318. A R^mo^ D^o^ Suffraganeo fl. 110. A Palatino Russiae Stanislao Lubomierski fl. 100. A nonnullis fl. 45. Ex quartuali Vielicensi fl. 35. A D^o^ Stanislao Rabo fl. 13. Reliqui ab aliis. Iam in rebus: siliginis metretae 10, vinum, carnes variae, pisces, panes, casei aliaque minutiora fl. 73 sunt aestimata.

Eleaemosyna Januarii.

Jacobus Naiman Synodi Petricoviensis Provincialis constitutionem de non scribendis ullis libris in negocio Academiae et Scholarum S. Petri, quamdiu Romae lis non fuisset decisa, nihil curans, circa finem anni superioris contra ea, quae vel P. Szembek in libello suo Gratis dicto, vel P. Bembus in sua defensione Collegii S. Petri in lucem ediderant, novum librum typis mandarat, plenissi-

3. Jacobi Naimani liber novus famosus.

mum mendaciis, calumniis, mordacitatibus, eumque valde occulte spargere coeperat. Cognita ea re Episcopus Cracoviensis (id enim ei primo R. D. Kretkowski Officialis, deinde alii significaverant) omnia impressa exemplaria, quae inveniri poterant et quae adhuc palam non distrahebantur, colligere ac supprimere iussit hoc mense, quod et factum est. Naimanum praeterea ad se vocatum et graviter reprehensum, ad iuramentum adegit, quod de pluribus illis libris, qui erant collecti, non sciret et quod eos nulli esset communicaturus. Dignus erat longe maiori poena, qui et Synodi praeceptum tam audacter violaverat et famam aliorum, toties iam aliis temporibus laceratam, iterum laceraverat.

Colligitur et supprimitur.

Festum Nostrorum Martyrum.

Sanctorum Martyrum nostrorum Japonensium: Pauli, Jacobi, Joannis, 5ª Februarii consueta celebritate, cantato Sacro et utrisque vesperis, concione praeterea medio Sacro habita, festum peractum est, imaginibus insuper eorum in maiori altari expositis.

Memoria fundationis Domus et Benefactorum.

Sequenti die (ex ordinatione R. P. Visitatoris) pro vivis ac defunctis Domus S. Barbarae Fundatoribus ac Benefactoribus cantatum Sacrum de SSma Trinitate, a reliquis omnibus Sacerdotibus similia Sacra lecta. Concio praeterea, medio Sacro cantato, habita cum enumeratione primariorum Fundatorum ac Benefactorum.

Discoli iuvenis, sodales B. Virginis persequentis, poena.

In quendam iuvenem discolum, olim nostrum Vilnensem discipulum, qui a Congregatione Assumptae Beatissimae Virginis quos potuit variis modis retrahebat et vexabat, Divina iustitia circa hoc tempus non mediocriter advertit. Postquam enim Academicis suis condiscipulis mordaci lingua et factis superbis iurgiorum occasionem dedisset, ab aliis fustibus exceptus fuit ita, ut et brachio confracto et voce illico amissa, Nostro celeriter advocato, per nutus confiteri debuerit et multis hebdomadis lecto affixus, ad extremam fere egestatem devenerit. Paucis post mensibus furti a condiscipulis accusatus, coram Rectore purgare sese debuit et magna notatus est infamia, qui iniuste ob frequentatam Congregationem confundere alios consueverat.

4. Sophiae Marsalkownae mors.

Sophia Marszalkowna, in oppido Skawina honestis parentibus nata, 13° aetatis anno Cracoviam veniens, in variis domibus famulabatur et tandem apud Dominam Wisembergowam. A qua deinde ad obsequium pientissimae Virginis nostraeque Benefactricis Barbarae Langownae transierat, in eoque decem annis permansit ac nonnisi mortuam suam Dominam reliquit. Haec — inquam — mortua 16ª huius mensis, quia et vivens variis eleaemosynis ordinariis Domum S. Barbarae iuvabat et ante mortem 800 florenos nobis legaverat testamento, qui post sesquimensem erant redditi domui, quarto post die in nostro templo erat sepulta in curritoriolo, inter subsellia ad Sacellum S. Annae ducente. Post mortem suae praedictae Dominae honestum victum sibi per aquarum distillationem, cuius singulare artificium et aliis non obvium noverat, ita sibi parabat, ut non parum pecuniae colligerit. Nam et nobis fl. ut diximus 800° et templo

Et sepulta nostro templo.

Quali la-

rochiali 200ᵉ et singulis monasteriis ac templis xenodochiisque notabilem bore acquisiverit
cuniae summam testamento legavit, nec minor summa post mortem eius fra- non parvam pecuniam.
i illius uterino cessit, ut communis erat opinio. Pietatis et devotionis variis
ercitiis, maxime frequentationi Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae,
diendis Sacris concionibus totam se dederat, sed circa finem vitae ex his
nibus non parum remittere, imo vitae licentiosae aliquantum vacare coeperat, A vita liberiori morbo abducitur. Ex quo moritur.
e naturae fragilitate, sive daemonis artibus, et in graviora forsan fuisset pro-
sa, nisi Deus gravi morbo eam in officio retinuisset. Gravissima ad extre-
m patiebatur maleficia, sive melancholiam, ob quam nullam personam pro
cle secum in triclinio ferre poterat. Unde etiam nullo praesente morte extin-
est, postquam ante unam et mediam hebdomadam Confessione sacramen-
i et sacra synaxi munita fuisset.

A 27ᵃ ad 29ᵃᵐ triduana Oratio Dominica Quinquagesimae et duobus se- Oratio triduana.
ntibus diebus more iam recepto peragebatur, magna populi frequentia ac de-
ione. Vesperi Dominicae Quinquagesimae concionatus R. D. Sebastianus Nu-
inus, Cathedralis Concionator.

Submissae eleaemosynae mense Februario in pecunia fl. 383. A Palatina Eleaemosyna Februarii.
nensi[1]) fl. 100. A Dª Turzina fl. 100. A quodam 120. A Rᵐᵒ Dᵒ Suffraganeo
30. A Dᵒ Alaghi fl. 15. Reliqui ab aliis. Iam res datae, nempe tritici coreti
ciceris metretae tres, siliginis coreti 8, carpionum duae sexagenae, butyri
unum, porci duo, carnes aliae variae, casei, vinum, panes et alia fl. 162
t aestimata.

Inter mendicos studiosos scholae Parochiali Bᵐᵃᵉ Virginis erat quidam 5. Cwikla mendicus scholae Parochialis,
ikla dictus. Hic eos, qui scholas S. Petri frequentabant, quibuscunque modis
erat, persequebatur. Factus deinde praedo nocturnus, cum saepius manus
todum effugisset, tandem ab arcensi satellitio, non sine magna difficultate,
tus est et in carcerem publicum coniectus et questionibus subiectus, cum Ob latrocinia capite plectitur.
lta latrocinia et sua et complicum prodidisset, capitalem subiit sententiam.
vocans ergo nostrum, qui illum ad sequentem vitam consuetis Sacramentis
poneret, cum ea quae ad hoc negocium pertinent absolvisset, insolito homi-
n concursu ob celebre nequitiae crimen, ex arce ante praetorium in forum
deductus, nostro semper comitante, et 2ª Martii capite truncatus est. In quo
ero Deus scelerum vindex ostendere voluit, se tunc potissimum illatas in-
ias punire, quando ii, quibus inferuntur, patienter sese gerunt ac illi totum
mittunt.

Instituta Missio in Silesiam ad pagum Mokre dictum, Dⁱ Eliae Kozecko, Missio Mokrensis in Silesiam.
Quadragesimam, ad quam P. Lukas Wociechowicz et P. Joannes[2]) 7ª huius
nsis sese contulerant, egregieque consuetis Societatis Nostrae muniis, inter
ulum agrestum et a Sacerdotibus derelictum, vacabant.

Abiuravit publice haeresim in nostro templo 18ª istius mensis quidam Minister Calvinianus ex
lvinista Minister, quae res, quia fuit notabilis, altius hic repetenda videtur.
ergo natione Gallus Ludimagister ac simul Calvinianae perfidiae Minister,

[1]) Dna Sapieżyna.
[2]) Smętnius.

Transsylvania

Transsylvanam iuventutem et nobilitatem, qua in scholis, qua in Synagog
stiferis doctrinis imbuebat. Ob certas simultates, quae illi cum suis assecl

Venit Cracoviam.

quentes erant, suasu quorundam amicorum secedere Cracoviam instituit,
turus postmodum, ubi adversariorum animi conquievissent. Venit ergo

In platea a Vectore relinquitur.

viam et in media platea a vectoribus (qui eum tanquam haereticum e
habebant) relinquitur et e curru pene deiicitur ac ut sibi hospitium prosp
monetur. Vesper erat, linguae polonicae ignarus, hominem qui ad hospitiu

Timore correptus ad Collegium S. Petri pulsat.

duceret non habens, circumspicit omnia et stupentis instar timore conc
veritus, ne a studiosis Academiae Cracoviensis tanquam Minister cognosca
capiatur. Ecce interim Divina eaque paterna ei non defuit providentia.
oculos in nomen SS^m Jesu, quo Collegii Sancti Petri ianua insignita er
eandem ianuam accedit, pulsat ac a Janitore qui prodierat petit, ut sibi
pitium aliquod, in quo secure pernoctare possit, monstraret. Janitor, qu

Inde remittitur ad S. Barbarae domum.

ipse hospitem agebat, ignarus locorum, suadet, ut nostram Domum Prof
adeat ibique ex aliquo nostrorum de hospitio commodo intelligat simulq
viae ductorem assignat. Venit noctu ad S. Barbarae domum evocatoque u
Patribus, de hospitio cognoscit et in illo secure illa nocte quiescit. Postrid

6.

rum domum nostram adit, aliquem sibi ex Sacerdotibus concedi postula

Hospitium illi monstratur.

secum de fidei Controversiis conferat. Concessum id liberaliter et quamdi

Confert de Religione.

cuit, cum eo actum. Tandem serio et ex animo suos errores detegit, diffi

Convertitur et publice haeresim abiurat.

tes aperit iisque dissolutis resipiscit. Itaque reditum ad S. Ecclesiae gre
parans, commentationibus piis S. P^is Nostri vacat, conscientiam discutit,
vitae exomologesim instituit, publice maximo hominum concursu, facta
fidei professione in manibus Vicarii Generalis Cracoviensis Dioecesis R. D
smi Kretkowski, haeresim eiurat ac sacra demum Synaxi maxima omniu
tulatione reficitur, die supradicto.

Adventus P^is Provincialis.

Eadem 18^a die R. P. Pichertus Provincialis venit Cracoviam et
gium S. Petri visitare imprimis coepit. In festo S. Josephi R. D. Skarsz

Sacrum primum R. D. Skarszewski.

Canonicus Cracoviensis, post praeviam domi nostrae habitam collectionem
mum Sacrum in templo nostro Deo obtulit.

Mors P^is Borzynski.

Tertio post die mortuus apud nos P. Joannes Borzynski. Maior-Pc

Aetas eius et studia in Societate.

is erat ex Palatinatu Lanciciensi et ex annis aetatis 42 consumpsit in Soc
23. Studuit in Societate Rhetoricae anno uno, Philolosophiae tribus, Theo
Scholasticae quatuor, egregio profectu. Docuit controversas cum haereticis
stiones annis 4, Concionatorem pomeridianum duobus egit annis. Erat Mi
Collegii per quatuor annos et per alios quatuor Residentiam Ostrogiense

Occupationes variae.

bernavit. Uno anno ante mortem Procuratoris Provinciae munus egregiae
nuit iamque, si ex morbo convaluisset, ad Professionem 4 Votorum admitt
erat. Praestantia in eo ad docendum, conversandum, concionandum, gube
dum et maxime ad res difficiles expediendas talenta reperiebantur, reli

Talenta egregia.

modestiae aliisque virtutibus, homine Societatis dignis, coniuncta. Obiit,
siae Sacramentis munitus, cum non integros duos dies ex morbo decub
eoque gravissimo ex summis internis torsionibus procedente, quibus nullu
medium adferri potuit et quas ingens humorum malignitas corruptioque
rat. Fama erat eum in Hungaria, ad quam 25^a Januarii missus fuerat et

2ª superioris mensis redierat, sive malitia haereticorum sive aliquo alio casu, venenum vel in cibo vel in potu porrectum hausisse. Sepultus sequenti post mortem die in templo nostro in communi nostrorum sepulchro. Accelerata mors forsan ob venenum, ut putabatur.

Significaverat Admodum R. P. Noster per Provincias de quibusdam nostris quatuor Patribus in Aethiopiam ob rem Christianam propagandam missis et in itinere a Turcis captis Cairique in atroci carcere detentis ac tandem 6 millibus aureorum redemptis. Quia vero Goana Provincia, a qua pendet Aethiopica missio, tam grande aes alienum (quod etiam per foenus augetur) nullo modo potest dissolvere, ideo iussit petere Admodum R. P. Noster a Principibus Christianis eleaemosynam hoc nomine, qua tanta summa solveretur. Cognita hac re R. P. Henricus Pichertus Provincialis 28ª huius mensis datis ad superiores litteris diligenter iis commendavit, ut omnem operam adhiberent ad procurandum subsidium pecuniarum pro hoc debito. Missi autem erant hi Patres quatuor sub finem anni 1627 et brevi post capti. 7. De subsidio pecuniario pro nostris captivis, magna summa redemptis, conquirenda Litterae ad Superiores.

Lata pro nobis in Rota Romana Decisio quinta 30ª huius, quam impressam apponimus [1]) et in qua non solum sententia pro nobis prius data confirmatur, sed etiam varia Academicorum fundamenta solide refutantur. Decisio 5ª pro nobis Romana.

Itum obviam hoc mense variis machinationibus Academicorum, quibus efficere conabantur; ne ulli studiosi Sodalitatem Deiparae Assumptae frequentarent. Et privatim enim et publice Professores Bacalaureique inculcabant iuventuti, inconveniens esse cum Jesuitis, Academiae Adversariis, etiam in rebus pietatis conscientiaeque agere, cum non desint tot alii Cracoviae, maxime vero PP. Dominicani cum Congregatione Rosarii, quibus directionem animarum posset concredere. Addebant alii, frequentationem earum Congregationum, quarum curam Societas habet, non posse convenire cum iuramento de promovendo bono Academiae facto. Haec et alia similia confutabantur a nostris; ac inprimis ostendebatur studiosis, praedictas machinationes non publico Academiae nomine fieri, sed privatis quorumdam odiis. Praeterea frequentationem Congregationum ad tot pia opera ordinatam, nullo modo cum iuramento de promovenda Academia pugnare. Insuper indignitas rei proponebatur ex eo, dum iuvenibus et maxime nobilibus Polonis iugum imponitur, non adeundi diebus festis ea templa, quae vellent, nec concedendi iis conscientias, quibus placet. Addebatur et illud: Si iam, o iuvenes, non audetis resistere togatis, a bono vos retrahentibus, quomodo postea audebitis Machinationes Academicorum contra frequentantes Sodalitatem Bmae Virginis. Refutatio a nostris.

[1]) Inserta est haec »Decisio quinta s. Rotae Romanae coram R. P. D. Queipo« etc., Romae in typographia R. Camerae apost. 1729 impressa, inter fol. 734 et 735 nostri Manuscripti. Constat quatuor foliis.

8. Non curabant iuvenes Academicorum machinationes.

resistere turbulentis civibus, in factionibus perniciosis et in conventibus publicis contra Regem et Patriam aliquid machinantibus? Non surdis auribus haec accepta. Nam iuvenes nobiles, quo magis a Sodalitatis exercitiis evocabantur, eo magis illa frequentabant etiam illi, qui nunquam in scholis nostris studuerant, et Confessarios nostros deligebant, etiamsi varii alii ab Academicis propositi fuissent.

Collectio monialis cuiusdam. Eleaemosyna Martii.

Hoc mense unus ex Bonfratellis domi nostrae Exercitia Societatis peragebat magno cum fructu.

Eleaemosyna pecuniaria mensis huius ascendit ad fl. 1192. A Virgine Sophia Marsalkowna legati fl. 800[i]. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 150. A Ducissa Jaroslaviensi fl. 133. Ex quartuali Vielicensi fl. 36. A D° Charzewski fl. 50. A D° Suffraganeo Cracoviensi fl. 10. A reliquis fere 12. Res submissae 321 fl. aestimatae, nempe duo vasa vini a D° Alaghi, unum a D[a] Turzina, unum et medium a D° Paulo Rakoci. Una tunna mulsi. Vasculum melis. Olivae 30 librae. Husonis (sic) librae fere ducentae. Panus pro veste, hordei una metreta, pisorum unus coretus, pisces, panes et alia minutiora.

Ad initium Aprilis D[s] Slatkowski suam spiritualem collectionem, quam superiori mense fuit aggressus, finivit.

Missiones variae.

Circa 4[am] huius mensis ante Dominicam Palmarum nonnullae institutae sunt missiones, P[is] Stanislai Krzywokolski Karniewicos, P. Joannis Zaluscii Bistriciam, P. Joannis Kretkowski cum R. D° Officiali eius germano ad varia loca, praeter P. Lucam Wociechowicz et P. Joannem Smętnium, qui nonnisi 22[a] huius mensis ex Silesia redierunt.

Visitatio domus a R. P. Provinciali.

Ex Collegio S. Petri venit domum nostram R. P. Provincialis mansitque nobiscum ad 13[am] eiusdem, visitationem peragens, postea vero ad S. Stephanum commigraverat.

9. Unus iuvenis salutaria monita spernens,

Notabilis poena neglectae Congregationis et salutarium monitorum duobus iuvenibus 7[a] et 8[a] istius mensis a Deo est immissa. Unus nobili loco natus, cum alibi paulo ante noster discipulus fuisset et hic tam modestiae quam ingenii laude floreret, Cancellariae vacans, dum Patri Congregationis, ab occasionibus malorum familiarium retrahenti, morem non gerit, ab iis nihil minus cogitans, ad lupanar publicum, ipso sabbato ante Dominicam Palmarum, deducitur. Hic socii eius, dum in scelere iuvenem alium inventum, rixa orta, interficiunt et fugiunt, ipse homicidii fit reus et in iudicio absens tanquam principalis accusatus ac denunciatus, cum interim in monasterio delitescere ad certum tempus debuerit, metuens ne comprehenderetur. Alter Senatore Patre natus, a scholis nostris non pridem Cracoviam missus, dum se dirigi per nostrum non sinit, duellis pluribus cum vitae periculo infamis, adhaerens malo familiari, post varias per quadragesimam insolentias, ipsa Dominica Palmarum, dum suspecta mulier domus suae portam pulsanti aperire nollet, monente praedicto familiari, in portam sclopum explodere volens, in consultorem explosit eumque a iunctura manus dexterae usque ad cubitum traiiciens, vix non occidit. Unde ingentes difficultates ei subeundae erant.

Homicidii ab aliis patrati fit reus.

Alter socii manum sclopo traiicit.

Festa Paschalis a 15ª huius ad 17ᵃᵐ inclusive more consueto solenniter pedivimus ingenti ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae hominum concursu. Festa Paschatis.

Expedita trium nostrorum domiciliorum visitatione R. P. Provincialis dissit Cracovia 20ª huius. Discessit R. P. Provincialis.

Quidam Bernardinus Biskupski in festo S. Adalberti, quod 23ª huius nsis celebrari solet, in templo Patrum Carmelitarum mitigatorum (quod etiam aliis templis non raro faciebat) variis verborum ac similitudinum involucris tros perstringebat. Re ista cognita R. D. Erasmus Kretkowski Officialis, tum m tum alios Religiosos similia facientes, ad se vocatos, graviter corripuit nasque certas assignavit, quamquam illi partim negatione, partim suae in is intentionis interpretatione sese tuebantur, sed frustra. Biskupski Bernardinus, cum aliis nostros perstringens, reprehenditur.

25ª donavit Ducissa Ostrogiae Anna de Stembergh Palatina Volhiniae plum Bmae Virginis in campis Societati nostrae, assignatis bonis longe mabus Parocho Jaroslaviensi in compensationem offertoriorum, quae ex templo Virginis accipiebat, cum consensu et approbatione Episcopi et Capituli.

Ultima huius mensis P. Gaspar Rezler, post collectionem spiritualem in no probationis factam, venit ad nostram S. Barbarae aedem et munus Proatoris Provinciae obire coepit. Eodem die externus quidam Sacerdos apud spiritualia exercitia aggressus, quae postea continuavit. P. Gaspar Rezler fit Procurator Provinciae.

Relatio de Tunquin insula explorata et ad suscipienda Christiana sacra osita, polonico idiomate hoc mense a P. Friderico Szembek est edita et Rmo Thomae Oborski Suffraganeo Cracoviensi dicata. Ralatio de de Tunquin insula imprimitur.

Percepta eleaemosynae per Aprilem in pecunia erat fl. 292. A Serenissima ina fl. 50. A Rmo Suffraganeo fl. 110. A Dº Lesniowolski Capitaneo Zatosi fl. 20. A Dno Rab fl. 13. A R. Dº Łukomski fl. 10. Collecti a variis fl. Reliqui ab aliis. Res submissae constiterunt fl. 161, nempe metretae seu a (nam haec duo pro uno accipimus) tritici 5, siliginis etiam 5, lardi partes outyri vasa 4, carnes variae, casei, tortae, bos, vituli, agnelli et alia minutiora. Eleaemosyna Aprilis.

10.

Habuimus 6ª Maii domi nostrae varios hospites. Ex Provincia aniae P. Leier cum P. Skorulski, qui Varsavia ad nos venerant ad 17ᵃᵐ huius mensis ob certa negocia morabantur. Ex Provin- Bohemiae P. Volfangum cum P. Leandro, qui 8ª huius mensis erant. Cum P. Leier visitavit Academiam P. Fridericus Szembek publicae lectioni Theologiae intererat. Magno honore exceperunt umque Professores, inter quos etiam erat celebris ille Brzoscius, i famosi contra nos scripti author, de quo supra multis in locis mus. Hic finita lectione, postquam nostros humanissime salutasset, suam mansionem, deinde ad Academiae Bibliothecam, denique e nostros discedentes cum aliis ad portam usque deduxit. Quae , quia a septem annis ob lites cum Academia intercedentes non t visa, omnibus qui aderant admirationi fuit. Et quidem praedic- Brzoscius hoc mense Ordines Sacros suscipiens, quia per nostros Nostris Academiam visitantibus, Ostendunt Academici humanitatem, Inter quos etiam erat Brzoscius.

in iis suspiciendis non erat impeditus, tanquam famosi libri, cooperante ministro haeretico, contra Societatem scriptor, in alium videbatur iam mutatus nostra patientia. Sed quamdiu ea quae scripsit non revocaverit et famam quam sustulerat non restituerit, viderit ipse, quomodo in conscientia tutus sit futurus.

Collectio spiritualis aliquorum externorum.

Casimirus Romer Parochus Brescensis ab 11ª ad 18ªm huius mensis Collectionem spiritualem domi nostrae instituit, sicut et in fine huius mensis Dⁿ Gebart et Dⁿ Konarzewski studiosi Academici eandem sunt aggressi et ad octavum diem sequentis mensis continuarunt.

Hortum nostrum defendit R. D. Officialis.

R. D. Erasmus Kretkowski Officialis et Vicarius Generalis ad nostrum hortum venit 16ª istius mensis et in eo per duos dies haesit, ostendens se futurum eius defensorem contra omnes variorum insolentias, quae superioribus annis fiebant, de qua re saepius cum Academicis egit et effecit, ut per aliquot tempus ab iniuriis inferendis studiosi Academici abstinerent; nam brevi post ad impiam aliena rapiendi consuetudinem redierunt.

Missiones pro festis Pentecostes.

Pro festis Pentecostes varii erant missi, 29ª huius mensis, P. Stanislaus Krzywokolski cum Joanne Bąkolic Czaiewicos ad D. Wizemberg, P. Adamus Makowski cum P. Joanne Smętnio Karniewicos ad Dm Pipanum Doctorem; P. Adamus Ustinius cum P. Petro Kamocki ad Dnam Jordanovam.

II. Quidam retrahens a scholis nostris et a Congregatione Bmae Virginis, spoliatur omnibus a suis famulis.

Circa finem huius mensis iuvenis quidam nobilis, ex nostris scholis ad Academiam Cracoviensem veniens, per aliquot annos variis modis tam a nostro Collegio quam a Sodalitate Bmae Virginis iuventutem retrahebat ac deterrebat. Tandem ipsismet Academicis et de fide catholica et de nocturnis caedibus ac rapinis coepit esse suspectus et semel sive ex maleficiis, ut probabiliter putabatur, sive ex remordente conscientia, furiis palam agitari coepit, videntibus et stupentibus non paucis. Reditus sibi et advertens se in tot suspiciones vocatum, relicta Cracovia, sumptu parentum non modico, ad militiam sese contulit. Vix Cracovia egressus cum quodam adolescente coaetaneo similis farinae, a famulis propriis equis et omnibus, quae habuit, spoliatus est et domum redire coactus, Deo rapinas eius ac iniurias, rapinis similiter ac iniuriis puniente.

P. Gaspar Druzbicki fit Rector S. Petri.

In fine praeterea huius mensis P. Gaspar Druzbicki factus est Rector Collegii S. Petri Cracoviensis et munus Magistri Novitiorum ac Rectoris Domus Probationis Pi Jacobo Lichonski resignavit.

Eleaemosyna Maii.

Hoc insuper mense in eleaemosyna pecuniaria submissi nobis fl. 46. A Confraternitate Misericordiae fl. 15. A Rmo Do Suffraganeo fl. 10. A reliquis 21. Res datae constabant fl. 171, nempe tritici metretae 15, siliginis metretae 13, butyri vasa duo, caseorum sexagena, lignorum tafla ut vocant una, husonis librae 30; carnes variae, panes aliaque minutiora.

Susanna Amandowna casulam templo dat.

Accessit templo nostro 15ª Junii elegans casula 200ⁱⁿ constans fl. a Virgine Susanna Amanda.

Occasione Jubilaei variae missiones.

Post Jubilaeum duarum septimanarum Cracoviae expeditum, ob eundem in variis locis expediendum, seu Parochos in eo expediendo iuvandos, missi nostri ad varia loca. P. Lucas Wociechowicz cum P. Joanne Stephanide Bolechowicos, P. Stanislaus Krzywokolski cum P. Andrea Lanicio Czaiewicos, P. Se-

bastianus Skarga cum Joanne Bąkalic Hebdowum. P. Joannes Zaluscius cum P. Joanne Smętnio ad varias Parochias cum R^mo D^o Suffraganeo, cum quo a 28^a istius mensis ad 18^am Augusti morati sunt. Sequenti etiam mense P. Petrus Kamocki cum P. Luca Wociechowicz ob eandem causam Soboloviam erant missi, sicut et P. Makowski cum suo socio ad Castellanam Cristinam Myskowska. Harum missionum, occasione Jubilaei factarum, hic simul mentionem facere voluimus.

Adventus P. Provincialis, qui expectabat Successorem.

Venit Cracoviam R. P. Provincialis 16^a huius et tum manens hic, tum ad viciniora loca excurrens, adventum R. P^is Visitatoris ac renuntiationem Successoris sui ab Admodum R. P. Nostro expectabat.

Fundationem D^ae Cellarae pro Sacerdote in templo nostro serviente, 12.

Quia hucusque unicum tantum habuimus ex Sacerdotibus, qui certum proventum ex fundatione habuit assignatum, cum onere serviendi in templo nostro Sacris solennioribus ac vesperis, ideo P. Petrus Kamocki magno labore effecerat, ut pientissima Matrona D^a Margarita Cellara alterum Sacerdotem per novam fundationem nobis procuravit, ut videlicet Cantatis Sacris ac vesperis in nostro templo perpetuo ministraret et lecta duo Sacra pro se ac marito suo in templo Parochiali B^mae Virginis certis temporibus haberet. Pro hac autem re ex dote sua pro censu fere 100 florenorum in certis bonis inscripsit. Hac re cognita R. D. Christophorus Trcinski Archipresbyter, praetextu nescio cuius praeiudicii templi B^mae Virginis, hanc fundationem modis omnibus impedire conatus est. Agitata igitur causa coram R. D. Officiali Erasmo Kretkowski 22^a huius mensis et decretum pro templo nostro est datum impositumque D^o Archipresbytero silentium in perpetuum. Porro executor testamenti praedictae D^ae Cellarae Generosus D. Petrus Boguslawski fundationis summam 1300 in bonis suis certis Suchcin dictis inscripsit in Castro Sądecensi, ut quotannis sine ulla difficultate census Capellano redderetur. Collationis ius certis successoribus est assignatum et iis deficientibus ad nostros in S. Barbara manentes devolvi debet idque est ab officio approbatum. Valde moleste tulit talem rei huius progressum D. Archipresbyter et ad mortem usque aequis oculis non potuit aspicere P. Petrum Kamocki. Non semel alias idem R. D. Trcinski, licet tantum amicum et Benefactorem nostrum se esse praedicet, ea quae vel ad ornamentum vel augmentum templi S. Barbarae spectant, quantum potuit persequebatur et impediebat et vanum metum praeiudicii templi B^mae Virginis, etiamsi manifestissime illi ostendebatur contrarium, ob naturam melancholicam et iudicii tenacitatem nullo modo deponere voluit.

Vult impedire D. Archipresbyter Trcinski sed frustra.

Petrus Boguslawski summam fundationis inscribit.

Ius patronatus cui inscriptum.

Augmento et ornamento templi nostri resistit D^s Trcinski.

Ducentos viginti quinque fl. eleaemosynae pecuniariae mense Junio accepimus. A R^mo D^o Suffraganeo fl. 110. Ex quartuali Vielicensi fl. 26. A D^o Wizemberg fl. 30. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 25. Reliqui ab aliis. Res perceptae 231 fl. constabant, nempe lignorum duae taflae, siliginis metretae 15, butyri duo vasa, caseorum tres sexagenae, braseae metretae 5, carnes variae, panes, pisces, pultes, aromata, feni currus tres et minutiora alia.

Junii eleaemosyna.

2^a sententia Rotae Romanae pro nobis data.

Post quintam decisionem, 30^a Martii huius anni pro nostris scholis Cracoviensibus Romae latam, quam suo loco et tempore posuimus, secundam sententiam pro iisdem scholis 4^a Julii huius tulit

Joannes Queipus Dollanus, S. Rotae Auditor et Judex Commissarius, in qua per omnia confirmavit priorem. Quia vero utraque haec sententia in eadem charta impressa postea erat, ideo utramque fol. 710, n. 6 [1]) posuimus, ubi videnda est haec secunda.

13. Martinus Szyskowski miraculo se ab incendio liberatum Angelo custode ut putabat se excitante.

Episcopus Cracoviensis Martinus Szyskowski 5ª huius mensis, in arce Lipovecensi dormiens, sono extraordinario, quasi sclopi explosi et voce (licet surdus esset) clare audita, de incendio exorto monente, excitatus, dormientes cubicularios aliosque surgere iubet et incendium, quod nemo praeter illum prior adverterat, prohibere: quod si factum statim non fuisset, ob lignea aedificia, feno sub tectis repleta et aurigarum incuria incensa, et ipse et omnes cum eo absumpti incendio fuissent. Attribuit hoc beneficium praedictus Episcopus S. Angelo custodi se concitanti, in cuius et omnium simul Angelorum honorem Sacrum quotidie cantatum in templo Cathedrali ad Mausoleum S. Stanislai, a se exstructum maximis sumptibus, insigni fundatione pro decem fere Sacerdotibus adiuncta, fieri curavit in perpetuum. Non dissimile aliud beneficium idem Episcopus S. Carolo Borrhomaeo attribuebat. Extruxerat huic Sancto templum in monte, marmoribus ac plumbifodinis celebri oppido, Kielce dicto, adiacenti et ad illud reliquias praedicti Sancti solenni apparatu deferri curaverat. Dum autem domum rediret ac in signum triumphi peditis eius sclopetarii, quos tunc ducentos habebat, sclopos explederent, equi territi una cum rheda, qua vehebatur, tanto impetu ex monte sese proripuerunt, nulla ratione aurigis retinere valentibus, ut per unam ex profundis mineralium fodinis, simul cum rheda ac Episcopo, mira providentia intacti ac illaesi transilierint, cunctis qui aderant attonitis.

Idem liberatus a praecipitio beneficio S. Caroli Borrhomaei, ut ille arbitrabatur.

Pro victoria ex Gustavo relata Gratiae Deo actae.

Circa idem tempus Cracoviam et totum Regnum repleverat rumor laetus de felicissimis initiis belli contra Gustavum, in quo Stanislaus Koniecpolski Supremus Copiarum Ductor, caesis plurimis Gustavianis et ipso Gustavo cum exercitu fugato, victoriam obtinuerat. Actae Deo solennes gratiae in variis templis Cracoviae. Sed non diuturna haec fuit laetitia. Sequentibus enim mensibus, ob pestem in castris exortam et ob defectum commeatus, magnus noster exercitus ex Polonico et Germanico milite conflatus, rebus infectis dissipatus est et demum induciae sex annorum cum Gustavo factae, conditionibus ex parte nostra satis duris ac minus honorificis.

Sed brevis haec laetitia ob pestem et ob inducias cum Gustavo.

[1]) Nr. 16.

Missus Czaiewicos P. Stanislaus Krzywokolski cum suo socio 7ª istius mensis ibique ad 16ᵃᵐ Augusti morabatur, ad viciniora loca identidem excurrens.

Mortuus 20ª huius mensis Generosus D. Joannes Wilski in Domo probationis, annos natus quinque supra octoginta, quorum septuaginta cum vitae poliori togae sagoque dedisset, albo sociorum nostrorum inscribi petiit. Quia tamen ob talem aetatem id fieri non potuit, ea ratione (suis bonis in domum probationis transfusis, quae 7 millibus tunc aestimabantur) cum novitiis manebat, ut ad Superiorum arbitrium totum se conformaret et eximia orationis submissione, mortificationis publicae aliarumque solidarum virtutum exempla per 15 annos exhibens, maturus coelo vitam finivit.

Joannis Wilski mors.

Quomodo 70 aetatis anno permissus manere in Novitiatu.

14. De Talmud Judaeorum

Celebris Consultatio Episcopi Cracoviensis Martini Szyskowski cum suis Praelatis et Theologis, inter quos etiam erat unus ex Patribus Dominicanis et alter ex nostris, instituta est circa Talmud Judaeorum 23ª huius mensis tali occasione. Impresserant Judaei in hac Dioecesi, nempe Lublini, seu recudi illud curarant, charta et charactere insigni, valde occulte, impensis hanc in rem plusquam 40 millibus florenorum. Rex ista re cognita et libri exemplaria et typum obsignari facit ac Episcopum certiorem facit inquiritque, quomodo ea in re sit procedendum. Consultis nonnullis viris doctis Episcopus, inter quos etiam erant Nostri Patres Lublinenses (nam prope Lublinum tunc morabatur), respondit Regi secundum ea, quae Concilium Tridentinum in Indice librorum prohibitorum de Talmud Judaico decernit. Sed hac responsione non erat contentus Rex ob novum decretum Clementis Octavi contra Talmud factum (de quo et nostri Lublinenses et ipse Episcopus tunc non scivit). Itaque Episcopus Cracoviam veniens cum iis, quos supra diximus, conclusit secundum decretum Clementis idque totum Regi significavit. Plurima sunt, quae Judaei contra tentarunt. Aiebant enim Talmud se habere Basileense reformatum nec aliud nisi hoc velle recudere. Nescivisse se de reformatione Concilii Tridentini, Clementis Bullam in solis dominiis Papae valere, non alibi. Cabalam aliam esse speculativam, quae Deum solum contemplatur, aliam practicam, quae variis magicis est referta etc. Sed Episcopus ab ea sententia, quam tulit, nunquam passus est se dimoveri.

Lublini impresso Rex significat Episcopo.

Episcopus primo Lublini, deinde Cracoviae consultat.

Et concludit contra Judaeos.

A 25ª istius mensis ad 18ᵃᵐ Novembris institutae in hac civitate et per totam Dioecesim quadrimestres supplicationes, tam diurnae quam horarum 40, pro Regni necessitatibus (in quibus disponendis sicut et in aliis antecedentibus P. Friderici Szembek Episcopus utebatur opera). Initium porro Orationum ha-

Supplicationes quadrimestres indictae.

Oratio diurna in templo S. Barbarae.

rum sumptum a templo S. Barbarae, in quo et praedicta 25ª Oratio diurna peragebatur sicuti et singulis Feriis quintis; haec enim dies nobis obtigerat e quadraginta horarum suplicatio saepius transacta, ut suis temporibus videre erit.

Redit Roma P. Bembus.

Rediit Roma P. Matthaeus Bembus 29ª huius mensis cum P. Abrahamo Ronenberg et Mathia Wawrowicz, quo ante annum fere Procurator Provinciae missus fuerat, certasque ob causas redditum in hoc usque tempus distulerat. Attulit P. Bembus templo S. Barbarae duplices eiusdem S. Virginis ac Martyris reliquias Roma et Neapoli. Et quidem Domus Professa Neapolitana, conscio Admodum Rndo P. Nostro, pro parte brachii S. Catharinae Virginis ac Martyris, ex Domo S. Barbarae Cracoviensi superiori anno transmissa, per commutationem partem brachii S. Barbarae remisit imprimis Romam. Ubi R. P. Noster Lancicio Nicolao, Romae tunc manenti et inter alia hoc etiam negocium promoventi, in manus praedictas reliquias dedit. Quas postea P. Bembus secum Cracoviam devexit. Idem factum de parte maxillae eiusdem Sanctae, quam ad instantiam Pis Szembek Friderici per Cardinales Torres et Ludovisium (quae ad templum Cancellariae Romanae S. Laurenti in Damaso cum parte cranii eiusdem Sanctae in argenteo antiquo reliquiario, instar capitis fabrefacto, intacta et fere ignota servabantur) Summus Pontifex concesserat, magnis difficultatibus superatis per praedictos Cardinales. Ea etiam pars P. Lancicio in manus fuit tradita et Cracoviam per P. Bembum advecta. Plurima eodem anno scripta graeca et latina, ex variis Provinciis maximo labore collecta, ad hanc Sanctam pertinentia P. Szembek transmissa accepit, quae suo tempore lucem videbunt.

15. Adfert secum Reliquias S. Barbarae ex Domo Professa Neapolitana. Et aliam ex urbe Romana A Pontifice concessam.

Varia ad S. Barbaram pertinentia colligit P. Szembek.

Solennis Processio Cathedrale ad tria templa.

Cum Reliquiis.

Circa idem tempus Cracoviae in honorem Immaculatae Conceptionis Bmae Virginis cum reliquis vestium eiusdem Deiparae et Sacris ossibus Regni Patronorum ex templo Cathedrali ad templa D. Virginis in foro, S. Francisci et SS. Apostolorum Petri et Pauli (eo quod in iis essent altaria ad honorem praedictae Conceptionis erecta) solennis instituta processio cum universo clero ac ingenti hominum concursu, ob graves Regni necessitates. Et quidem cum die antecedente in templo Cathedrali, nempe 28ª huius, solenni ritu praedictae reliquiae ad Summum altare fuissent expositae, unus noster circa solis occasum ob excitandam sequentis diei devotionem ibidem concionatus est. Dum etiam sequenti die ad templum SS. Apostolorum Petri et Pauli praedictae reliquiae portarentur, obviam nostri linteati, candidas faces gestantes, prodierunt et in theatro ad id sub tholo excitato collocarunt.

Oratio 40 horarum in nostro templo.

Conclusit mensem hunc Oratio 40 horarum in templo S. Barbarae 30ª et 31ª huius peracta, quo die simul Festum S. Patris magna devotione transactum.

Duo privilegia data Orphanellis irrita. 1um De asservatione Eucharistiae.

Duo hoc mense concessit privilegia Episcopus Cracoviensis Domui Orphanellarum. Primum, ut in sacello domestico earum asservari possit SSma Eucharistia, cum illa conditione, ut quotidie Officium de Immaculata Conceptione Bmae Virginis, quod olim in usu B. Alphonsus Rodriguez habuit, sive cantando sive recitando coram eodem SSmo Sacramento absolverent. Sed in hoc privilegio quia error commissus erat, nam asservationem talem SSmae Eucharistiae Episcopus sine Pontifice Maximo concedere non potest, quod non adverterat bonus Episcopus, parum utilitatis fuit; brevi enim post mortem Episcopi, quae in fine Aprilis anni sequentis, ut videbimus, contigit, haec facultas sublata fuit.

Alterum privilegium erat, ut duos Sacerdotes, unum pro concionibus suo tempore habendis, pro Confessionibus excipiendis alterum, habere possent et uterque illorum loci ordinario immediate subiectus esset. Quia tamen fundatio sufficiens pro his Sacerdotibus tunc non erat, nec facile futura putabatur, ideo multi de duratione et executione huius privilegii dubitabant. 16. 2um De duobus Sacerdotibus.

Eleaemosyna Mensis Julii in pecunia erat fl. 44. A R. D. Bobola fl. 18. A Dō Rab fl. 13. A reliquis fere 12. Iam frumenti metretae 5, bos unus, vas butyri, casei, carnes, vinum, pisces et alia minutiora fl. 75 sunt aestimata. Eleaemosyna Julii.

Quales turbas 5ª Augusti fuerint nostri Lublinenses perpessi a Patribus Dominicanis, dum in processione ad honorem Immaculatae Conceptionis Bmae Virginis (cuius Imaginem praecipui ex Tribunali Regio deferebant) ob impetrandam ex Sveco victoriam instituta nolebant loco cedere, nec cesissent nisi a Praelatis, qui aderant, iis iniunctum fuisset, et quam multi tunc ab iis contra nostros dicta fuerint et acta, videnda Lublinensis Collegii historia. Turbae Lublinensium PP. Dominicanorum cum nostris.

Evocatus Posnania Stanislaus Stamirowski, qui a multis mensibus dimissionem a Societate urgebat et non pauca se comisisse fatebatur, ob quae in Societate detineri non potuit, ex ordinatione R. P. Pompilii Lambertengi Visitatoris a P. Joanne Liesiowski, qui tunc Praepositum Domus S. Barbarae agebat, 16ª istius mensis Cracoviae e Societate est dimissus. Passim coram variis affirmabat, se votum castitatis servare non posse et vitam scecularem in matrimonio se acturum, sed eodem fere quo erat dimissus anno sacros ordines suscepit et Canonicus Leopoliensis factus erat concionibusque faciendis, ad quas bonum talentum habebat, vacabat brevique post admitti iterum ad Societatem petebat, sed non obtinuit. Ita homines tentati ordinarie aliud loquuntur, aliud praestant, licet eos statim facti poeniteat. Stanislaus Stamirowski urget dimissionem ex Societate et dimittitur. Vanum praetextum habuit.

Iterum Biskupski Bernardinus Concionator 18ª istius mensis, dum in aede SSmae Trinitatis, durante S. Hyacinthi octava concionatus, de nigro colore discursum faciens, nostros perstringebat, sed ea re sibi magis quam nostris obfuit. 17. Biskupski Bernardinus iterum contra nos debachatur.

Venit R. P. Lambertengus Visitator Cracoviam 20ª huius mensis plurimaque cum R. P. Provinciali ac Provinciae Consultoribus contulit et varias Superiorum mutationes, acceptis ab Admodum R. P. Nostro patentibus, promulgavit. Inter ceteros P. Jacobum Pawlowski, ut Rectorem ageret Collegii Posnaniensis, Posnaniam 25ª huius misit equis domus S. Barbarae, ut iisdem P. Joannes Wielewicki Posnania ad Praeposituram S. Barbarae veniret, quod sequenti mense factum est. Venit R. P. Visitator. Varias mutationes Superiorum facit.

Sodales Congregationis SSmae Virginis Assumptae cum suo, qui iis praerat, Patre in uno iuvene ad pietatem inducendo variis modis laborabant irrito conatu. Iuvenis enim, ut molestis hortatoribus careret et vitia, quibus assueverat, licentius patraret, Cracovia discessit, sed brevi post, non sine propinati veneni suspicione, in morbum et in delirium incidit, in eoque post triduum hoc mense vivere desiit. Quidam obstinatus a Deo punitur.

Varios hospites toto hoc mense, ex variis Collegiis Cracoviam transeuntes, singulis fere diebus habebamus apud S. Barbaram.

Eleaemosyna Augusti.

Accepimus per hunc mensem eleaemosynae in pecunia fl. 126, seu potius magna ex parte id, quod ante datum erat, vendidimus, nempe pro siligine vendita fl. 40, pro vino vendito fl. 69, pro sale item vendito fl. 12. A R^mo D^o Suffraganeo fl. 20. Reliqui ab aliis. Iam tritici metretae 6, ceparum duo coreti, carnes et nonnulla minutiora fl. 34 constiterunt, quae submissa sunt.

D^nae Agnetis depositum mutuo acceptum.

D^nae Agnetis Skopkownae antiquae Benefactricis fl. depositos 300^or accepimus mutuos 2^a Septembris, ipsa libenter consentiente.

Albertus Karasiewicz, e Societate dimissus,

Furatur argentum in Collegio Calissiensi.

Mirabilis casus Alberti Karasiewicz 3^a huius mensis Cracoviae contigit, quem hic breviter perstringemus. Erat hic Albertus ante biennium Calissii ob varios defectus, sed potissimum ob defectum candoris e Societate dimissus totoque biennio per Poloniam et Lituaniam discurrebat, iterum admissionem petens a Poloniae et Lituaniae Provincialibus, sed nihil obtinuit. Venit ergo Calissium ibique duabus septimanis ita delitescit, ut nullus nostrum de eo quidquam sciret. Tum noctu per murum Collegium ingreditur, Procuratoris Collegii bene sibi notum ingreditur cubiculum et ex eo depositi argenti orbes 10 scutellasque 12 furatur ac, ad iter iam ante bene dispositus, fugit et Cracoviam venit. Judaei, quibus scutellas vendebat, ex stemmatibus insculptis facile deprehenderant, rem esse alienam et eum data opera occupantes, Vice-Capitaneo significant omnia, a quo immissi satellites statim captum ad arcem deducunt. Dum eum Vice-Capitaneus examinat et ille omnia negat seque nobilem Hermanowski simulat ac in Vice-Capitaneum varias minas effundit, adferuntur ex eius hospitio variae res cum aliquo argento, unde manifesti furti est convictus proindeque carceri, furibus communi, addicitur. Hoc statu advertens miser omnia esse prodita, quae ille occulta volebat, metuens, ne questionibus subiiceretur, fatetur palam, se argenteas patinas et orbes ex Collegio Calissiensi Societatis nostrae sustulisse. Significat haec (nostris) Vice-Capitaneus (is erat D. Komorowski), qui etiam iam de deposito Calissii sublato cognoverant et de eo Cracoviae invento Calissiensibus scripserant. Venit ergo P. Jacobus Golemowski Calissiensis Collegii Rector, argentum sublatum repetens, sed Vice-Capitaneus volebat prius, ut instigatorem contra furem sisteremus. Nostro instante, ad Vice-Capitaneum pertinere, ut assignet instigatorem et fure ultro fatente et re sublata manifesta, respondebat, tunc se tantum debere dare instigatorem, dum constat de iis, quibus res est sublata, quod in praedicto casu locum non habet. Et sic post multa utrinque acta et dicta, a 15^a huius mensis, qua venerat Cracoviam P. Golemowski, ad 19^am manens, hic sine argento redire debuit et non nisi post 5 menses huic negocio finis impositus, nempe 23^a Januarii, ut suo loco patebit. Karasiewicz toto hoc tempore in turri furum manente ac modicam sustentationem a Procuratore Provinciae (quae tamen postea Provinciae est soluta) accipiente.

18. Cracoviae cum eo capitur

Et in carcerem furum coniicitur.

P. Jacobus Golemowski Rector Calissiensis

Repetit ablatum argentum,

Sed res ad 5 menses differtur.

19. P. Gaspar Druzbicki fit Provincialis.

Expleto triennio sui Provincialatus P. Henricus Pichertus accepit Successorem P. Gasparum Druzbicki 6^a istius mensis, cui P. Lambertengus Visitator patentes litteras ab Admodum Rdo P. Nostro in manus dedit.

Judaeus quidam Lewkowicz nostrorum opera 9ª huius mensis baptisatus est et nomen Michaelis illi impositum. Baptismus Judaei.

Venit Posnania P. Joannes Wielewicki (ubi antea Rectorem agebat) 10ª istius mensis eodemque die officium Praepositi est aggressus et sequenti die Patentes litteras, Roma 30 Junii datas, P. Lambertengus in manus ei dedit, qua etiam die P. Liesiowski ad Collegium S. Petri abiit eiusque Rectorem agere coepit. P. Joannes Wielewicki fit Praepositus S. Barbarae. P. Liesiowski Rector S. Petri Collegii.

P. Pompilius Lambertengus Cracovia Brestam 13ª huius mensis discessit, ut inde in Lituaniam abiret et sequenti post die P. Henricus Pichertus Sendomiriam sese contulit, ut penes infirmam Abbatissam [1]) Benefactricem nostram maneret, quod etiam fecit ad mortem eius, quae 12ª Novembris contigit.

Venit novus Provincialis R. P. Gaspar Druzbicki ex Collegio S. Petri ad nostram S. Barbarae domum, 15ª huius mensis, quatuorque diebus hic moratus est. P. Pichertus penes infirmam Abbatissam Sendomiriensem ad mortem manet.

Dimissus Joannes Rożycki ex Societate 16ª istius mensis, qui Posnania huc evocatus erat et qui talia se ultro fassus erat patrasse, qualia in Societate tolerari non possunt. Quarto post die idem factum cum Paulo Desnonio (qui se postea Paulum Barikam vocavit) et qui apud P. Visitatorem importunas de se dimittendo instantias fecerat, nonnullaque eidem retulerat, ob quae non debuit in Societate detineri.

20.

Prodiit in lucem vita maximae Nostrae Benefactricis et Collegii Leopoliensis Fundatricis Elisabethae de Lezenice Sieniawska 21ª istius mensis edita lingua vernacula per P. Laurentium Susligam et impressa Cracoviae ac dicata eius filiae Sophiae Sieniawska Abbatissae Sendomiriensi. P. Susliga edit in lucem vitam Dae Sieniawska.

Redditum depositum R. D. Georgio Szabrinski 1000 fl. 25ª huius mensis, quod initio eiusdem mensis deposuerat. Reddita etiam ante duos dies erat communicatio meritorum Societatis Mfcae Annae Komorowska. Dª Catharina Furmankowicowa 500ª fl. nobis pro eleaemosyna submisit 29ª huius mensis, quo tempore in magnis eramus negociis. Depositum R. D Szabriński restituitur. Dª Furmankowicowa 500 florenos nobis dat.

Ultima huius mensis et sequentis mensis 1ª Oratio 40 horarum in templo S. Barbarae peracta pro Regni necessitatibus. Oratio 40 horarum in nostro templo.

Eleaemosyna pecuniaria mensis huius, praeter illam quam dedit Dª Furmankowicowa, erat fl. 144 Ex Wielicka fl. 36. Ab Episcopo Camenecensi [2]) fl. 20. Pro piscibus fl. 20. A Dª Furmankowicowa fl. 20. A Rmo Do Suffraganeo fl. 10. Reliqui ab aliis. Carnes, panes, vinum, crematum, casei, nuces fl. 23 consliterunt. Eleaemosyna Septembris.

Quia vero per Octobrem et Novembrem impresserunt Academici Cracovienses Venetiis contra nos Informationem iuris et facti, in qua et plurima contra nos mendatia et refutationem decisionum et omnia, quae ad laudem suae Academiae spectant, congerere non dubitarunt, ideo iam impressam hic reponimus. Informatio Academicorum Venetiis impressa

Apposuimus porro huic Reformationi (sic) tam foliorum, quam

[1]) Sophia Sieniawska.
[2]) Nowodworski Adamus.

marginum consuetos numeros, ut facilius omnia, quae in ea continentur in Indicem referri possent [1]).

Festum B. Borgiae.

Festum B. Borgiae non parum exornavit continuatio Orationis quadraginta horarum, quae antecedenti die sumpserat initium.

89. Synodus Unitorum indicta Leopoli, ad quam duo nostri hinc missi.

Indixerat Metropolita Russiae [2]) unitis Vladicis Synodum in Civitate Leopoliensi ad 28^{am} huius mensis, ad quam etiam omnes non unitos sive Vladicas sive nobiles invitaverat. Quia vero postulatum erat a R. P. Provinciali, ut aliqui nostrorum, qui unionem iuvare possent, tunc Leopolim venirent, ideo 6^{a} huius mensis P. Matthaeus Bembus cum P. Mathia Szczawinski eo sese contulerunt, ut ante initium Synodi varios disponere ac de multis informare unionem concernentibus, deinde ipsam unionem modis omnibus promovere possent. Quid hac in re effecerit P. Matthaeus Bembus, dicetur sequenti mense.

Tartaros, qui in Regnum irruperunt, D^{s} Palatinus Russiae et D^{s} Chmielecki in reditu profligant.

Circa 22^{am} Superioris mensis irruperant Tartari in districtum Belzensem, Leopoliensem, Premisliensem ingentesque hominum et pecorum praedas abegerunt ac plurimos pagos exusserant. Sed in reditu occurrerunt iis cum exercitu Stanislaus Lubomierski, Palatinus Russiae, et Stephanus Chmielecki feliciterque cum iis conflixerunt, multis millibus eorum caesis (inter quos etiam erat filius Cantimiri), plurimis captis et tota fere praeda adempta, 9^{a} huius mensis. Non multo post hanc cladem Tartaris illatam, praedictus Stephanus

[1]) Informatio haec constat 14 foliis et numeratis paginis 28, quas tamen Wielewicki numeris Manuscripti sui foliorum 741—768 et numeris marginum 21—88 obsignavit. Titulus impressus est talis: D. O. M. SS. DD. N. Urbano VIII. Cracovien. Iuris Legendi pro Sereniss. olim D. D. Vladislai Jagellonis Regis Polon. et Hedvigis Reginae Universitate Generalis Studii Cracovien. contra PP. Societatis Jesu Cracoviae. Referente in signatur. SS. R. P. D. Andosilla Informatio Juris et Facti. Venetiis ex typographia Nicolai Misserini. Superiorum permissu. Charta tituli ornata est clypeo Papae Urbani VIII, qui tres apes, et clipeis Universitatis, quorum unus imginem S. Stanislai, aquilam polonam tenentis in scuto, altera sceptra Universitatis cum corona regia habet.

Fol. (13) 753 afferunt professores cracovienses argumentum, privilegium suum probando: »si Cracoviae publice docere cuivis idoneo fuisset licitum, ex illo tempore cum Cracovia, quippe vicina et obvia regionibus haeresi infectis, habuisset scholas cathedrasque haereticorum, ad quas quidam haereticorum Magistri, catholicismum simulantes, aspirabant..... et obtinuissent, nisi universitas nostra cum ista sua prohibitione sese opposuisset. (Orechovius Roxolanus in libro cuius titulus Chymera et Jacobus Gorscius in Apologia contra Franken, novae haeresis authorem)« — Contra quod in margine annotatum est: »Atque saepe ipsemet Orichovius in Chimera tanquam Haereticus in Cracoviensi Academia docuit aliquando et ante adventum Jesuitarum publicas Synagogas erexerant Haeretici Cracoviae«.

[2]) Josephus Welaminus Rutski (1613—1631).

Chmielecki factus erat Palatinus Kioviae, sed tertio fere post mense, nempe 16ª Februarii sequentis, ex hac vita decessit, toto Regno ingemiscente ob immortalia huius et pientissimi et fortissimi viri in Patriam promerita et ob varias per quatuor annos ex Scythis felices relatas victorias.

Funebres exequiae Comitis de Tęczyn.

Postulante Palatino Cracoviensi Comite de Tęczyn, Orationes nostrorum pro filio suo maximo natu, in Belgio mortuo, indicta erant 11ª istius mensis omnibus nostris Sacerdotibus Sacra funebra et Fratribus Coronae.

Solennitas Canonizati B. Andreae Corsini apud PP. Carmelitas.

Post Canonizationem B. Andreae Corsini, Ordinis Carmelitarum Mitigatorum, Romae factam, PP. Carmelitae ad Aedem Bmae Virginis extra civitatem manentes, solenni supplicatione 15ª huius mensis cum Processionibus Cleri, Religiosorum et Confraternitatum ex templo S. Thomae, in platea S. Spiritus sito, vexillum imagine S. Andreae exornatum, extulerunt et per forum ad suum usque templum deduxerunt solennitatemque in eodem templo per totam octavam continuaverunt. Idem in proprio S. Michaelis templo Patres Carmelitae discalceati fecerunt.

90. Melchior Bonikowski ob varios praetextus,

P. Melchior Bonikowski a tribus fere annis penes Stanislaum Koniecpolski, Palatinum tunc Sendomiriensem et Supremum equestrium Copiarum Praefectum, in Castris manens, praetextu egestatis Matris suae et sororum, insciis Superioribus, pro se parochiam apud praedictum Palatinum impetraverat et sine socio ex Castris discesserat, dimissionem a Societate apud Superiores sese obtenturum dictitans. Cum ergo Brestam ad R. P. Visitatorem, iam in Lituaniam euntem, in hoc negocio venisset et ab eo sicuti conveniens erat ob talem procedendi modum acriter reprehensus fuisset, nihil obtinuit, sed ad P. Provincialem, qui adhuc Cracoviae morabatur, remissus est, ad quem etiam 8ª istius mensis venerat. Postquam igitur omnes matris suae et sororum necessitates proposuisset aliaque omnia pro sua a Societate dimissione argumenta et coram et in scripto, 15ª istius mensis cum Consultoribus Provinciae P. Joanne Wielewicki, P. Joanne Liesiowski, P. Matthaeo Bembo, P. Friderico Szembek, R. P. Provincialis examinavit omnes eius rationes, an tales essent, ut ob eas informatio de eo dimittendo ad Admodum R. P. Nostrum esset scribenda: omnes nemine excepto iudicarunt, nullam penitus Societatis descrendae habere eum rationem. Nam et parens eius sub id tempus iam erat mortuus et mater cum sororibus non erant in tanta necessitate, quantam iuxta Theologos eggressus e Religione requirit, et fratres maturi superstites matri ac sororibus providere poterant ac obligati erant. Nec deerant multa alia, ob quae vani istius Patris praetextus manifeste confutarentur. Non erat contentus tali resolutione P. Bonikowski nec desinebat ab Admodum Rdo P. Nostro dimissionem postulare, cuius expectans responsum manebat in aede S. Barbarae plusquam per medium annum satis inquietus; nam 4ª Aprilis sequentis anni dimissus est, ut suo loco patebit.

Dimissionem a Societate petit,

Sed nulla eius rei causa invenitur. Ille tamen obstinate eandem urget A Rdo P. Nostro.

Praepositus Visnicensis Suchodolski in concione, quam apud PP. Carmelitas mitigatos 16ª istius mensis habuit et in qua poenas Dei, quibus Regnum

Suchodolski contra

Regem et contra nostros concionantem, ob intercessiones Officialis non punit.

affligitur, in eos referebat, qui sunt hostes Academiae, multa contra Regem et contra nostram Societatem, praesente R. D. Kretkowski Officiali effutierat. Commotus rei indignitate R. D. Kretkowski statim eum civitaverat et ad poenas illi infligendas sese comparaverat, sed ob intercesiones Palatini Russiae eiusque matris liber factus est.

Oratio diurna.

In festo B. Stanislai Kostka, quod in 21am huius mensis inciderat, in templo S. Barbarae Oratio diurna pro Regni necessitatibus peragebatur. Hac etiam die discessit R. P. Provincialis Cracovia Crosnam versus et inde in Volhiniam et Ukrainam.

91. Desiderium Dⁱ Lesniowolski de Collegio in Kenti.

Excurrerat 24a istius mensis Praepositus Domus S. Barbarae [1]) Bielawos ad Mfcum Dm Lesniowolski Capitaneum Zatoriensem cum eoque varia contulit circa eius desiderium de Collegio nostro in oppido Capitaneatus Zatoriensis Kenti dicto (patria haec est Beati Cantii) fundando. Et postquam in utramque partem plurima dicta fuissent, tandem totum in adventum R. P. Provincialis reiectum est. Zatoro inviserat idem P. Praepositus et Dm Czarnecki Zyweci et Dam Komorowskam, inde duobus milliaribus distantem.

Missio cum Do Suffraganeo.

Penultima istius mensis P. Adamus Ustinius cum P. Joanne Smętnio ad Missionem consuetam cum Rmo Do Suffraganeo abierunt in eaque usque ad festa Natalis Domini manserunt. Eadem die ab eodem Rmo 100 floreni eleaemosynae Domini nostrae sunt dati.

Ab eodem eleaemosyna.

Eleaemosyna Octobris.

Mensis Octobris percepta pecuniaria erat florenorum 311. A Rmo Suffraganeo Cracoviensi fl. 130. A Palatino Cracoviensi fl. 50. A Palatino Russiae fl. 20. A Fraternitate Misericordiae fl. 15. A Do Rabo Stanislao fl. 13. A Rdo Do Archipresbytero fl. 10. A Do Jadamczewski fl. 10. A Zberowski fl. 15. Ex Collegio Posnaniensi fl. 14. Reliqui ab aliis. Res submissae, ut frumentum a variis, vinum, carnes, panes, butyrum, casei, legumina computata sunt fl. 146.

Ob mortem P. Christophori Chrząstowski, in obsequio infectorum susceptam Graudenti,

Inter nonnullos Nostros superiori mense in Prussia peste ob obsequium infectorum mortuos, erat etiam P. Christophorus Chrząstowski Cracoviensis, qui sicuti in promovenda Dei gloria et salute proximorum erat ferventissimus, ita Graudenti tunc Superiorem agens et extremam necessitatem plurimorum infectorum advertens (ab omnibus enim derelicti erant) totum se in auxilium et animarum et corporum eorum effudit. Itaque conquisitis plurimis eleaemosynis et in pecunia et in victualibus, sexcentos fere pauperes infectos collegit unum in locum, quem illis per modum Castrorum penes Graudentum diviserat et in quo Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae, deinde etiam cibo ac potu eos reficiebat maxima cum charitate. Quod dum ille strenue prosequitur, non multo post tempore pestem hausit et Confessione coram uno ex nostris, qui ad eum triduo ante mortem in campum venerat, peracta Sanctissimoque viatico accepto, fortissime vitam pro proximis profundens occubuit et in templo Graudentensi Beatissimae Virginis sepultus est. Intellexerat confuse circa 6am huius mensis de morte eius mater vidua Da Tlokinska (quae unicum hunc filium cum priori marito Do Chrząstowski habuit et quem non solum tamquam unicum, sed etiam tanquam magnum Dei servum unice diligebat). Et quia unus ex nostris

Exardescit contra nos Mater eius vidua Ob rela-

[1]) P. Joannes Wielewicki.

sive imprudens sive impudens sive utrumque (communis autem Superiorum sensus erat hunc fuisse .....[1]) cui usitatissimum fuit personas Societatis in odium inducere), qui falsissime ei dixerat, Posnania Graudentum in poenam fuisse missum, ingentes contra nos vociferationes, euliatibus muliebribus adiunctas, per aliquot dies coram nostris et externis effundebat, quod videlicet eum data opera in locum infectum, ut quamprimum moreretur, ablegaverimus et occiderimus. Non parum negocii cum ista foemina habuimus, antequam adeo malam opinionem de nobis ex animo eius evelleremus, eo quod longo tempore nihil certi de circumstantiis mortis optimi Patris sciremus. Et ita frequenter quod unus ineptus de nobis falso refert, cum ingenti labore vix multi possunt contrarium verum persuadere.

tionem falsam unius nostri.

Et cum difficultate est placata.

P. Abrahamus Ronenberg cum aliquot millia ex sui patrimonii sorte Domui S. Stephani applicasset, Domui etiam nostrae 7ª huius mensis 100 florenos eleaemosynae dedit.

92. P^is Ronenberg eleaemosyna.

Perillustris Virgo Sophia Sieniawska Abbatissa Sędomiriensis, insignis Societatis Nostrae et maxime Collegii Leopoliensis Benefactrix, 10ª istius mensis Gorys ex hac vita decessit. Pro ea tanquam pro Fundatrice (nam tantum ex sua parte nobis dederat, quantum non mediocri Collegio fundando sufficeret) suffragia ubique erant indicta.

Mors Abbatissae Sędomiriensis Sophiae Sieniawska.

Peractum apud nos funus in templo S. Barbarae 12ª istius mensis Nobilis Virginis Sophiae Bienkowska. Haec postquam a teneris annis ad 30um in obsequiis Mfcae D^ae^ Herburtowae versata fuisset, postea Cracoviae tum Mfcae D^ae^ Dorotheae Czarnkowska Succamerariae Posnaniensi, tum Dnae Vaierownae plusquam decem annis famulabatur. Insignis in ea erat puritas conscientiae, mortificatio externa et interna, amor piae lectionis et piorum colloquiorum ac orationis, quibus totum tempus, quod illi ab obsequiis et somno naturali reliquum erat, libentissime tribuebat. Reliquit nobis eleaemosynae florenos 100, ex quibus templo 50, allii 50 domui nostrae cesserunt. Sepulta est in fine muliebrium scamnarum ad ultimum Confessionale sub choro magno.

Funus Sophiae Bienkowska in nostro templo.

Incidit in 16^am^ huius mensis mors Betlemi Gaborii Transsylvaniae Principis, tot rebellionibus et bellicis stratagematibus ac astutis consiliis celeberrimi, quem cum Gustavus etiam inter eos haberet, qui cum eo contra Regem Poloniae conspiraverant, ideo toto tempore eius Principatus Transsylvanici satis erat eidem Regno formidabilis. Et vixit quidem sine Deo, nam iuxta certiores relationes Atheus erat, ante mortem tamen suam optime Transsylvaniae et illi Hungariae, quam subiectam habuit providit, ut videlicet sine ullo bello pacifice

Betlemi Gaboris mors.

[1]) Nomen alio atramentu deletum, tamen legi potest: P. Makowski Adamum.

Cur politice bona, non theologice, vocabatur.

sese legittimo suo Regi et Imperatori Christiano Ferdinando II subderet post eius mortem. Sicque non male quidam de illo affirmabant, quod politice optime sit mortuus, theologice pessime, quia sine ulla cura suae animae, cui ut provideret dum moneretur a variis, omnium monitiones reiiciebat.

93. Conventum Vladicarum Nobilitas Russiae procurat ob unionem.

Rediit Leopoli P. Matthaeus Bembus cum P. Mathia Szczawinski 21ª istius mensis, quo 6ª Octobris sese contulerat, ideoque non abs re erit ea, quae in hac missione fecerit, breviter insinuare et Synodi indictae a Metropolita seriem referre. Intellexerat R. P. Provincialis Cracoviae manens, Russiae Nobilitatem Schismaticam diuturnarum discussionum pertaesam impetrasse a Serenissimo Rege nostro, ut ii Vladicae, qui sub obedientia Pontificis Maximi sunt, cum reliquis, qui in schismate adhuc permanent, convenire possent et in Synodo Provinciali adhuc modos tentare, quibus ad unionem suaviter et efficaciter perducerentur. Cognoverunt et illud, Josephum Rucki Metropolitanum totius Russiae, peritissimum ac ferventissimum praedictae unionis Promotorem, post celebratas Synodos Dioecesanas cum suis septem Coepiscopis unitis et non paucis Archimandritis seu Coenobiorum S. Basilii Abbatibus aliisque suis Praelatis, Leopolim contendere, in qua totius Russiae, primaria civitate, Regi Poloniae subiecta, Provincialem Synodum ad 28 Octobris indixerat. Denique ipsemet Joannes Andreas Pruchnicki Archiepiscopus Leopoliensis eidem R. P. Provinciali significaverat, se cupere, ut sub tempus talis conventus aliqua per nostros Leopoli ad unionem pertinens disputatio institueretur. His omnibus consideratis R. P. Provincialis et sciens omnes Vladicas unitos cum suo Metropolitano nostros discipulos fuisse nobisque etiam iam valde esse addictos, magnum operae praecium futurum coniiciebat, aliquem ex nostris Leopolim mittere, qui non disputationibus publicis (nam his Rutheni magis exarcebantur), sed aliis suavibus modis fundamenta Schismaticorum clare proponere ac dissolvere et privatis colloquiis praecipuos quosque, tam spirituales quam saeculares, dirigere posset. Delectus ad eam rem P. Matthaeus Bembus, qui Cracovia 8ª Octobris discedens Leopolim se contulit et tempus Synodo designatum certas ob causas aliquot diebus antevertit. Venit interim Metropolita cum suis 7 Vladicis unitis ac variis Praelatis ritus Graeci Leopolim. Sed ex Vladicis Schismaticis nullus penitus comparuit, licet bona fide polliciti fuissent, se venturos in propriis personis, delegatos tamen miserunt cum excusationibus ab-

Venit Leopolim Metropolita cum suis ad hunc finem.

Archiepiscopus Leopoliensis eandem promovet.

Ad eum conventum ex nostris

Mittitur P. Bembus.

94. Vladicae non uniti. contra fi-

sentiae et quibusdam conditionibus impertinentibus. Nobilitas schismatica non parvo numero convenerat tertio die post tempus assignatum. Dux Zaslaviensis Palatinus Kiioviensis, qui vices Regis in hoc conventu agere debuit et tam unitos quam non unitos ad unionem efficaciter promovere, postquam infirmus Leopolim venisset, in maiorem incidit morbum, quo etiam extinctus est. Et ob haec aliaqua non pauca impedimenta non potuit habere Synodus optatum exitum, per privata tamen et publica colloquia non pauca sunt facta, futurae suo tempore unioni conducentia. Et inter caetera in templo Cathedrali Leopoliensi, praesente Archiepiscopo cum suis Praelatis, cum ingenti Catholicorum, Schismaticorum ac Armenorum multitudine, Sacrum more graeco, maximo eoque gravissimo apparatu Metropolita, assistentibus ac ministrantibus reliquis Vladicis unitis, peragebat, quod etiam in aliis templis iteraverat. Antecesserat vero hoc Sacrum egregia P. Matthaei Bembi concio, varia incitamenta ad unionem proponens, quae statim, multis id petentibus, Leopoli typis mandata est et variis distributa. Colloquia deinde cum schismatica Nobilitate a Metropolita, ab unitis Vladicis, a P. Bembo instituta ac ab aliis nostris, omni benevolentiae sermone erant suscepta. In quibus inter caetera illa duo efficaciter sunt probata: Primum, quod modernus Patriarcha Constantinopolitanus Calvini perfidiam sit secutus idque ex eius scriptis, dictis, actis, quorum Nobilitas ipsa Russiae optime erat conscia, evidenter erat ostensum. Unde etiam atque etiam monebantur, ut adverterent errorum et confusionum pelagus, propter quod Vicarii Christi odio perditum haereticum pro visibili Ecclesiae capite venerari non detrectant. Alterum erat de horrenda Schismaticorum Vladicarum et Poporum calumnia contra Metropolitanum et Vladicas unitos, quos passim iactitabant exosum habere ritum graecum et Liturgias nec ritu graeco nec lingua sclavonica celebrare, sed latino tantum. Ipsimet enim Nobiles Schismatici, exquisitissime observantes Liturgiam a Metropolita factam, falsissimam hanc esse calumniam et in odium unionis excogitatam deprehenderunt. Denique ut ostenderet Metropolita, se Schisma tantum et vitia illi annexa, non autem ritum graecum odio habere, visitavit ipse cum omnibus unitis Vladicis templum Leopoliense non unitorum et in eo genibus flexis cantionem de B^ma^ Virgine Ruthenis consuetam, cum iis qui secum venerant praecinens, mirabilem sui concitavit amorem apud plurimos non unitos, tunc Leopoli manentes. Nobiles etiam ipsi Schis-

dem datam, non veniunt.

Dux Zaslaviensis, promoturus Synodum, Leopoli moritur.

Metropolita in templo catholico celebrat.

Concionatur P. Bembus de incitamentis unionis.

Variis colloquiis cum Schismaticis, quae perfecta.

Patriarcha Constantinopolitanus Calvinista.

Calumnia contra Metropolitam deprehensa.

95. Adit Metropolita cum suis templum non unitorum et in eo canit.

Nobiles

Schismatici quomodo his commoti.

matici, his omnibus permoti, polliciti sunt publice, si modernus Patriarcha haeresim non abiuraverit (in quo negotio statim ad eum Legatos expedierant), se et Pontifici Maximo debitam obedientiam exhibituros et in nova Synodo, quam finita legatione indici cupiunt, omnia unionem impedientia ut tollantur, pro sua parte curaturos.

Cum Armenis Sacerdotibus in eorum templo disceptatum a P. Bembo.

His cum Ruthenis Schismaticis, qui antea ipsum nomen unionis non tolerabant, transactis, cum Armenis etiam, qui Leopoli suum Episcopum habent, aliqua non infeliciter coepta. Nam praedictus P. Bembus per duos dies cum Armenis Sacerdotibus, in eorum templo, praesentibus praecipuis quibusque et ipso, prima die, Episcopo, de eorum erroribus, ob quos Concilium Chalcedonense non tam verbis, quam reipsa reiicientes, Eutichianam haeresim amplectuntur, cum omni charitatis declaratione disceptavit auditusque est et acceptus humanissime, nec sine magna spe conversionis brevi futurae ad Religionem Catholicam inde discessit.

96. Pia motiva nonnullorum ingrediendae Congregationis, 1m 2um

Nonnulli adolescentes ad danda Sodalitati Bmae Virginis Asumptae nomina hoc mense nonnullis per somnum obiectis excitati fuere. Primus cum quasdam praeces Deiparae saepius offeret, conscientiam graviter intricatam habens, Deiparam facie sanguinea videre sibi visus et male tractatam. Qua specie non parum commotus et per se male tractatam Sanctissimam Virginem explicans, ut postea illi melius servire posset, Sodalibus adhaesit et in alium mutatus est. Alter in offerendis Dei Matri salutationibus Angelicis saepius persistens et tamen malos socios non relinquens, cum vidisset in somnis, sibi in templo Deiparae assistenti et Eucharistia refici cupienti, a daemone oculos velari cereosque ad Sacrificandum accensos ob eodem extingui, caecitatem mentis suae et tenebras a daemone offusas bene interpretatus, Deiparae, quae fons lucis est,

3m

in eius Sodalitate servire instituit. Adnumerandus his tertius, a pluribus annis aulicus, cui familiares aulici persuaserant, ut sicuti illis, sive ob iactantiam, sive ob aliquum alium malum finem, sua scelera aperuerat, ita eadem optimo fine Patri Congregationis in confessione aperiret. Summa enim Dei gratia id perfecit et ab ipsis inferni faucibus ereptus, vere poenitens nomen Sodalitati dedit.

Quatuor vicibus hoc mense prandia solennia data.

Quater hoc mense quatuor Benefactrices nos solenni prandio exceperunt, nempe Da Elisabetha Pipanowa, Da Catharina Gortacka, Da Catharina Furmankowicowa, Da Anna Baierowna in festis S. Elisabethae et S. Catharinae et in aliis.

Eleaemosyna huius mensis Novembris.

Eleaemosyna pecuniaria huius mensis erat florenorum 206. A D. Abrahamo Ronenberg fl. 100. Post mortem Virginis Bienkowska fl. 50. Ab Episcopo Cracoviensi fl. 25. A quodam fl 11. Reliqui ab aliis. Res, quae nobis sunt submissae, constiterunt fl. 378. Nam triticum, siligo, hordeum, pisa, pultes a variis 203 fl constabant, bos et aliae carnes fl. 50, pisces fl. 54, casei et butyrum fl. 40, vinum, mel, panis cervisia fl. 31.

Translatio

Quia 2a Decembris hoc anno in primam Dominicam Adventus inciderat,

ideo in tertiam eiusdem festum S. Xaverii Francisci transferri debuit, in quo apud nos R. D. Sebastianus Nucerinus concionatus est. Sequenti vero post die, seu in festo S. Barbarae, cecinit apud nos Sacrum Rorate R. D. Jacobus Ostrowski Canonicus et Doctor Theologiae et Summum Sacrum R. D. Petrus Gębicki Decanus, qui etiam nobiscum prandium sumpserunt, institutaque hac die erat in nostro templo diurna Oratio pro Regni necessitatibus. festi S. Xaverii.

97. Decisio 6ª pro nobis Romae.

Porro tertia huius mensis Romae pro nobis contra Universitatem 6ª et ultima decisio est lata, a qua et sententiae pro nobis antecedentes confirmantur et Remissoria, quam adversarii summopere urgebant, fortiter reiicitur. Imo in hac decisione fortiter reiiciuntur, quae Academici in sua Venetiis impressa Informatione (quam a Folio 741 posuimus) contra antecedentes decisiones conabantur adferre. Quae quidem eorum informatio non erat grata Auditoribus Rotae, postquam ad eos pervenisset, tanquam ea, quae praeter iactantiam vix aliquid solide habebat et in qua aliquis Academicus Cracoviensis (nam eam non profectam ex capite Ustinii, qui negocium Academiae Romae tractabat, communis erat opinio) plus capiti suo tribuens, quam iudicio Rotae, ausus erat aggredi refutationem decisionum, pro nostris scholis datarum, ineptissimo conatu magnam eius imperitiam monstrante. Hoc tamen effecerat praedicta informatio, ut et 6ª decisio citius fieret et litterae executoriales in Aprili sequentis anni promulgarentur. Apponimus hoc loco impressam Romae 6ªm decisionem, sicuti et caeteras apposuimus [1]).

Confutatur hac decisione Informatio Academicorum.

Depositum variarum materiarum, in cista clausarum, ab uxore Dⁱ Ludovici Blanki mortui, delatum 10ª huius mensis, ob instantiam nonnullorum Proconsulum suscepimus domi nostrae, quod postea in Februario anni sequentis intactum ac integrum reddidimus. Quarto post die delatum funus praedicti Dⁱ Blanci noctu ad templum SSmaº Trinitatis, more Italico, multis ad sonum campanarum perterrefactis et moleste ferentibus morem hunc exoticum in Polonia usurpari, in qua honesta funera interdiu et tempore Sacri fieri consueverunt. Depositum Dⁱ Blanki.

Nocturna eius sepultura displicuit.

Missus P. Joannes Zaluscius cum P. Tyszka Zywecum 21ª huius mensis ibique per festa natalitia strenue laborarunt. Eadem die iterum P. Adamus Makowski cum Gallo Koc missus erat in Hungariam. Quia enim eo se confe- Missio Zywecensis.

[1]) »Decisio sexta S. Rotae Romane pro Collegio Cracovien. Societatis Jesu Contra Universitatem Studii Generalis Cracovien. coram R. P. D. Chisilerio Cracovien. Iuris legendi. Lunae 3 Decembris 1629. — Romae, ex typographia Rev. Camerae Apostolicae M. D. C. XXIX de licentia Superiorum« — ornata armis Urbani PP. VIII, constans 2 foliis, annexa est nostro Manuscripto inter fol. 772—773.

Missio in Hungariam P^is^ Makowski iterata.

rens 21^a^ Novembris non adierat Alaghi, sicut erat iussus, externorum negociis implicans sese et contentus ea eleaemosyna, quam D^a^ Turzina cum nonnullis Praelatis Scepusiensibus dederat, redierat Cracoviam 15^a^ huius mensis; ideo iterum peculiariter ad D^m^ Alaghi sese contulit. Sub idem tempus, ante mediam noctem, mortuus est in Collegio S. Petri Theologiae Professor P. Adamus Gorski et quatuor Votorum Professus, vir magnae doctrinae et singularis mortificationis, de quo videnda historia Collegii S. Petri.

Mors P. Gorski.

98.

Cuiusdam, qui a nostrorum conversatione arcebatur, pius dolus.

Notabilis affectus unius iuvenis erga nostros hoc mense apparuit. Erat is illustri et Regni Senatore Patre natus, unicus, opulentus et iam Praefectura quadam a Rege ornatus, aliquotque annis in Academia (ex scholis nostris ob metum, ne Societatem ingrederetur, acceptus) studuerat, nullam nobiscum conversationem habens. Directore in id peculiariter intento. Ab isto ergo Directore obtinet, ut Oratorium Sodalitatis in pervigilio Natalis Domini inviseret, quo praecipui sese conferebant. Finitis Congregationis exercitiis, clam scriptum suum, quo animae suae statum ac deliberationem de vita deligenda declaraverat, in Missale ad latus altaris positum includit et Patri Congregationis valedicens secreto id, quod fecerat, retulit. Ad scriptum relictum responso accepto, animosior factus, sua constantia id effecit, ut deinde palam coetibus Sodalitatis adesset et in fine eorum cum Patre Congregationis de animae suae negociis pertractaret.

Picturae emblematice in Oratorio.

Hoc eodem mense Sodalis moriens certam pecuniae summam Sodalitati reliquit, ob aliquam imaginem emblematicam in Oratorio comparandam, quae iuvenes ad pietatem excitaret, et ob nonnulla pia munuscula inter Sodales distribuenda. Optabat enim iis, quibus aliquando ad varia mala incitamento erat, post mortem propriam varia incitamenta ad optima quaeque relinquere. — Im-

R. D. Kwasnicki mors.

posuit etiam hoc mense finem vitae Joannes Kwasnicki J. U. Doctor Sądecensis Archidiaconus, Voinicensis Praepositus et Causarum Curiae Episcopi Cracoviensis Generalis Auditor, vir pius, gravis et Societatis nostrae constans amicus, qui sub Annum Domini 1602 ex iis primis erat, qui Congregationi Assumptae B^mae^ Virginis initium dederant. Hic etiam pro similibus emblematicis picturis, in oratorio Sodalium ponendis, certam pecuniam assignaverat.

99.

Eleaemosyna Decembris.

Accepimus per Decembrem mensem eleaemosynae pecuniariae florenos 237. A D^a^ Turzina fl. 100. A D^o^ Wizemberg fl. 70. A D^a^ Blankowa fl. 15. A nonnullis per P. Rezler et per P. Zaluscium fl 24. Reliqui ab aliis. Res aestimatae sunt fl. 226. Nempe vinum a D^a^ Turzina et Praeposito Scepusiensi et aliis, triticum, siligo, hordeum, pultes 117, aromata a D^o^ Mazurkowicz fere fl. 40, butyrum, casei, panes, pisces, foenum, fere 70 fl.

Annua templi aeleaemosyna.

Annua eleaemosyna templi erat in pecunia florenorum 1224. — In supellectili sacra haec accesserunt: navicella cum cohleari argenteo, poculum pro danda ablutione argenteum. In votivis tabellis et aliis ex argento ad altaria appensis, argenti marcae 37. Casula ex albo talet aureis floribus distincta. Casula holoserici nigri. Annulus aureus cum lapillo. Mappae aliquot et nonnulla alia minutiora.

Haeretici conversi.

Iam ex iis, quae ad certos mensium dies vix revocari poterant, haec sunt. Haeresim qui abiurarunt erant 23, inter quos etiam erat unus ex Ministris, de quo 18^a^ Martii egimus. Schismate abiecta, Vicario Christi se subdidit unus. Ex

iis, qui Confessionibus excipiendis in nostro templo vacabant, unus per 10 menses 4382 aures dedit, inter quos plusquam tertia pars eorum erat, qui totius vitae crimina Sacramentali absolutioni subiecerunt. Non minus ab aliis laboratum, maxime iis, qui cum R^mo D^o Suffraganeo in Missionibus peregrinabantur. Dissidia inter quatuor paria coniugum et alios plurimos magni momenti homines sunt sopita. Maledictis assuetus dum sibi imprecaretur, ut raperetur a daemone, extemplo turbine excitato altius cubito a terra sublevatus, quo facto exterritus et a Deo supplex veniam petiit et id quod fecerat poenitentia expiavit. Juvenem per biennium daemon in forma talis feminae, qualem cum suo Domino saepius invisere solebat, apparens sollicitabat, ut illi violentas munus inferret. Diu tergiversanti tandem quadam die persuasit, ut cultro cuius manubrium parieti inclusum erat pectore incumberet, sed quae Dei bonitas fuit, vulnus non lethale accepit agnitoque statim crimine illud cum reliquis, quae tota vita patraverat, expiavit. Atrocius quidam Academicus in morbo imaginationibus exagitatus, ense primo, cultello deinde servitorio pectus aliquoties transfixit et totus sanguine madens non prius Dei singulari gratia moritur, quam retroactam vitam Sacerdoti nostro detegeret et Sacrosanctum viaticum perciperet. Huc spectat mulier, cuius vir in militiam sese contulerat, quae extrema inopia laborans, cum parvulo filio seipsam in flumen deiicere ac demergere constituerat; iamque ad ripam fluminis eam ob causam venerat, sed nostro interveniente remque cognoscente, a tanto scelere abducta et eleaemosynis a quibusdam conquisitis adiuta. Non deerat, quae ob similem inopiam et sui et filiarum prostitutionem cogitabat, sed per unum ex nostris a turpi consilio revocata impetrataque pro ea a nonnullis auxilia. Quidam nobilis Arrianus Catholicos subditos ad fenum die festo colligendum et in horreum congregandum adegerat, sed sequenti die fulmen decidens horreum ac totam aulam exussit advertitque miser haereticus, quantum Deo festorum violatio displiceat. Spiritualibus S. Patris Nostri commentationibus excoluerunt sese nostrorum opera tum foris Moniales fere 30, tum domi varii Sacerdotes, Religiosi, Academici, non sine fructu. Denique hoc anno difficillimo et ob summam rei frumentariae penuriam ex trium annorum praecedentium sterilitate et ex tot militum spoliationibus provenientem, non defuit Divina providentia Domui nostrae. Suppeditaverunt enim Benefactores sufficientissime ea, quibus non tantum 32 nostri, qui in hac domo morantur, sed etiam perpetui fere hospites alerentur, ut ex eleaemosynis ad singulos menses annotatis facile est colligere.

Poenitentes plurimi. 100.

Dissidia sopita.

Imprecationibus assuetus corrigitur.

A manibus violentis abducti: 1us

2us

3^a

A turpitudine abducta.

Poena Arriani, festa violantis.

Exculti commentationibus piis.

Providentia Dei circa domum nostram.

INDEX

PERSONARUM, LOCORUM et RERUM,

quae fasciculo IV Wielewicianae historiae,

nempe ab a. 1620—1629

occurrunt.

(Numerus arabicus significat paginam).

A.

Abraham, benefactor, vide Ronenberg.
Academia Cracoviensis, 25, 30, 57, 60, 75, 77, 86, 87, 93, 103, 114, 115, 123, 124, 127, 129, 130, 131, 132, 133, 135, 138, 139, 140, 141, 143, 147, 154, 155, 162, 168, 169, 170, 173, 175, 178, 185, 191, 193, 194, 195, 196, 197, 201, 202, 206, 209, 210, 216, 220, 221, 222, 225, 227, 229, 230, 233, 236, 238, 242, 243, 244, 245, 246, 247, 248, 252, 254, 260, 266, 274, 277, 280, 282, 288, 291, 292, 299, 312, 314, 315, 318, 319, 321, 322, 328, 332, 337.
Academiae crac. Bibliotheca, 321.
— Supremus Cancellarius epp. crac. 254.
— Rector, vide Naiman Jacobus.
— » » Borovius.
— Statuta, 222.
Academici Cracovienses, 5, 9, 17, 25, 39, 48, 53, 54, 55, 58, 72, 74, 76, 86, 88, 97, 99, 102, 103, 106, 114, 121, 122, 123, 126, 129, 130, 131, 133, 134, 135, 137, 138, 139, 140, 142, 143, 144, 145, 146, 147, 153, 155, 162, 163, 165, 166, 167, 168, 169, 170, 173, 175, 176, 178, 185, 191, 193, 194, 196, 198, 200, 201, 203, 204, 205, 206, 207, 208, 209, 210, 211, 215, 216, 218, 220, 222, 223, 224, 225, 226, 227, 228, 231, 232, 235, 237, 238, 239, 240, 241, 243, 244, 245, 246, 247, 248, 249, 250, 251, 252, 253, 254, 256, 262, 265, 266, 268, 269, 274, 276, 277, 278, 279, 282, 283, 284, 287, 288, 289, 290, 291, 292, 293, 295, 296, 299, 305, 307, 311, 312, 313, 314, 315, 315, 316, 319, 320, 322, 329, 337.
Academici Parisienses, 250.
Acta Castrensia Cracoviensia, 136, 192, 229, 232, 237.
— Inscriptionum Senat. crac. 157.
— Consultationum Collegii Posn. 12.
Adalberti S. festum, 321.
Aegyptus, 294.

Aethiopia, 319
Agnes Sta, (festum) 239, 267.
Agnes Virgo, benef. 13, 260.
Alaghi Melchior, Comes de Behony, Judex Hungariae, benef. 11, 275, 281, 300, 317, 320, 338.
Alaghy v. Alaghi.
Alagus, v. Alaghi.
Alans Sigismundus, Proconsul crac. benef. 110, 116, 118.
Alantse Sigismundus, 157.
Albina Sta. (reliquiae) 258.
Alexander, Princeps Valachiae, 24.
Alexandri Sti. Martyris corporis translatio, 258.
Ali, Aga, 22.
Alma Mater, (Academia crac.) 202, 250.
Almandi, Hungarus, Praefectus peditum, 24.
Aloisius Gonzaga Beatus, 50, 57, 70, 96, 98, 140, 170, 171.
Altarista in templo Bae Virginis 222.
Stephanus Dei gratia Rex etc., significamus etc., quod cum intercederet inter Instigatorem nostrum et Gsum Christopherum Zborowski actio atque causa de crimine laesae maiestatis nostrae, nos certis de causis ad supplicationem ipsius nomine apud nos factam salvum conductum nostrum regium illi concessimus concedimusquae hac quidem ratione, quemadmodum legibus ipsis publicis praescriptum habetur, nimirum quod ille tuto et secure ad iudicium nostrum venire ad instigatorisque nostri propositionem et obiecta respondere causamque suam agere et responsione facta a iudicio discedere possit neque omnino a magistratibus nostris captivari debeat usque ad ultimae sententiae in ea ipsa causa sua prolationem. Ad quod quidem tempus, hoc

est donec ultima et finalis sententia in ea causa lata fuerit, noster iste salvus conductus durare illeque omni securitate potiri debet. In cuius rei fidem etc. Datum Warschowiae in Conventu Regni Generali feria 2 post Conversionis S. Pauli proxima *(28 Januarii)* A. 1585 Regni Nostri anno nono. Stephanus Rex. AKr

Post cuius quidem salvi conductus concessionem petente Mco Gnesnensi Castellano, ut liceret eum sibi ad fratrem referre, interea vero causa in crastinum prorogaretur et differretur, Mtas Regia pro benignitate et clementia sua assentientibus consiliariis Regni hoc etiam concedere illi dignata est.

In crastino eius diei, quae fuit feria 3 post f. Conversionis S. Pauli *(29 Januarii)*, Mco Castellano Gnesnensi rursum cum amicis et procuratoribus suis nomine [citati] comparente cum Instigator Mtis R. urgeret praesentiam citati ipsumque in persona propria, non autem per plenipotentes et amicos, comparere debere affirmaret, eo quod negotium intercedat magni momenti, de crimine nimirum laesae maiestatis, et quod ad litteras, quae hoc in negotio erunt producendae, nonnisi ipse principalis respondere possit, tum quod iam salvum conductum tam instanter postulasset et obtinuisset; contra vero parte adversa nunquam esse legibus prohibitum allegante, quominus citatus per plenipotentes causam agere et se de obiectis criminibus purgare posset, peteretque suum principalem in hoc etiam beneficio conservari; S. Mtas R. etsi omnium populorum et nationum orbis Christiani instituto atque more in causis laesae maiestatis reo per se ipsum comparendi necessitas sit imposita idque res etiam ipsa tacite quodammodo efflagitare videatur, neque regni iura diserte et expresse, quin idem id servetur, prohibeant aut vetent, tamen secuta consiliariorum suorum sententiam indulsit et permisit citato sui defendendi per amicos et procuratores facultatem ita tamen, ut qui causam illius acturi essent amici et procuratores promitterent, non se illam defecturos nec ad principalem suum se revocaturos. Quod posteaquam ab illis ita receptum esset, ut quoad iure parti citatae patrocinari possent, causam se illius nomine persecutoros declararent, Instigator S. Mtis R. progrediendo in causa proposuit iudicium contra citatum ex citatione contra illum edita.

Qua perlecta patronus adversae partis Gsus Jacobus Niemoiewski capta a Mte R. venia ea, quae ad causam pertinerent, asserendi, iudicium Mtis R. tanquam in negotio et causa ad ipsam Mtem R. pertinenti declinabat petebatque deferri illud senatui ac terrarum nuntiis. Cuius rei causas istas adferebat. Primum quod veteri Jagellonis privilegio in Jedlna dato praescriptum esset: »Nulli bona seu possessiones recipiemus, nisi fuerit iudicialiter per iudices competentes vel barones nostros nobis condemnatus«. Si igitur rex Wladislaus non licere sibi, et per consequens successoribus suis, vult quenquam bonis mulctare nisi baronum, non regis ipsius, iudicio interveniente, quanto id magis in causa vitae et honoris sit faciendum. Huc accedere

nuntios etiam terrarum tanquam in novo emergenti adiun
debat statutum de admittendis per Mtem R. in certis cau
ad conventum generalem, quo probare nitebatur non sem
causis iudicium R. Mtis admitti et acceptari; quod si qu
ciendum, tum ubi cum ipsa Mte R. subdito negotium int
de rerum omnium summa, fama nimirum et honore bonis
quolibet enim iudicio ista necessario requiri, ut sit iudex, co
agatur, ut accusator sive actor et citatus sive reus. Hac v
eandemque personam et iudicis et accusatoris personar
igitur reiiciendum esse a Mte R. hoc iudicium ad senatun
grave etiam esse videtur subdito eundem et dominum
iudicem experiri.

Ad ea Instigator Mtis R. ita respondit: Reges es
remotissimumque tum a ratione tum huius etiam Rpcae in
hactenus ordine atque more esse, detrectari a quoquam
iudicium principis. Quod cum pars citata non faciat modo
atque legum praetextu se facere ostendat, paucis diversu
opinione demonstrandum esse. Jagellonis inprimis ad de
tentiam suam utitur privilegio eiusque verba profert. Cet
gentissime spectet et examinet, alium quam putat procedent
maiestatis morem Jagellonis tempore observatum reperiet.
ipsius Vieluni a. 1424 editum, in quo statuit de haereticis,
contra illos observandus sit, accommodatque illum ad p
laesae maiestatis; eum vero processum, qualis fuerit, dese
»Per nostros capitaneos, consules civitatum et alios offic
subditos nostros sive in officio sive extra viventes velut R.
capiatur«. Apparet igitur, [qui] tum contra offensores R. M

principem certas aliquas personas, quae iudicis et subiudicis locum AKr
inerent causamque inter principem et subditum iudicarent, exolevisse, cum
irum comitiorum res(?) introducta fuisset, testantur hoc plurimae de rebus
i, de rebus nullo iure receptis similesque aliae constitutiones, testatur mos
iciorum, qui de bonis quibuscumque inter regem et subditos hactenus
ervatus fuit et nunc observatur. Aliam fuisse superioribus temporibus
um et iudiciorum rationem, aliam vero nunc, cum omnia ad publicos con-
tus revocata essent. Etiam antea castellani et eorum iudices multa iudi-
ant, nunc prorsus nihil. Ita pro ratione temporum multa in omnibus rebus
mutari. Frustra igitur hanc ab illo Jagellonis privilegio particulam allegari,
qua nihil omnino demonstrare aut concludere potest, cum videat omnem
m rationem postea immutatam esse.—Alterum argumentum est, quo pars
ta iudicium Mtis R. in causa praesenti declinare vult, privilegium Ale-
dri regis in Mielnik post electionem suam datum. Quod quidem privile-
m tametsi a rege Alexandro tunc, cum non esset adhuc rex Poloniae,
tantum Magnus Dux Lithuaniae, concessum fuisset promissaque illius in
onatione confirmatio nunquam facta ac ipsum hoc privilegium in comitiis
ctionis regis Henrici recognitum, quaeque eius capita ex usu Rpcae fore
ebantur, ea peculiariter sancita fuissent, tamen ut in statu suo ita, uti
itum est, permaneat; ex eo tamen id, quod pars citata maxime contendit,
gem inquam a iudicio isto excludendum esse, nulla ratione posse demon-
rari. Quod quidem non erit difficile investigare, si et quid eo privilegio
x statuat et ob quas causas statuat et quae deinceps etiam consequuntur,
dulo inspiciatur. Statuit de delationibus, quae fiunt contra consiliarios, si
gum se conatibus opponant, inprimis vero de vanis et falsis, cum inquit:
uoties contigerit aliquem consiliarium falsis et clandestinis delationibus aut
ibuscunque submissis accusationibus aut culpis criminari et nobis aut suc-
ssoribus deferri et tales indignationem nostram et successorum nostrorum
omodocunque incurrant, consiliarii universi in conventu Regni haec discer-
nt et discutiant durante securitate accusati et pro qualitate negotii, uti
quum et iustum censebunt, inculpato purgationem decernendam«. Hic de
nis et falsis ac clandestinis delationibus, quae plerumque a susurronibus ad
res principum contra bonos et fideles consiliarios adferuntur, agit; eas, ut
nsiliarii in regni conventu discutiant et a veris discernant, statuit; se tamen
cognitione ista non excludit; immo quae sequuntur et in quibus de maiori
graviori iudicio agitur, planiora sunt. Ait enim: »Nam fama et vita
ni viri et status personae, hoc est captivitas, maiori consilio et saniori
biiciantur, ita tamen, quod semper duae partes potioris et sanioris consilii
ncludant contra tertiam partem«. Superius de discutiendis et discernendis
ris a falsis atque vanis criminationibus purgationeque decernenda egerat,

AKr hic cum de graviore iudicio, de fama et vita boni viri statuendum sit, eius formam praescribit, ne nimirum unius vel alterius sententiam rex sequatur aut deteriorum, sed duae partes concludant. De conclusione igitur agit, quam rex in decernendo sequi debeat, quod ex ipsa causa, ob quam ad eiusmodi constitutionem descensum sit, facile colligitur. Ait enim ab initio: »Saepe compertum est principes velle agere pro arbitrio et voluntate sua«. Ut igitur non agant pro arbitrio et voluntate, statutum est, ut sententiam duarum partium in iudiciis eiusmodi pro conclusione habeant et sequantur. Non excluduntur igitur ab agendo, non arbitratu tamen suo, sed maiorem et saniorem partem sequi iubentur. Quod multo adhuc planius ea, quae sequuntur, indicabunt: »Idem intelligendum esse volumus de causis civilibus inter dominum et subditum nec minus inter pares«. Quid vero illud est, quod »idem« vocat? Inquit: »ut nos aut successores nostri non alia decernamus, nisi de quibus universi consiliarii convenerint vel alias illis discrepantibus non modo maiores numero, immo potiores et saniores consilio concludant«; idem vocat cum superiore: »ut non alia decernamus, nisi de quibus universi consiliarii convenerint«; ergo et in superiore iudicio decernendi potestas est penes regem, modo tamen praescripto. Si vero decernendi potestas, ergo a iudicio excludi non debet. Quid clarius his esse potest? Vera et genuina eius privilegii sententia est ista: ut rex in iudicio delationis aut accussationis alicuius consiliarii, similiter in causis civilibus, non suo, sed arbitrio maioris et sanioris partis consilii sui sententiam sequatur et illam pro conclusione habeat. Quod et sententiae confirmant et Henricana constitutio, quae ex ipso eodem privilegio nata est, plane et minime dubium facit. Ita enim constitutione sancitum est, ut rex in diversis senatorum sententiis nihil pro voluntate sua concludat, sed ad unam eandemque illorum sententias reducat; si id minus facere possit, maioris partis et quae iuribus et libertatibus publicis sit proximior sententiam sequatur. Quanam vero ratione rex conciliaturus esset senatorum sententias quo modove, quae iuri magis sint consentaneae, iudicaturus, nisi illis dicendis interesset? Sed pro more Regni istius, si contra citatum pronuntianda esset sententia, a quonam iure tam gravis et quae honoris iacturam secum trahat, pronuntiari posset? Par parem — quod in Tribunalibus constituendis, cum criminales actiones omnes ad comitia remissae sunt, spectatum est — fama et honore iudicio et decreto suo privare non potest, supremae potestati supremoque magistratui ista sunt attributa.—Quod vero terrarum etiam nuntios adiungit huic iudicio, ex quo id legis aut statuti vel privilegii capite faciat, intelligi non posse. Hoc ipso Alexandri privilegio nullam mentionem fieri nuntiorum. Si id praetextu novi emergentis posse fieri existimat, emergentia nova sunt, quae a Tribunali propterea, quod nullae de illis leges exstant, remittuntur; hic nulla remissio facta neque incognitum est legibus nostris crimen laesae maiestatis. Quod vero de appellationibus

a R. Mte ad conventum interponendum affert, ne hoc quidem aliquid ad AKr
rem facit; hoc enim fieri permissum est, si controversia inter regem et subditum de summis in bonis regiis inscriptis intercedat et rex solus post curiam absque consiliariis rem iudicaverit, ibi ad conventum potest interponi appellatio ad ipsum eundem regem cum consiliariis iudicaturum. Frustra igitur citatum haec pro se ad declinandum forum et iudicium Mtis R. usurpare, cum non post curiam, sed ad Regni comitia reus citatus sit, inque Regni comitiis haec causa agatur. Quin etiam ex recentioribus aliquot legibus post privilegia Wladislai et Alexandri sancitis probari potest sine ulla ambiguitate hoc negotium pertinere ad iudicium Mtis R. et ab omnibus ita semper existimatum esse. Est constitutio prolata a rege Sigismundo Augusto Warssaviae a. 1557, quae in Polonico idiomate sic habet: »Iż instygator nasz nie ma nikogo pozywać ani ad instantiam suam ani osoby naszej ani za delacyą strony, tylko o rzeczy właśnie należące osobie, zwierzchności, pożytkom i imionom naszym.« Hic commemorantur, quae regio iudicio subiecta esse debent, quae, inquit, mere pertinent ad personam, eminentiam, commoda et bona nostra. Si igitur, quae pertinent ad regiam personam, regio iudicio subiecta sunt, nihil certe magis ad illius personam quam offensio maiestatis ipsius, quod crimen in illum designatum est. Alia constitutio, qua iudicia ultimae instantiae pro una vice in omnibus Regni provinciis a rege Sigismundo Augusto fuerant constituta. Hac constitutione cum esset praescriptum, quae iudiciis illis ultimae instantiae essent permissa, enumerantur etiam, quae regio iudicio reservata fuerint. Et primo loco ponitur: »In primis causae personam regiam tangentes, item causae mere criminales bonam famam et existimationem tangentes et invasionis domesticae albo komu idzie o gardło, o potwarz albo testimonio falso. Item causae, które idą ex officio contra officiales intentatae, et hoc si excesserint metas officii sui aut alicui gravamen ex officio intulerint, ad nos pertinebunt. Non autem intelligi debet, cum pars gravata ad prosequendam motionem aut aliquod iuvamen causae suae vel ad alios gradus iuris iudicium aut officium citaverit: huiusmodi enim causae ad illud iudicium pertinebunt. Item causae nostrae pro fundo vel iniuriis fundi cum nobilibus, nam eas nos in conventione generali et non post curiam vel alibi extra conventionem iudicabimus. Item causae fisci contra eos, qui sunt negligentes in solvendis proventibus ordinariis ad mensam nostram pertinentibus, etiam extra fines regni iudicabimus. Item gdziebychmy też wykupowali właśnie pro persona nostra bona nostra regalia, także też o wykupno królestwa od komisarzów inter partes, tedy się też to za nami ciągnąć ma intra fines Regni. Gdyby też nam kto co darował albo zapisał, tedy nie innym prawem przed sądem swym in conventione generali tantum tego dochodzić mamy jedno iure donatorio nobis inscripto et donato. Oprócz też tych kaus, którechmy tu na swój rozsądek zostawili, które już na karcie opowiedziane i obwołane i do

AKr kancellariej podane są. Exceptis his causis per nos iudicandis omnes aliae causae« etc. Primo igitur loco excipiuntur causae personam regiam tangentes et iudicio regio disertis et manifestis verbis reservantur. Neque vero intelligi ista posse de aliquibus forte bonis privatim ad personam regiam pertinentibus, seorsim enim et peculiariter de istis etiam eadem constitutione cavetur hisce verbis: »Gdyby też nam kto co darował« et quae sequuntur. Item constitutio tertia de securitate revisorum, qui ad revidenda bona mensae regiae mittebantur, in qua ita scriptum habetur: »Qui vero id ausus fuerit, non aliter hoc iudicare debemus, quam si contra personam nostram id ausus esset, cum consilio dominorum consiliariorum in comitiis«. Aperte igitur haec innuit constitutio, si quis contra personam regiam aliquid fuerit ausus, eum a rege cum consiliariis in conventu regni iudicari debere. Quarta est constitutio Henricana de conciliandis per R. Mtem senatorum sententiis, de qua iam superius est dictum. Quinta in coronatione R. Mtis edita, qua iudicium R. Mtis contra perduelles et dissentientes ab agnoscendo suo imperio fuit permissum. Sexta de iudicio Tribunalis Regni edita, qua criminales omnes causae, qualis est ista laese maiestatis, iudicio Mtis R. reservantur. Has constitutiones atque leges omnes aperte demonstrare, eius causae iudicium pertinere ad R. Maiestatem salvisque legibus, salvo iure et ordine iudiciorum Regni partem citatam nullo modo iudicium R. Mtis in hac causa devitare aut subterfugere posse. Atque eo etiam magis, quod causae istius natura sit eiusmodi, ut non modo crimen laesae maiestatis, sed etiam perduellionis, quod ad Rpcam pertinet, complectatur. Quare petebat Instigator partem ad procedendum in causa decreto S. Mtis R. compelli.

Quibus deductionibus ab Instigatore prolatis uti ex ipso iure statutisque et constitutionibus publicis desumptis Maiestas R. adducta ex sententia consiliariorum suorum decrevit parti citatae ulterius procedere.

In ulteriori processu citatus per suum, uti dictum est, patronum obiiciebat Instigatori inordinatam esse citationem meritoque principalem suum ab ea liberum pronuntiandum et poenam contra Instigatorem decernendam. Nam cum ab initio suo modo et secundum formam statuti scripta esset hisce verbis: »Quia tu postposito boni civis et fidelis subditi officio contra personam nostram machinatus es«, sub finem tamen verba existimationem et bonam famam citati laedentia in illa esse posita, illa nimirum: »per quod poenas laesae maiestatis et quae proditoribus debentur incurristi«. Quod extra formam in statuto descriptam appositum esse legibusque et moribus Rpcae nostrae prohibitum dicebat inque eam rem decretum Sigismundi inter Strzalkowski et Kołaczkowski in vim statuti factum adferebat.

Instigatore vero respondente in re atque causa criminali non posse nisi criminalia verba poni, S. Regia Mtas cum videret constitutione re-

gis Sigismundi Augusti a. 1565 edita disertis verbis praesciptum esse: AKr
»Quicunque in posterum citaret aliquam personam in causis honorem tangentibus ad Mtem Regiam ad Regni conventum, uti quidem non alibi pro eo quisquam citare debet, pungendo eum in ipsius bona fama, debet ita paratus esse, ut ostendat rem esse veram«, quare decernere dignata est, ut Instigator, quae in citatione posuisset, continuo re ipsa probaret, citatus vero ad citationem contra se editam responderet.

Quo decreto prolato plenipotens citati non teneri se ad respondendum dixit, eius rei causam attulit, quod statuto regis Cazimiri Magni Vsliciae a. 1368 sit cautum, quod in causis criminalibus in absentia accusantis seu actoris, cuius interest, rex et capitaneus recognoscere non debent. Hic nullum esse certum actorem seu delatorem, qui, uti in causis honorum fit, crimen obiectum probare et, nisi probaverit, reconveniri pro poena possit. Quare petebat se a citatione liberum pronuntiari.

Contra Instigator Mtis Regiae respondit intempestivam et vanam esse obiectionem citati. Qui enim tam subtiliter omnes elabendi et detrectandi iudicii vias quaereret, illum ordinis, qui hisce in rebus observari conveniret, meminisse debuisse, cum iura non retrocedant, sed procedant; iure vero observari consuevit, ut exceptiones, quae fiunt ante ingressum ad causam, suo ordine inferantur, ac in primis contra iudicem, denique contra actorem, ultimo contra citationem excipiatur. Nam si primo citationem quis impugnet et illa legitima esse pronuntietur, frustra de illis, quae citatione ipsa comprehensa sunt, utpote actore, disputabit. Quod cum hic iam sit factum intercesseritque decretum Regiae Mtis, quo iussus est ad citationem respondere, non dari illi amplius retrocedendi facultatem. Sed etiam si tempestive et suo tempore haec exceptio per eum allata fuisset, quod non conceditur, non iuvisset tamen illum quidquam. Quam enim legem ad comprobandam sententiam et petitionem suam attulit, ad privatorum iniurias pertinet nec ad aliud genus actionum regiarum, quam in quibus non modo regis, verum coniunctim cum rege personae alicuius non(!) privatim vertatur et, ut statutum dicit, intersit, extendi potest. In causis vero vel personam regis vel eminentiam vel bona mere tangentibus Instigatorem, ut cum delatore, ita aliquando etiam sine delatore agere posse, vel constitutione Sigismundi Augusti superius citata quaeque infra declarabitur, satis cautum est. Quod si rem ad aequitatem revocet et iniustum esse putaverit aliquem gravissimi criminis reum fieri, citari, magno cum labore magnove periculo purgare sese, neque tamen, ubi se purgaverit, dari sibi contra accusatorem actionem calumniae; ita impune quemvis etiam innocentem vexari, trahi ad iudicia, calumnia obrui posse: hoc si iniquum esse putat, cuiusnam, obsecro e contra, equitatis esse existimabit, si princeps non per alium quemquam, sed per se ipsum alicuius molitiones erga se, litteras, coniurationes, chirographa de-

AKr prehendat, non tamen de hisce rebus quamvis evidentissimis agere sine delatore posset? Sed de aequitate non est (inquiebat) quod contendamus, nulla enim est gens tam ab omni humanitate remota, quae cum videat sanctissimam esse humanam societatem neque sine illa non modo felicem et beatam, sed ne ullam quidem vitam recte duci posse, non sanctissimos etiam, qui hanc contineant, magistratus esse existimet, non aequissimum iudicet prolatis aliquibus contra eos molitionibus et machinationibus de illis inquirere, eas in iudicia vocare? Nos tamen ad nostra nos referamus et leges atque morem patriae nostrae videamus. Antiquissimus fuit mos, quod lege de haereticis lata, quae multo est posterior quam ista de actore, iam superius demonstratum est, in crimine laesae maiestatis non modo accusandi sine delatore, sed captivandi etiam reos potestatem fuisse, sed uti dictum est, severitas ista ad moderatiorem rationem revocata fuit posteriore Iagellonis privilegio praesertim quoad captivationem. De delatore nihil usquam exstat. Quod si ad legem istam Cazimiri Magni de actore editam citati de delatore allegatio torquenda esset, illa quidem statuto contineri, sine absentia accusantis sive actoris, cuiusnam interest, non esse cognoscere, quaeso: cuiusnam interest in offensione et laesione Mtis Regiae munus delationis suscipere, si quod in privatorum causis fit, ut actiones eorum proximioribus gradu competant, idem in causis Mtis R. fieri opporteat? Rex quidem, dum in regem creatur, dum suscipitur, dum inauguratur, omnem sanguinis et cognationum rationem exuit, subditis vero suis firmissimo nexu colligatur, illi vicissim regi. Rex subditorum commoda curare, libertatem et iura tueri, beatam quantum fieri posset eorum vitam efficere, contra vero subditi salutem et dignitatem principis itidem tueri, eius vitam sua potiorem ducere debent. Hoc, si maiorum nostrorum nostraque electionum decreta videantur, officium nostrum a nobis exigit. Obligamur enim omnes in universum fide, honore et conscientia salutem et dignitatem regis electi tueri, peculiariter vero senatores iuraverunt, quicquid sciverint, intellexerint aut senserint Mti R. nocibile et damnosum, praecustodire et, ne id fiat, se opponere et avertere. Itaque si delator requiratur, universis regni statibus, senatui, inquam, cum nobilitate haec provincia suscipienda esset. Id quoniam impossibile videtur, erunt nobis pro delatore testimonia bonorum virorum, erunt litterae manu propria sriptae et sigillo citati; nihil agetur temere, nihil calumniose. Ut vero quis delatorem se in citatione ipsa profiteatur, neque res ipsa neque iurium atque legum nostrarum ratio postulare videtur. Adductam fuisse superius constitutionem regis Sigismundi Augusti de causis Regiae Mtis, in qua praescriptum est diserte: instigatorem non debere quencunque citare ad instantiam suam neque personae nostrae neque ad delationem partis. Quo in loco particula »neque,« quae est disiunctiva, indicat quasdam citationes dari solere ad instantiam instigatoris, quasdam ad delationem

artis. Ubi alicui pro interesse ipsius quidpiam competit, ibi delator nomi- AKr
itur, ut in donationibus, in rebus fisci et ceteris similibus, in quibus ad
elatorem aliquid pervenit et propterea nominatur in citatione; in aliis causis
on item. Itaque multae etiam citationes in rebus fisci ad instantiam insti-
atoris sine delatore eduntur. Sed et mos ipse citandi pro crimine laesae
aiestatis a maioribus traditus formulaeque citationum regiarum statutis
sertae docent delatorem in causis eiusmodi non requiri. Ex quibus for-
ulis mos in huiusmodi causis procedendi et citandi certaque et indubitata
tio satis colligetur, ideoque pars rea ipsa, cum inordinate scriptam cita-
onem arguere vellet, autoritate eius ad intentionem illam suam probandam
a foret. Itaque petebat Instigator. ut reiecta partis citatae ea intempes-
va et non suo loco neque suo tempore de delatore adducta exceptione,
iae legibus etiam comprobari non posset, ad responsionem directam decreto
tis Regiae compellatur.

Mtas vero Regia ex sententia Renatus regni, ut rebus omnibus
us ordo et consueta procedendi ratio constaret, ut pars citata directe ad
toris Instigatorisque nimirum propositionem respondeat, decernere di-
nata est, ob angustiam autem temporis tota res in diem crastinum dilata.

Feria quarta ante festum Purificationis B. Mariae Virginis proxima
o *Januarii)* Instigator Mtis R. propositionem suam et obiecta reo in
tatione crimina comprobando primum omnium litteras citati Christophori
orowski manu ipsius ad fratrem Samuelem scriptas et sigillo proprio ob-
gnatas, in quibus contumelias, convicia, maledicta et machinationes atque
nsilia contra vitam et dignitatem Mtis R. inita, turbarum et seditionum
ccitandarum apertam significationem contineri dicebat, in publicum protulit
que legit, quarum tenor is sequitur[1]). . . . .

Litteris publice in senatu lectis Instigator Mtis R. posteaquam
iter commemorasset priora eiusdem Christopheri gesta, quibus non alienum
eius vita crimen, quod ille intenderet, esse ostenderet, quomodo nimirum
gnante Sigismundo Augusto rege Bogdanum, principem Moldaviae, nomini
olonico valde addictum, cum in Poloniam nuptiarum causa cum aliquot
ntum famulis fide publica et salvo conductu regis munitus excurrisset, in
inere vulneribus aliquot affectum cepisset et pecuniam hoc nomine ab illo
xtorsisset; quomodo item proximo superiore interregno accessisset R. Mtem
Transsilvania studiumque illi suae familiae ad regnum assequendum detu-
sset ac a Mte R., tum principe Transsilvaniae, viginti aureorum Hungaricalium
ilia, quae in publicas Regni necessitates erogaret, cum fratre Samuele acce-
isset eamque pecuniam avertisset et recte ex Transsilvania ad partem ad-
ersam se contulisset; aliaque item nonnulla de illo ab Instigatore comme-

[1]) *Następuje list wydany na końcu książki Rzeczyckiego i u Paulego p. 37.*

AKr morata essent; post haec ipsam rem ipsumque crimen Instigator aggressa litterarum lectionem verbis et oratione subsecutus ostendit, proponere eum se non dubitare, quin e proximis litteris suis intellexisset, quo in loco res illorum sint apud regem et quid de eo sibi polliceri debeat, tum quae de perfectione ad Nizovios sit eius sententia, in istisque duobus capitibus se persistere velle significat. Haec, inquam, est illius propositio, sed si summam et veram scriptionis et litterarum ipsius sententiam quaerimus, quod ille brevibus rem ipsam et sententiam suam significaturum se fratri ostendit, haec nos brevioribus verbis, apertius autem ex iis ipsis litteris contrahere possumus. Res est: non responsum esse cupiditati nostrae a rege, negatum marschalco, quod petiit, tua postulata non procedere, me nihil obtinuisse, Gnesnensem, qui sit regi fidus, liberaliter habitum. Iam res est tota, videamus sententiam et consilium: cogitabimus, inquit, de nobis, quamvis pauci sumus, ternario tamen isti numero ad aliquid bonum aditum patefaciendum esse, confoederationem in tota progenie faciendam, classicum in suam perniciem cani, faciendum esse, quod viros decet, quibus vero modis id fiat, litteris non esse committendum, experturum hominem nequam iniquissimo tempore canino dente affectavisse, non defuturos sibi quoque clam qui in aula et ubi vel apud istos satrapas sint et in perniciem horum tyrannorum eorum pane pascuntur. Post haec initum in gramine Zboroviano consilium firmissimas in corde suo radices agisse iurat et obtestatur. Satisne nobis ista explicasse videntur sententiam suam? quae non alia est sane, quam: quod non satis nobis a Rege fiat, eum vel pellamus vel interficiamus; rege interfecto ut facilius, in quem vellemus, regnum transferamus, praesidio nobis opus est. Itaque Nisovios esse conciliandos, nobilitatis favore opus est, non esse illam hoc tempore offendendam, criminationibus spargendis regem invisum reddendum, ne interitum eius homines doleant — Hoc certe brevis et succincta harum litterarum est summa ex ipsismet illius verbis in compendium redacta. Iam si singula verba vel sententiae saltem expendantur et ad trutinam revocentur, non obscure, qui ipsius sit animuus, qui de rege suo sensus, quae in illum iactata convicia, apparere posse. Cum enim scribit: invitatum se ab illo ad servitia propositis multis promissis, se tamen adduci non potuisse, ut flecteret genua coram Baal extremamque potius egestatem malle quam illi ab obsequiis esse, quid quaeso aliud, quam acerbitatem animi sui erga principem, erga regem patriae suae ostendit? Quem quod Baal idolo comparat, pro tyranno, quod et ipse quodam loco fatetur, habet, iam vero cum fratrem, Gnesnensem castellanum, Judam et Anathema, quod regi sit fidus, appellat, an non ipse se prodit, se nimirum fidum non esse regi? Cumque illum regis esse amicum aegre fert, se inimicum fatetur, regem autem indignum nomine regis scribit, an non coronam capiti eius detrahit, an non omne virus in eum animi sui profert, an non indicat, quid de illo

gitet, quid consilii habeat? Plurima eiusmodi et acerbiora etiam con- AKr
ia gravissimaque initi contra salutem et dignitatem Mtis R. a ternario
o numero [consilii] signa et argumenta ab Instigatore R. Mtis facta litte-
um earumdem paraphrasi proferebantur, quae ob prolixitatem obmittuntur.

Prolatum etiam ab illo fuit exemplum litterarum ad Nisovios marschalci Christopheri nomine datum manu Christopheri totum conscriptum, quibus er cetera sui consilii indicia hoc etiam illis significant: pro ea fama, qua ad caesares et magnos reges pollerent, non diu Deo dante exspectandum s esse, ut in aliquo magni momenti negotio usui illis esse possint, qua nen de re non licere sibi scribere putant. Et alio in loco: communicatio- n eorum cum ipsis nonnullos hic in Polonia laesuram. Sed ex ipsis eris melius intelligi posse, quorum exemplum infra sublectum est [1]) . . . .

Post Nizoviorum litteras producta fuere ab Instigatore Mtis R. certa imonia, quibus ostenderetur eam consiliorum communicationem, quae fuit ternario isto numero: marschalci, Samuelis et Christophori fratrum, ad em regis pertinuisse. Prolatumque fuit in primis testimonium Nobilis anislai Goslawski, qui profitebatur: unum ex ternario isto numero, rem Samuelem, agitasse quaedam secum et cum socio suo Nobili Boxiczki nece regis idque se et Boxiski, qui interfectus est, statim ad aulicum R. is Joannem Porudinski detulisse, cuius testimonii series atque verba infra ita sunt:

Gdyśmy się z Krakowa wyprawowali do Rusi przeciwko Tatarom za Mcią Panem Kanclerzem, w ten czas Pan Samuel tam przyjechawszy ami się poznał. A iż mu w drogę było z panem naszym ku Lwowu yjeżdżając rozkazał zsieść z swego woza chłopiętom a kazał zostać Bo- zkiemu a mnie. Tam jadący począł mówić na J. Mci P. Kanclerza ko- nego, że mi ten pies dał leżą we Złoczewie a przysięgam, że go zabiję. afiamci wróbla w łeb, żebym i onego nie miał trafić między oczy. Ale nic. Mam ja tego psa zawsze w mocy, kiedy ja zechcę, tedy ja onego biję. Wolę onego psa Węgierskiego; mamci ja już konie na to prawie bre i chłopy czyste, którzy mi tego obiecali pomagać, jeno nie wiem, órymby go sposobem pożyć. Chciałem z lasu, w którymby mię nieprzy- iel nie postrzegł — i ukazał podobieństwo tak daleko, jako przez stajanie o kąszczak mniej — a toż tak bych ja chciał, coby mnie nieprzyjaciel nie dział, jeno go ja. Bo kiedy będzie mię widział a kiedy mię postrzeże, tedy na mię ma serce jako ja nań, ale ja chcę, żeby ja nań tylko serce miał, on na mię. A toż bych ja tak chciał z karczmy gdzie przy gościńcu warszy się, jako lud jeżdżący przed nim odjeżdżają go, a za nim daleko dojeżdżają go, a toż z obu stron plac wielki, jeno sobie trzeba miejsce

[1]) *Następuje list wydrukowany u Rzeczyckiego i Paulego p. 43.*

AKr upatrzyć, coby dobrze w bok ujeżdżać. Tu o tym myślę: do Włoch źle, do Francyej źle, do Moskwy źle, do Turek źle, do Węgier po diable, na cesarską stronę umyśliłem. Któż mię będzie gonił? Jeśliby gonił, nie daleko na cesarską stronę, dojechawszy na Śląsko, to dalej niechaj goni, abych jemu kazał miasto zamknąć na godzinę, tedy ten, co mię goni, zabawi się a ja w tym daleko ujadę. Obierzem cesarza za króla a tym, coby przy mnie byli, obiecuję je ubogacić cnotliwym słowem, pierwej niż sam do pirwszego stopnia przyjdę. Po onego psa kiedym do Węgier jeździł, dałem mu pościel atłasową kosztowną, barzo piękną, dawałem konie, dawałem, com miał, nie pamięta na to. Kiedychmy wyjeżdżali ze Złoczewa, kiedy mi chciał dać konia, jam rzekł: Będzie to wczas, Miłościwy Panie, nie zginieć mnie koń u W. Mci; kiedy będę miał jachać do Polski, tedy poń do W. Mci wstąpię. Tam już wyjechawszy milę od Złoczewa do Lwowa jadąc szedł do karczmy i puszczał Pan Zborowski z Ryssiewskim zawody. Na żegnaniu mi rzekł: Panie Gosławski, przyjedź do mnie, to cośmy z sobą na wozie mówili, sprobujem tego a dali Bóg nie przegramy. Po długiem namawianiu Pana Samuelowym mnie i Boxiczkiego mówiliśmy z sobą i z Boxiczkim: Wielkie to są obietnice, ale szkodliwe podobno. Wtym rzecze Boxiczki: A wieszże co? Poradzim się Pana Porudyńskiego, bo on przedsię nie głupi. Rzekłem: Dobrze, aleć się nań król gniewa. Potymem mówił Boxiczkiemu: A pojedzieszże do Pana Porudińskiego? Powiedział: Będzie to wczas. W ten czas obaczyłem, że chodził sam do niego, pytałem go: Albo W. Mć był w tej sprawie u Pana Porudińskiego? Byłemci, ale owo nie powierza, chytry, nie wiecie, co mi rzekł? Takowe plotki palem pachną, ale jednak wiecie, coście powinni Bogu, Panu, cnocie swej i Rpltej. Wtym obawiając się, aby się tam Boxyczki sam nie pośpieszył a mnie wydać nie chciał, szedłem do Pana Porudinskiego i pytałem go: Poco do W. Mci Boxiczki chodził? Powiedział Pan Porudinski: Tak w dobry obyczaj. Pytałem go: Nie wspominał co przed W. Mcią strony Pana Samuela? — Wspominałci, alem go nie rozumiał a tych takowych rzeczy nie rad barzo słucham i mam je za plotki. — Jam rzekł: I nie wierzy W. Mć temu? Takci jest, miał ci mnie i Boxyczkiego Pan Samuel do wielkich rzeczy barzo nie uczciwych, ale się z tego jemu wymówiłem i boję się, aby kto czego nie zbroił, a to na nas nie klasnęło. — Wtym rzecze Pan Porudinski: Wiesz, coś powinien cnocie twej i szlachectwu swemu a tak i owszem, byś nie został winien, godzić się w tym poczuć, bo te rzeczy haniebne i niesłychane w Polsce. Ja wtym myśląc, co dalej czynić i myśląc więc: Boxyczki i mnie i kogo w tym wyda, zaczym będę w niebezpieczeństwie, nie ufając już i Boxyczkiemu umyśliłem się z tym uciec do J. Mci Pana Kanclerza i jemu to oznajmić. Stanisław Gosławski ręką własną podpisuje ssp.

Stanislaum Goslawski secutus est Joanes Porudinski, ad quem AKr
—es delata fuit, cuius etiam testimonium adscriptum est:

Pytać mię raczył J. K. Mć, jeżeliby co Gosławski z Boxyczkim mu —ie powiedzieli z strony Samuela Zborowskiego. Zeznałem, żeć to rzeczy —i mnie są niepodobne, ale iż to powiedzieli jako Boxyczki z Gosławskim, —eby Pan Samuel wspominać miał: By mi się król jako odgodził w łowiech —a stronę z Ferensikiem, żeby więcej nie łowił. Wprawdzie rzekłem im, żeć —akowe wieści palem pachną, jednak o waszą skórę idzie, wiecie, coście po-winni Panu, pomazańcowi Bożemu, i cnocie swej, ślachectwu swemu; poczujcie się w tym, jeśli to tak jest, jako powiadacie.

Post hos Samuel Laski de aliis quibusdam Christopheri ad illum litteris et quae ex illis meminerat testabatur, cuius etiam testimonium infrascriptum est:

Gdym był we Złoczewie u nieboszczyka Pana Samuela, przyniesiono mu list od P. Krzysztofa Zborowskiego, brata jego, własną jego ręką pisany, który widziałem i czytałem. Miał to w sobie, że narzekał w nim Pan Krzysztof na Pana Samuela, iż się na Niż gotował a tak się gotował, że i z działy szedł et cum summo stipendio, pokazując mu to, że nie na czas droga, aby sobie przypomniał, jaki jest związek i nodus między nimi trzema bracią nie tylko jednego porodzenia ale i jednego porozumienia i jednej woli, dając mu i to znać, że Polonia turbatur, Livonia novis agitatur turbis, co wiedzieć, jeśli jaki Boreas a septemtrione nie huknie, leda w dzień będzie mogła trefna occasia przypaść, zaczym rzeczem: erigamus capita nostra, quia venit dies et hora. Przypomina potem duo consiliorum g^enera: pierwsza kusić wszelakich środków u Króla J. Mci dworu do podparcia rzeczy swych, za którymi jeśliby ptacy nie leciały, tedy drugie consilii genus było ono, na trawie cośmy rzekli sobie trzymać nie bez przysięgi. Na Pana Gnieźnieńskiego narzekał, że ich nietylko odbieżał, ale wydał i zdradził. Przypomniał i to, że messis in herba est, już nam drugiego spólnego zjazdu było potrzeba, a W. Mć nas odjeżdżasz, brat taki, bez którego my dwaj nic nie chcemy ani możemy. Były potym racye i długie, któremi odwodził Pana Samuela od tej Niżowej drogi a konkludując perswadował, aby Niżowe Kozaki in fide upominki zatrzymał, posławszy im gorzałki, saletry, strzelby etc.

Ipsius etiam Samuelis Zborowski confessio ultro et libere, cum ad mortem eundum illi esset, facta adferebatur, quae fuit eiusmodi: Quod cum missum ad illum fuisset officium castrense, loci nimirum vicecapitaneus, ut diem sequentem exequendi decreti contra eum lati et mandatorum regiorum dictum (!) ei significaret utque animae suae saluti et peccatorum expiationi in tempore prospiceret eum admoneret, illum postquam necessario eum sibi instare intellexisset, in haec verba prorupisse: Non immerito se in hunc locum a Deo pertractum, exposcere a se poenas sanguinem humanum, quem

AKr toties ipse fuderit, nunc demum non impune se fudisse intelligat, simulque septem manu sua se interfecisse dixit. Cum vero sub vesperam eius diei, antequam supplicium de ipso caperetur, capitaneus arcis Cracoviensis, Mcus Joannes Zamoyski, regni cancellarius et exercitus generalis, ad eum accessisset interrogatusque ab illo esset de litteris a puero eius ad R. Mtem delatis, sponte atque libere varia contra R. Mtem tractata eorumque omnium autores fratres suos, Christopherum et Andream marschalcum, fuisse commemoravit, in quos et casus eius sui omnem culpam contulit; spem nonnullam in Livonicis tumultibus, aliquam etiam in animorum exacerbatione, quae per Poloniam esse putaretur, posuisse eos dixit, summam consiliorum omnium eo retulisse, ut externum principem aliquem reperirent, cuius autoritate niterentur, subindeque interim in Poloniam recurrerent tacitisque apud nobilitatem criminationibus R. Mtem invidiae nonnullorum obnoxiam in maiorem invidiam atque odium adducerent, quo tandem impune eius interficiendi locum sibi facerent; utrumque autem brevi consecuturos se sperasse, caedis etiam faciendae vel in ipsa venatione, in quam saepe exiguo cum comitatu excurrere R. Mtas soleat, facultatem sibi non defuturam. Potissimum vero vocem hanc a Christophero in consilio suo iactatam testificatus est, eundem ante etiam, tempore primi ingressus Cracoviam R. Mtis, e domo quadam caedem eius cum Cziolek ac aliis quibusdam sociis machinatum fuisse. Cum quibus consilia tumultus concitandi agitarent, fratribus suis notius esse, sibi minus constare, partim quod sua tanquam hominis rudis opera potius in exsequendis, quae ipsi designassent, quam consilio in designandis rebus uti voluerint, partim quod tanquam bannitus minus multis convenire minusque libere consilia agitare potuerit. Habuisse notas quasdem eos, quibus in scribendis inter se litteris uterentur, cuius generis litterae a Christophero ad Marschalcum scriptae cum ad se aliquando pervenissent, quod intelligere eas non potuerit, ad Marschalcum eas se remisisse. Cum quid esset, quod de privatis criminibus commemorasset, interrogatus fuisset, in primis Turcam se penes se habuisse dixit, a quo artem magicam discere voluerit uxoremque eius mulierem Turcicam non modo adulterasse, verum in eodem cum uxore sua contubernio habuisse. Cumque accidisset aliquando, ut ientaculum uxore sumente minister Badowski quidam ingressus frustum panis butiro illitum quasi indignabundus, quod marcidum butirum esse diceret, de fenestra deiecisset ac idem uxor fecisset eaque res tanquam adulteri cum ministro indicium a Turcica muliere delata ad se fuisset, ab eademque instigatum verberibus paene uxorem innocentem se exanimasse parumque ab eo abfuisse, ut iam humi prostratam exanimem omnino eam conficeret, nisi casu aliquo Deus propositum id eius avertisset. Eam rem se Trepka, nobili cuidam, concredidisse atque consilium cum eo de trucidando illo ministro communicasse deinde dixit, cumque ad alios promanasse eam [rem] intellexisset,

Trepkam sua manu se interfecisse secretoque in merica quadam eum sepe- AKr
iisse. Tum vero tot alia scelera admissa a se dixit, ut non modo sine dolore
verum taedio etiam, si omnia commemoranda sibi essent, enumerare non
posset, in memoriam etiam omnia sibi revocare difficile omnino sibi esset,
cum praeter septem, quos sua manu interfecisset, multi culpa etiam sua,
maxime dum vim in oppidis fecerat, periissent. Post haec mane sequenti cum
eam iam ad supplicium esset iturus et denuo missus ad illum esset Iudex
castrensis loci eiusdem cum provido Ioanne Czwikla, ministeriali generali,
qui de iis, quae contra Mtem R. agitata pridie confessus fuerat, denuo eum
interrogaret, coram iis libere iterum ea confirmavit et confessus est.

Quibus quidem omnibus ita de machinationibus in vitam et salutem
ac dignitatem Mtis. R. per dictum Christopherum cum duobus fratribus initis,
litteris, signis, testimoniis et propria Samuelis confessione deductis et com-
probatis, cum aliquot verbis ab Instigatore commemoratum esset,
non novum istis ipsis fratribus eiusmodi consilia perniciosa in suos principes
agitare esseque nonnullos praesentes et ex iis unum senatorem, qui ex
mortuo Samuele fratre audivissent, illos etiam de regis Sigismundi Augusti
nece quaedam agitasse ordinemque illius patrandae fuisse ab eo explica-
tum: post haec ad probandum crimen aliud, proditionis nimirum
praestitique Moscho sub belli tempus, quod tum Mti Regiae et universae
Rpcae cum illo intercedebat, per eundem citatum Christopherum Zborowski
iuramenti et acceptae ab eo pecuniae communicationisque cum ipso et le-
gatis ipsius consiliorum ab Instigatore est descensum. Quod crimen
impium et contra patriam ipsam, procreatricem et altricem suam, susceptum
testimonio inprimis et exacta narratione Wilchelmi Pepler, civis Derpatensis,
uti infrascriptum est, comprobavit.

Vilchelmus Pepler Derpatensis hoc tempore in Livonia civis R. Mtis
Vestrae subditus, a pueris in Moschovia versatus ibidemque vinculis solutus ultra
viginti annos interpretis Germanici munere fungi coactus, hoc testimonio notum
facio palamque fateor: Nuntium Ophanassi Rezanoffi a M. Duce Moschoviae ad
Caesaream Mtem seque cum eo interpretem potissimum Samuelis et Christopheri
Zboroviorum causa missum fuisse eo plane tempore, quo R. Mtas Lukos oppu-
gnare parabat. Praetextus autem huius nuntii is fuit, ut id ageret, quasi vellet
Magnus Dux cum Caesare contra Turcas et quosvis alios hostes confoederatio-
nem inire eo proposito, ut interim, dum R. Mtas in sua provincia bellum gerit,
ipse M. Lituaniae ducatum, Caesar Poloniam occuparet. Hic nuntius Opha-
nasi litteras a M. Duce ad Christopherum Zborowski attulit (uterque enim
antehac et Christopherus et Samuel suas Zachariae Sucherski priori inter-
nuntio litteras ad M. Ducem dederant) idemque Ophanasi nihil Pragae habuit
antiquius, quam ut cum Christophero occultos, maxime nocturnis tempori-
bus, tractatus haberet, quam ob causam Christopherus in hospitio Moscho-

Kr vitico Auff der Bassthaien appellato assidue versabatur. Ubi vero illum inter nuntius hortaretur, ut ad M. Ducem iter susciperet promissaque in litteris facta de pecunia grandi, provinciis, arcibus, oppidis et populis sibi dandis sequeretur, pecuniam ab internuntio in viaticum petiit, qua sine in viam se dare non posset. Cum autem internuntium Pragae pecunia deficeret, tempus appendendae Lubecam Christophero praestituit. Secutus itaque Christopherus internuntium Lubecam, ubi instante illo de pecunia, mutuo mille talerorum summam a duobus mercatoribus Lubecensibus: Henrico Silchorsth et Zacharia Maier, accepit internuntius ea conditione Christophero eam daturus, ut M. Duci iuramento se astringeret. Fecitque ius iurandum Christopherus ibidem ea forma duobus digitis super Evangelium extensis et positis: Ita me Deus adiuvet in regno suo ad rationem animae meae salutis, volo Caesari et Magno Duci Ioanni Basilio totius Russiae domino fideliter servire illique fideliter adesse et ea, quae cum internuntiis ipsius constitui, omnia praestare. Aderant huic iuri iurando tres tantum: Ophanasi, Christopherus et ego, qui ut interpres formam iuramenti praeivi. Ut iuravit, eos mille talerot internuntius ipsi dedit admonuitque, ut ad M. Ducem secum proficisceretur, sed cum hieme tum non navigaretur, rediit Christopherus Pragam, ut se ad iter Moschoviticum institueret. Internuntius per hiemem mansit Lubecae, formam iuramenti M. Duci per unum ex illis, qui pecuniam dederant mutuo, Zachariam Maier, remisit per continentis litora usque Rigam, unde duorum civium Rigensium opera per Kokonchauzen e provincia evasit. Id vero R. Mti cognitum est, ex quo capitalis criminis reos istos cives in vincula coniici iusserat, sed postea precibus civitatis Rigensis vitam eorum donavit. Mansi autem ego hieme cum Ophanasi, donec alius internuntius Thomaszwnek [1]) ad Caesarem et Pontificem expeditus per Daniam Lubecam appulit. Is inter cetera ad me mandatum habebat, ut sibi pro interprete adessem. Habebat etiam a M. Duce ad Samuelem Zborowski litteras eodem plane sensu, quo priores ad Christopherum allatae erant. Has ad Samuelem me praesente Christophero nuntius tradidit, qui recepit proprium tabellarium se cum illis ad fratrem missurum. Posteaque Pragam veniens vocatus sum ad marschalcum Caesaris Dominum de Tytrichstein ab eoque interrogatus, an, ut aliunde cognoverat, Christopherus Moscho iuramento se obstrinxisset, rem gestam Lubecae illi exposui; ille haec ad Caesarem detulit, qui me ad se vocari iussit de totaque re percontatus est per eundem marschalcum. Ferebatur post Christophero aula a Caesare fuisse interdictum. Reverti ego his actis tum ego (!) Sthoma in Moschoviam. Iterum autem ipse dux me in Germaniam misit, ut ad se Hieronimum Schotum magum adducerem, quo

[1]) *Tomasz czyli Istoma Szewrygin zwał się goniec wysłany w sierpniu 1580 przez Iwana Groźnego do cesarza i papieża.*

praediceret, quantum de suo regno Rex Poloniae occupaturus illo bello AKr
et. Nunc Derpati habito et sum R. Mtis fidelis subditus et servitor. Illos
em mille taleros Lubecae mutuatos non potuisset Zacharias, qui Mosch-
m iverat, habere, nisi a Ioanne Zulaff doctore, qui tum in Moschovia
ebatur, nunc autem habitat Gedani, apud M. Ducem eo in negotio adiutus
set.

Vilchelmi Pepleri testimonium secutus est Mfcus Albertus a Lasko,
atinus Siradiensis, qui publice coram R. Mte et universo senatu de se
deque Moschovitico isto crimine et Samuelis de Regis nece verbis
am habitis ita locutus fuit [1]): . . .

Post Siradiensem Palatinum Gsus Petrus Choienski, pocillator
hiducis Maximiliani, citatus ad perhibendum testimonium ita publice in
atu testatus est [2]): . . .

Illum secutus Petrus Rasz, tribunus Magnae Gieldae Rigensis:

Mihi probe cognitum est duos cives Rigenses, Ioannem Medelidorum,
Engelhoristhein Argena, ante aliquot annos fere eo tempore, dum R.
as, dnus noster clementissimus, Vieliko Łukos obsideret, in carcerem
enatu Rigensi compactos fuisse eam ob causam, quod ii civi cuidam
becensi aut nuntio per tractum Lenovartensem ad arcem usque Leno-
tensem viam aperiri curassent, quam arcem adhuc dum Moschus praesidio
ebat, qui deinde ad intercessionem senatus Rigensis et aliorum dominorum
R. Mtem, dnum nostrum clementissimum, vita donati sunt et ex car-
e dimissi. Idque non tantum ego, sed universa Rigensis civitas et Livonia
is habet exploratum.

Additum his fuit de fassione Oscik, qui cum ob proditionem cum
scho agitatam condemnatus fuisset, de communicatione consiliorum cum
scho Samuelem etiam et Christopherum incusasset.

His ita ab Instigatore prolatis addidit postea, se non dubitare, quin
is probata essent a se, quae citato in citatione obiecta sunt, nimirum
chinatum illum esse contra Mtem R. factionem et occulta consilia ad
bandam Rpcam molitum esse, peregrino principi, cum quo Mti R. bellum
ic fuerat, operam addixisse. Haec, inquam, omnia nonne satis aperte manu,
eris signoque citati ac testimoniis plurimis in medium adductis demonstrata

[1]) *Tu następuje zeznanie Ł. dosłownie (prócz odmianek bez znaczenia) zgodne z podanem wyżej w dyaryuszu str. 106—110 jako tekst* **KDJ**, *z tą tylko różnicą, że w wyroku po słowie:* wiedział, *jest jeszcze dodatek:* i prosiłem W. K. Mci zarazem, aby mię W. K. Mć z nim zwiódł, ym mu w oczy to mówił. O co *i t. d., zob. str. 110 wiersz 3 od góry.*

[2]) *Tu znów zeznanie Ch. dosłownie tak, jak je daje tekst* **KDJ** *dyaryusza, str. 104—106; końcu jednak po słowach:* mogą dać sprawę, co tam za słuchy na ten czas o tym były — *ano tu jeszcze:* Pytan był zatym, jeśliby wiedział co o wzięciu przezeń pieniędzy jakich od ów Moskiewskich. Powiedział, że tak słyszał, iż wziął coś.

AKr videri? Regem ab illo mendacem, levem, impudentem, idolum, indignum nomine regio, tyrannum in litteris vocari, tam consilia quam coniuratio in gramine Zboroviano inita, quam alte in corde suo radices egisse iurat. Altera coniuratio ex tota progenie facienda, sollicitatus miles finitimus, Nizovii nimirum. Quorsum ista? Ut experiretur rex iniquissimo tempore illos a se lacessitos esse. Quid? de addicta hosti Rpcae belli tempore opera, an non satis demonstratum est clarissimis et evidentissimis testimoniis atque rebus? Deprehensa fuit Catilinaria in Romana republica; si huic comparetur, non tam manifestam neque tam evidentem fuisse. Quid Lentuli in illa ad Catilinam litterae, quam breves, tectae, sine nomine etiam scriptae? Ad Allobroges vero non nisi quod legatis fidem faceret. In his autem causa odii et maledicta, animus in principem hostilis, consiliorum ac coniurationis significatio, sollicitatio militis, captatus favor nobilitatis; quibus accedunt gravissima multorum testimonia et conscii unius mortui confessio. Itaque nihil restare amplius, quam ut citatus earum rerum eorumque criminum, quorum causa in iudicium vocatus est, reus esse a Mte R. pronuntietur et iustissimo decreto condemnetur.

Ad ea plenipotens citati cum difficile sibi esse statim respondere dixisset propter multas atque graves res ab Instigatore in accusando adductas plurimaque testimonia, petiit sibi dari in triduum dilationem ad respodendum actaque et producta ab Instigatore communicari. Quod cum Instigator Mtis R. insuetum et inusitatum in hoc Regno inque ipsius iudiciis esse diceret statimque post factam ab actore propositionem reum ad respondendum teneri affirmaret, S. Mtas R. etsi post factam ab actore propositionem nulla unquam moribus nec legibus Regni istius dilatio concedatur, tamen uti hactenus nihil in causa ista praecipitanter egisset, immo multa parti adversae indulsisset, ita tum etiam rem in crastinum diem distulit, interea tamen, ut plenipotens citati profiteretur, an litteras in medium adductas sui esse principalis agnosceret, decernere dignata est. Quas cum praenominatus castellanus Gnesnensis, frater et plenipotens citati, fraternas esse non negaret manumque ipsius se agnoscere profiteretur, responsio ulterior ad Instigatoris propositionem in crastinum dilata.

In crastino diei praeteritae, hoc est feria quinta ante festum Purificationis Beatae Mariae Virginis *(31 Ianuarii)* Gsus Iacobus Niemoiewski nomine partis citatae, Christopheri Zborowski, ad superioris diei ab instigatore contra principalem suum factam accusationem ita respondit: Tria esse, quae Instigator Mtis R. principali suo, Christofero Zborowski, obiicit. Primum, quod in vitam Mtis R. machinatus sit. Alterum, quod fidem hosti addixerit. Tertium et ultimum, quod litteras contra Mtem R. scripserit. Esse ipsa crimina gravissima et quae ab Instigatore luce meridiana clarius probari debuerant, neque tamen id factum videri. Nam et ex litteris, quae ab

stigatore pro fundamento totius accusationis obiectique citato criminis AKr
nuntur, et ex paraphrasi ac declaratione earum, quam instigator arbitratu
o fecit, nihil eiusmodi, quod tanti criminis tamque atrocis facti citatum
um faceret, demonstrari posse. Se autem certam habere spem S. Mtem R.
nc causam non peregrino aliquo neque imperatorio aut caesareo iure, sed
mestico, Polonico inquam, iudicaturam; neque enim caesarem nos habere sed
gem, non codicem sed regni nostri statuta neque aliter unquam in hoc
gno iudicatum esse quam ex regni statutis. Esse vero statutum Sigismundi
imi de crimine laesae maiestatis non committi illud nisi in personam Mtis
; nihil ea in re suspiciones, nihil coniecturas, nihil commentationes arbi-
atu alicuius factas valere, moribus et institutis nostris privatas litteras nul-
m usquam ad legitimam aliquam probationem ex illis faciendam pondus ha-
ere; chirographa ipsa, quibus vel cavetur aliquid vel fides obligatur, non
lmitti in iudiciis, quod facile adulterari possint, quanto id magis de litteris
ivatis existimandum esse. Istis quidem, quae a Christophero ad Samuelem
riptae dicuntur, nihil contineri, quod ad vitae et salutis Mtis R. discrimen
deatur pertinere; sed tamen clausae litterae sunt veluti occlusus animus
illum, cui scribitur, pertinens, nihil ista ad tertium; indeque natum apud
aiores nostros dictum commune etiam: si quis vel gravissime alteri male-
cat, non tamen in faciem, non esse id curandum; contemnenda, quae in
rgum alicuius proferuntur maledicta. Quod multo etiam magis de litteris
ci posse, ut quae veluti sermonem inter duos habitum complectantur, de
vero non est, quod tertius tanquam in tergum suum habito inquirat
it sollicitus sit. Se quidem paulo superius interdixisse sibi omni iure cae-
reo, itaque non allegaturum se quicquam ex eo neque in auxilium sibi
mpturum, sed exempli causa commemoraturum, quae Theodosius clarissimus
perator rescripto quodam suo praescripsit. Si quis, inquit, maledicta in nos
nferat, si id proficiscatur ab insania, commiserandum, si ab iniuria, remit-
ndum, si a levitate, contemnendum arbitramur. Facile igitur ex istis intelligi
osse, quam vim et quod pondus eiusmodi litterae vel sermones habere
ebeant. Ceterum ad ipsam iurium atque legum rationem ab his, quae iam
icta essent, plenipotens praenominatus citatae partis Jacobus Nie-
oiewski sese revocando, quandoquidem principalis suus Christopherus
borowski nihil horum, quae sibi obiicerentur, agnosceret, petebat ipsius
omine, ut illi tamquam viro bonae famae secundum statutum Regni ea
e re evasio iuratoria decerneretur, neque dubitare se dixit,
uin R. Mtas ea in re ad iuris communis usum atque formam se acco-
modatura esset.

Hunc subsecutus Mfcus Castellanus Gnesnensis, qui
um praefatus inprimis esset, ut quemadmodum prius propter ingenii sui
arditatem petiisse a Mte R., [ut] quae diceret quaeve adferret in medium, ea

AKr clementer et benigne a Mte R. acciperentur, ita etiam tum se maiorem in modum petere ac orare, ut aliquot verba non ad iuris aliquam rationem aut deffensionem, quam non calleret, sed ad officium suum pertinentia liceret sibi apud R. Mtem cum bona ipsius venia proferre. Progressus demum ad purgandum fratrem dixit se, cum hesterna die a Dno Refferendario de litteris, quae fratris esse dicerentur, interrogaretur, respondisse fieri id posse, ut illius sint, etiamsi Dymideczki quidam Leopoliensis in tam accurata diligentia, quae in cancellariis adhibetur, tamen in litteris quibusdam e cancellaria emanatis Mtis R. manum ita imitatus est, ut ne ipsa quidem Mtas R. eam discerneret; ita in aliis quoque hoc idem evenire posse, quare, ut antea, ita tum etiam se non posse satis certo confirmare, utrum sit illius nec ne. De contentis vero litterarum quominus vel respondere exacte vel aliquid, quod ipsa res postularet, adferre possit, dolore se maxime impediri, unum hoc certo confirmare neque Christopherum neque quemquam e domo et familia sua aliquid sinistri de vita et salute Mtis R. cogitasse, quae vero in plurali hisce in litteris proferrentur, se potius et Dnum Cancellarium, per quem stare Christopherus putasset, quominus quaedam a Rege impetrare potuisset, non Mtem R. contingere seque hoc plurali numero comprehendi. Maximum se argumentum fratrum innocentiae existimare, quod cum de litteris hisce sibi a Mte R., postquam ad manus ipsius Mtis pervenissent, ostensis Stobniciae cum illis egisset, ibi tum Samuelem non sine lacrimis testatum esse nihil sibi unquam, quod contra salutem esset Mtis R., volvisse in mentem, incusasse magna cum animi offensione ac iurgiis Christopherum, quod eiusmodi litteras ad se aliquando misisset, quarum causa in magnam apud Mtem R. suspicionem venisset; quod si illi commune quid secum in ea re habuissent vel si quam mutuo coniurationem, cuius arguuntur, fecissent, non tam fortasse confidenter neque tam acerbe pro facti conscientia in Christopherum invectus ille esset; se quidem certo existimare stulte potius et inconsiderate Christopherum offensum aliqua re quam malitiose in dandis hisce ad fratrem litteris egisse. Non igitur locum habere posse declarationem ab Instigatore factam, quae in deterius omnia vertat. Admittendam potius fratrum interpretationem uno eodemque simul tempore diversis remotisque a se locis in eandem sententiam ad se perscriptam, quod illi sane magnam fidem adferre debet. Illorum vero sententia et interpretatio fuit, eiusmodi consilia, quae in gramine Zboroviano a se suscepta essent, fuisse de profectione in Italiam et inde Melitam insulam. Quod vero Nizovios appellarint et litteras ad eos dederint, eo fecisse consilio, ut illis evocatis strenuos aliquos et iaculandi peritos ex iis deligerent, quos secum Melitam deducerent. Haec igitur illorum fuisse consilia, non vero de trucidanda, quod absit, Mte R. Semper illi Mtem R. plurimi fecerunt facientque, quoad vixerint. De dato Moscho iuramento non est, quod Mtas R. huiusmodi obscuro plebeio fidem

ea in re adhibeat; novisse se optime Livones, versatum cum illis esse, cum AKr
praefecturam apud eos sub administratione affinis sui Chodkievitii obtineret, multae apud illos fraudes. Neque vero possibile videri eum mille talerorum causa ad eam rem descendisse; non tam esse res nostras afflictas, ut magno nobis constent mille taleri, esse per Dei gratiam et in domibus et in horreis, quo nos sustentemus. Tum vero si operam ille suam Moscho addixisset, omnino fuisset necesse apud multos eam rem divulgari. Qui norunt morem militiae Germanicae scribendique militem, sciunt solere prius dari a principibus his, quorum opera in conducendo milite uti velint, Besthhallung, istos porro rem cum aliis communicare aliaque nonnulla, quae ad multos demanare necesse est, in istius modi negotio fieri. Adesse hic in hominum corona virum militarem, Ernestum Veyerum, qui hanc esse formam militis conscribendi in Germania optime novit. Non igitur sinistrum quicquam de illo hac in re existimandum aut admittendum esse. Si quid vero acerbius fortasse et inconsideratius iuventute praeceps de Mte R. scripserit, quam scribendum fuit, petere se et orare supplicem per omnipotentem Deum a Mte R., Domino suo clementissimo, ne ob unius errorem potius quam scelus aut culpam familiam universam existimationis atque famae, quae illi sunt praeclara monumenta, aliquam iacturam adire patiatur. Respiceret se fidelem servitorem ac subditum suum, respiceret reliquos miserae et afflictae familiae, respiceret posteritatem, respiceret cognatorum multitudinem, ex qua illi nonnuli in hoc senatu assident, non sineret rem omnium pretiosissimam et praestantissimam sibi perire famamque suam tristiori aliqua nota contaminari, indulgeret benigne condonaretque pro clementia sua superioribus eorum meritis fraternum erratum, a se vero et sua familia perpetuo pro isto beneficio servitia exspectaret. Quod testes attinet, de Samuele Laski hoc se dicere, dedisse illum et ad Samuelem fratrem suum, dum viveret, et ad alios quosdam litteras, quibus cum interposito iuramento his, quae nunc ab illo dicuntur, contraria fatetur; litterasque ipsas legit, quibus ille se purgat, quod neque de Samuele neque de Christophero aliquid unquam dixisset aut confirmasset, praeterquam quod litteras quasdam a Christophero ad Samuelem missas vidisset, quas non sibi tantum, sed aliis multis Samuel ostendisset ex illisque nonnulla, quae meminisset, narrasset R. Mti et Dno Cancellario. De Goslawski illum se non satis nosse dixit, quamvis nonnulla de ipso, quomodo sit natus, ad aures suas perferantur, sed isthunc ipsum, cum Petrus Frikacz de illo quaereret, num aliquid de Samuelis Zborowski in Mtem R. machinatione ad aliquem detulisset, respondisse nihil se unquam de eo scivisse neque narrasse cuiquam. Ad Samuelis fassionem dixit eum iam esse mortuum, si talia crimina doceri conscientia ipsius potuissent, ad comitia reservari eum opportuisse. De Choienski dixit illum non plane suo testimonio culpare Christopherum.

AKr Ad has pro parte citati introductas defensiones tam a Jacobo Niemoiewski quam a castellano Gnesnensi factas instigator Mtis R. respondit, Inprimis vero, quod etsi manum fratris in litteris agnosceret, haesitare tamen videbatur, ne forte imitata esset ab aliquo, cum idem Dymydeczki quidam Leopoliensis in regia manu imitanda antea fecisset: verum illud facile solvitur, unam et alteram dictionem, quod Dymideczki in subscriptione regia fecisset, posse imitari, tam vero prolixas et tam longas litteras impossibile est, ut aliquis imitetur. Quare nullum est dubium veras et genuinas illas esse Christopheri, quod et ipse hesterna die non negavit et cum interpretatus illas esse fratris in una eademque sententia dixit, prorsus confessus est, non ab uno, sed ab omnibus tribus fratribus agnitas illas esse. Non posse igitur eas vocari in dubium, sed pro certis et veris habendas. Quae vero de interpretatione illarum ab eo allata fuere, absurda prorsus videri. Nam quod his, quae in plurali numero dicuntur, se, non Mtem R. designari dicit, ostendunt ipsae litterae et verborum contextus ac res ipsa, alienum id esse ab omni ratione neque horum quicquam, quae in plurali numero dicuntur, in illum cadere posse. Peculiare in illum locum suum haberi in litteris, ubi quod omnia a Rege, quae petebat, impetrasset, quod Regi fidus esset, anathema et Iudas vocatur, ubi de eo circumscribendo agitur; reliqua esse, quae nullo modo de alio quam ipsa Mte R. et fortasse de eo, per quem a Mte R. egerant, Cancellario nimirum, dicta atque scripta sint. Iam vero quod coniurationem in gramine Zboroviano factam peregrinatione Italica ac Melitensi commutat et hanc loci istius interpretationem affert, fatetur magis id, quod res est, coniurationem ab illis esse factam, quam excusat; non videt enim, qui tantopere interpretationi huic innititur, ut id, quod e diversis locis a fratribus sibi in unam eandemque sententiam perscriptum esset, certissimum esse putat, non posse illam ullo modo, si cetera litterarum loca examinentur, subsistere. Quid enim? Si Melitam eundum fuit, quorsum illud: faciendam nobis esse confoederationem, in tota progenie videndum, qui colligit, qui dispergat? Itane tandem suscipere non poterant peregrinationem, nisi in tota familia confoederationem fecissent aut vero in eam ipsi coniurassent? Cur sub involucris, non palam profertur? Et cum ab initio de duabus rebus se scribere et in illis persistere velle indicasset, nimirum quo loco sint apud Regem quidve de eo sibi polliceri debeant, et de profectione ad Nisovios, unde igitur tertia haec de peregrinatione tractatio, etiam vero post tot in Regem convicia, tot minas, aliena ab omni re et ab omni institutae narrationis serie peregrinationis mentio? Tum quaeso, cum tam alte consilium peregrinationis radices in corde suo egisse scribit, quid illa ad finem epistolae tam subita mutatio consilii et de uxore ducenda cura et sollicitatio? Iam vero de Nisoviis secum ducendis quam absurda, quam minime rei conveniens vel ridicula potius interpretatio sane eius pere-

grinationis homines (!). Quod si in peregrinationem Melitensem eos ducturi AKr
fuerant, cur omnes sollicitarunt? Quid vero est, quod in litteris ad eos scribat, communicationem cum illis suam nonnullos hic in Polonia laesuram? Peregrinatione laesura aliquem fuisset? Dubiumne, obsecro, cuiquam esse potest illum plane nihil, quod ad rem faciat, dicere, et cum nihil dicat id, quod res est, ipsam iniquam coniurationem, factam confiteri? Ad cetera veniamus. Testes improbat, at quomodo? Plebeium esse Depatensem. Quid igitur? Non credendum illi esse contra nobilem testimonium perhibenti? At interfuit, at praeivit id praestando iuramento. Plebeius tamen est. Itane, cum in re clara et manifesta teneatur, nihil aliud obiicit quam plebeium esse? Nonne observari scimus in scrutiniis, hoc est investiganda rei aut facti cuiusquam veritate, admitti ad testimonia non modo cives honestissimos, sed ex plebe extrema homines, qui viderint, qui interfuerint? Hunc vero negare non potest versatum in rebus gravissimis apud Moschum, probum et fidelem hominem. Nam quod Livo sit, praetereundum potius quum refutandum videtur; multos esse scimus homines honestissimos Livones. Iam vero testimonium ipsius quomodo ab aliis sit confirmatum, nunc intelligit; nonne audivit e Petro Choienski, cum palam profiteretur de numerata illi pecunia? Hunc ille non plane contra se facere putat. Ac qua in re? Quod de praestito iuramento nihil se certi scire diceret? Ne poterat quidem, res enim sine arbitrio est acta; at de pecunia palam est testatus. Quam ille rem partim pecuniae nominatae exigua summa, partim more ac institutis, quae in scribendo milite Germanico observarentur, excusare vult, frustra tamen. Nam et pecunia ista ei, qui sua non possideret, parva videri non potuit, et Moscho scribendi militis Germani res non adeo fuit perspecta, ut magnopere ea, quae Besthhallung dicuntur, observaret; tum quoque Moschum non tam fortasse in milite conducendo quam in aliis rebus eius opera uti voluisse. Quod vero alterius testis, Samuelis Laski, testimonium attinet, ipsum, cum adsit, pro se responsurum, illud tantum non videri praetermittendum, nec minime sibi, uti existimari voluerit, contrarium esse, immo et litteras ad Samuelem olim Zborowski ab illo datas et, quod perhibet testimonium, eandem fere rei narrationem complecti; in litteris ad Samuelem Zborowski confirmat, se nihil aliud scivisse quam de litteris a Christophero ad ipsum datis, hoc idem suo in testimonio fatetur et quae ex illis meminisse poterat, retulit in testimonium. Litterae vero, de quibus testatur, non sunt istae, quae in manus postea R. Mtis pervenerant et quae hic lectae sunt, sed aliae quaedam, de quibus in hisce posterioribus nuper productis ab initio mentionem facit his verbis: »Puto te ex prioribus meis litteris intellexisse« et quae sequuntur. Itaque non est, quod aliqua illi obiiciatur contrarietas aut testimonium ipsius in dubium vocetur. Id prorsus cum litteris congruit. Explicat vero ordinem initorum consiliorum, ut primum tentent omnia apud Regem, quod et fece-

AKr runt; si non succederet, ad illud, quod in gramine Zboroviano iuramento sibi invicem confirmassent, decurrerent, quod iam facturi erant fortasse, nisi Deus omnipotens, qui singularem curam habet de his, qui vices eius in terra gerunt, dissipasset et prodidisset eorum consilia. Sed ut ad alia veniamus, Stanislaum Goslawski improbat. Quaenam vero in re omni falsa illum dixisse arguit? Minime, vero de natalibus ipsius quaedam ad se perlata esse. At noverunt multi, sciunt verum esse nobilem. Ait illum anno superiore mense Maio cum a Petro Frikacz quaereretur, num quid de Samuelis in Regis vitam machinationibus alicui dixisset, respondisse neque se hisce de rebus quicquam scivisse neque alicui dixisse; praeterquam quod cum proscriptus Frikacz [non] sit nobilis integri iuris, testimonium tali praesertim charta elevare non posset, negat Goslawski locutum unquam secum ea de re Frikatium; se in ipso fere gesti negotii puncto Samuele vivo, cum nihil prorsus de aliis ipsius vel fratrum machinationibus audivisset, bona fide ad Dnum Porudinski, quae sciret detulisse. Fricatium ipsum non adesse, ut coram in faciem cum illo hac de re loqueretur, fidem illum verissimo suo testimonio derogare non posse, quod etiam Joannis Porudinski, aulici regii, viri fidei integerrimae, praesentis, testimonio confirmatur, qui ea, quae tum ad illum delata ab ipso fuere, statim Mti Regiae pro fide sua patefecit.

Quo tempore praesentes in iudicio Samuel Lascus et Goslawski in eandem fere, in quam Instigator locutus fuerat, sententiam integritatis suae ac testimonii veritatem publice testati sunt. Samuelis etiam Zborowski professionem ab officio publico iuratisque hominibus exceptam Instigator respondit, eam autem harum rerum autoritatem semper fuisse atque adhuc esse, ut semper officium officio crederet.

Sub hanc orationem assurrexit Illmus et Mcus Dnus Cancellarius idemque capitaneus Cracoviensis ipse, a cuius officio decretum in Samuelem Zborowski executioni mandatum fuerat, prolixeque omnium earum rerum, quae acciderant, totiusque supplicii ratione demonstrata, quod non modo minime invito, sed et benevolo animo apud Regem pro Zboroviis laborarit, vel ipsum Regem testari se posse ostendit, ad supplicium vero istud, quod pertineret, ne pro suo iureiurando in necessitatem vindicandi contemptus legum et exequendi in illum decreti compelleretur, ne in iurisdictionem suam veniret, humanitatis causa saepius Samuelem Zborowski a se monitum esse testes tum alios tum ipsum Castellanum Gnesnensem citabat; cum tantarum rerum commemorationem ab omni eo tempore, quo captus fuerat, fieri ab eo intellexisset, pro muneris sui ratione non negligendam sibi existimasse, adfuisse autem, cum iis de rebus Samuel diceret, homines complures honestissimos ex nobilitate, tum iuratos etiam officiales; quae cognovisset, muneris sui existimasse ad Regem et senatum deferre. Haec ita Samuelem Zborowski locutum esse, certum esse; quantum autem contra

itatum valeant, ipsos iudicaturos. Quod servatus ad comitia non fuerit, AKr
ultas causas fuisse: in primis ne executio decretorum regiorum in dubium,
uod sine maximo periculo Rpcae fieri non posset, vocaretur; ne novus
radus iuris introduceretur; ne inaequalitas aliqua inter potentiores et tenuiores
n nobilitate constitueretur; quod denique custodia eius, cum praesertim sibi
Reipublicae causa Cracovia sub id tempus proficiscendum fuisset, non modo
upra ius(!) ac molestiae, verum et periculi, in tanta praesertim perditorum
ultitudine atque licentia, plurimum habitura fuisset.

Itaque, subiungebat Instigator, frustra Mcum Dnum Castellanum Gnesnensem conatum esse fidem testimoniis hisce derogare; sunt verissima, sunt evidentissima et luce ipsa clariora; et ne in confirmandis illis, quae ipsa per se fidem habent maximam, frustra tempus et opera perdatur, ad ea, quae ad defendendum citatum de iure a Gso Jacobo Niemoiewski petita videntur et hic in iudicio Mtis R. adducta sunt, paucis erit respondendum. Neque enim pluribus de his disputare necesse est, quae in oculis omnium sunt posita. Negat fidem habendam et admittendas esse litteras privatas ad alicuius facti aut criminis probationem, negat suspiciones et coniecturas in crimine maiestatis laesae valere, respuit ius civile, non ex codice, sed ex Regni statutis iudicandum esse. Statuta Regni definire crimen laesae maiestatis non nisi in persona Regis committi; si persona ipsa offendatur, tunc demum crimen esse patratum, conatus et consilia non pensanda, iuris ista esse caesarei, maledicta et convicia in principem impunita esse debere ex praescripto Theodosii. Undenam ista, obsecro, tam violenta, non dico iuris aut legum, sed iuris ipsius naturae interpretatio, ut quae dicta, facta, conciliata, consignata sunt voce, manu, signo ac litteris, ea pro non dictis, pro non factis habeantur? Quid aliud est epistola quam absentis ad absentem sermo? Vivam nos vocem absentium audire credimus, [cum] amicorum litteras legimus; vivae igitur voci de machinationibus, de consiliis in R. Mtem susceptis loquenti non credimus? Manum agnoscit, signum agnoscit, scriptas esse litteras non diffitetur; illis tamen fidem adhibendam negat. Quae igitur, quaeso, probationes, quae documenta proferenda erant? Fortasse ut veluti fundum aliquem aut villam empturus ad acta compareat suasque in Regem ibi machinationes inscribi petat? Hoc enim sentire vult(?), cum chirographa in iudicio non admitti dicit. Ad contractuum ergo rationem coniurationis consilia revocat et nisi publice apud magistratus adhibitis, uti consuevit, iuris solennitatibus testata vel recognita fuerint, illis, quamvis manu, signo firmata sint, non credendum dicit. Quanto melius cum omnibus aliis ea, quae litteris continentur et sunt ad instar vivae vocis, pro confessatis habenda sunt. Sed dico minus de re minima dubia; suspiciones et coniecturas pro iure nostro admittendas negat. Hic ego quaero, cum in criminibus, quae in privatos committuntur, decernuntur scrutinia et facti veritas inqueritur, nonne et qui accusat et qui se

AKr purgat, omnes coniecturas, omnes temporum locorum et occasionum circumstantias colligunt, ut factum vel non factum probent? Quamquam nihil ve agatur coniecturis, res manifestae proferuntur, litterae, signa ac testimonia. Itaque non multum hac de re agam. Ius caesareum repudiat; libenter hoc illi concedimus neque enim nostrum nobis displicet; illi acquiescimus, hoc contenti sumus. Quid vero est in hac causa, in quo nobis ad ius caesareum recurrendum putet? Scio, quid dicat: iure caesareo, iure civili non modo facta conatusque et machinationes, sed et dicta puniri, nostro non item in eoque sibi statutum Divi Sigismundi Primi de crimine laesae maiestatis non committi illud nisi [in] personam regiam, suffragari putat. Ita enim interpretatur: nisi persona ipsa regia offendatur, hoc est (quod procul absit) vulneretur vel interficiatur, crimen non committi. Exhorrescit animus ad interpretationem istam, sed videamus, qualis sit et utrum ita, quam ille existimat, offensionem conatuum et consiliorum ab offensione personae, non autem personam regiam ab aliis personis lex ipsa, quod crimen istud [describit], distinguat. Non multis est opus. Sequentia verba ostendunt sensum: volumus, inquit, in personam nostram locum habere et non in alios, quantumvis publicas personas gerentes, extendi. An non clara et perspicua sunt legis verba? Quocunque ergo modo regis personam quis offendat, non autem alterius cuiusquam, crimen laesae maiestatis committit. At dicta conatusque et voluntatem ac consilia leges nostrae non puniunt? Immo vero puniunt. Qui coram Domino Archiepiscopo turpia verba protulerit, illi mulctam dicit antiquissima ista lex, quae non in archiepiscopum, non in regem, sed coram archiepiscopo, non maledicta, sed turpia verba proferentem punit. Amantes erant honestatis maiores nostri, non ferebant istam verborum petulantiam. Quas illi contra improperia, contra scurrilia verba in privatos dicta poenas capitis poenae executas (!), quas revocationes vix quicquam a turpissima infamiae nota distantes sanxerunt? Nos contra ex rescripto Theodosii impune ferendum censemus, non privatum, sed regem Baalam, idolum, mendacem, levem, indignum nomine regio, satrapam, tyrannum appellari? Quorum nihil est simile eorum dictorum, ad quem Theodosianum rescriptum pertinet. Illo enim de dictis vel ex infamia aut temulentia proiectis vel a levitate effusis aut ab iniuria profectis agitur. Hic quae dicta sunt, huiusmodi ea sunt, ut facinus ab iis nullo modo seiungi possit. Qui enim tyrannum, sceleratum, idolum, indignum nomine regio vocat, is non modo contumeliis, in quem huiusmodi verbis invehitur, proscindit, verum consilium etiam ac voluntatem erga illum suam satis detegit. Itaque in eodem rescripto Theodosiano prudenter in fine adiicitur: unde integris omnibus hoc ad nostram sententiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensemus et utrum permitti an exqueri debeant, censeamus. Idem hic faciendum est, ideoque nostris etiam moribus atque in hac libertate non tamen omnia dicta impunita esse debere.

el ex ipsa citationum formula satis apparet, quae hisce verbis diserte per- AKr
ripta est: Quia tu postposito boni civis et fidelis subditi officio hoc vel
ud in et contra personam nostram dixisti vel (quod absit) machinatus es.
ui autem dubium esse potest, cum rei audacia non modo ex anteacta ipsius
ta, sed illis ipsis litteris manifeste se indicet, quomodo dicta talia, quae
o se facinus in se habeant, accipienda sint? Inter vero illa obiecta, non
cta modo, verum primo crimen Moschoviticum proditionisque contra pa-
iam, quod recte Rpcam ipsam petit, inde clandestinae machinationes, solli-
tationes militis finitimi eiusdemque ad seditiones accommodati, tempus,
cus, opportunitas, captata consilia tandem, propter poenae metum secreto
idem inita, sed tamen ipsa luce meridiana fere clariora, haec certe non
ltem dicta, sed prorsus machinationes sunt; quae si R. Mtas suae clemen-
ae causa condonare citato velit, Rpcae tamen securitatis ac salutis causa,
uam eo exemplo in maximum discrimen adductura esset, negligere ea non
otest. At vero conatus etiam, tales praesertim ac tantos impunitos ex nostris
gibus esse vult? Quomodo? At lex est: Qui coram rege gladium evagi-
averit neque vulneraverit quenquam, vita eius in gratia regis consistat.
onne videt conatum non in regem, sed coram rege factum puniri? Quid
e voluntate et consiliis dicam? Est lex de iniuriosis erga parentes non ita
ridem lata, quae voluntatem etiam et consilium in violandis parentibus poena
alvi conductus, hoc est poena capitis, punit. Rex vero nonne communis est
mnium parens, nonne plus quam parens? Sed videt frustra se conari, fru-
tra contendere, itaque tanquam ad sacram ancoram ad evasionem iuratoriam
onfugit idque sibi beneficio legis de viro bonae famae furti aut spolii accu-
ato sancitae deberi putat. Cui quidem statuto nemo est, qui nesciat, poste-
iore constitutione a. 1565 derogatum esse. Olim enim, cum hoc statutum
n usu esset, plane impunita erant omnia crimina, immo cumulabantur per-
uriis; licebat enim cuivis de scelere quocunque accusato tanquam viro bo-
ae famae iuramento evadere. Itaque cum res ista maxime inconveniens esse
ideretur, lata est nova lex seu constitutio de accusatis pro crimine aliquo,
uae statuit in causis criminalibus permittenda esse scrutinia, indagandam
x testimoniis rei veritatem atque demum, qua ex parte maiora et eviden-
iora argumenta vel criminis vel innocentiae allata fuerint, huic vel proba-
ionem vel evasionem iuratoriam decernendam. Hanc ille legem respuit,
idet enim se nulla innocentiae argumenta afferre posse, illam ergo antiqua-
am in subsidium sumit, quae quantum valere debeat in hac causa, facile
uivis iudicare potest. Nemo esset, qui non libenter id faceret, ut in quovis
etiam manifestissimo crimine ad legis istius beneficium confugeret. Et sane
si lex ista valeret in hac causa, multis, qui regis Sigismundi Augusti tem-
pore et sub Mtis R. imperio hac lege capitis damnati sunt, magna iniuria
esse facta videretur. Non igitur ullo modo ad hoc legis beneficium confu-

AKr gere potest neque illo se tutari obstante constitutione ista posteriore illi iuramentum deferri iubet, qui certiora documenta pro se attulerit; quanta sunt contra illum in hac causa, quam evidentia atque clara, ne esse puto, qui non videat, ut qui velit contra iurare, hunc iuraturu dubitem meridie non lucere.

Ad ea citati patronus dixit: Constitutionem, quam ins adferret, de privatorum inter se actionibus esse sancitam, in causa ve R. Mte intercedente disertis et expressis verbis Alexandri privilegio inculpato purgationem decernendam Contra Instigator mirari s citatum seu plenipotentem ipsius in tota ista causa deteriorem fere R. Mtis supremi magistratus conditionem facere, quam privatorum, q isto ipso loco non ommittit; si quis enim in privatum delinquit, nis aliqua et perspicua innocentiae suae argumenta attulerit, non evadit, autem maiestatem qui laedat quantumvis manifeste, evasionem tan plane et simpliciter decernendam putat. Quae, obsecro, regis erit co Quem omnium tutissimum, omnium sanctissimum esse conveniret, hic q vis machinationibus, insidiis et latrociniis erit expositus, quique alios a vique ac ab iniuriis vindicare debet, ipse non erit tutus? Non sic r nostri existimaverunt, gravissimum illi crimen laesae maiestatis stat nec iniuria. Si enim supremus magistratus, si R. Mtas contemnatur, qu aut magistratibus reliquis aut privatis denique sua constabit tranq Nec immerito ergo quemadmodum apud omnes nationes, ita apud nostros pro gravissima quadam re crimen laesae maiestatis usurpari fuit. Sed ad ipsum hoc privilegium, quo ille suam de evasione inter probare vult, veniamus. Non ea est illius sententia, ut semper ex prae illius evasio citato sit decernenda. Senatus ista arbitrio et iudicio su missa hisce verbis: »Et pro qualitate negotii, ubi aequum et iustum bunt, inculpato purgationem decernent«. Absurdum enim esset in ma et ubi facti plane confessio, quod hac causa videmus, intercedit, illam Itaque adiectum est »pro qualitate negotii«. In levioribus istis delat quae variae et falsae interdum esse solent et de quibus ab initio ho legium ait, hoc non immerito fortasse faciendum esse. Porro de gra aliam hoc ipsum privilegium rationem et formam iudicii tradit, cu »nam fama et vita boni viri etc. maiori et saniori consilio subiiciunt evadendum semper esset inculpato, quorsum igitur istud »melioris et partis iudicium«? Uno verbo dici poterat: evasionem semper decer esse. Sed cum duas partes consiliariorum concludere vult, ut eorum tentiam et conclusionem in decernendo sequatur, manifestum est n sionem illis plane et diserte inculpari, sed quod aequum et iustum exigentia censuerint. Cum vero in causa ista citato instituta cri apertum, ipsius plane confessione, quae litteris vivam vocem repra

us continetur ac testimoniis comprobatur, non est dubium, quod uti in AKr
manifesta citato evasio decerni non possit, sed potius ex parte actorea
bationem per testes faciendam. Esse et alias causas, propter quas citato
sio decerni non possit; quae etsi in tam re aperta frustra adducantur,
d tamen ex iuris atque legum sensu promanant, brevibus commemoranda
entur. Prima est, quod citatus videtur non esse vir prorsus bonae famae,
qui iam bis professionibus supplicio affectorum notatus fuerit: primo
ici, deinde confessione fratris Samuelis, dum iret ad supplicium, eius ipsius
regem machinationis reus esset nominatus, tum quod sex bannitionibus
et banitus.

De Samuelis confessione idem, quod antea dixit, respondit [citati
tronus], ad bannitiones vero, sub interregno illas editas, non ex pro-
su legitimo in statutis descripto, sed vigore confoederationum sub inter-
no factarum; satis etiam factum esse parti, ad cuius instantiam bannи-
nes istae editae essent concessamque bonorum possessionem.

Contra Instigator refutando citato defensionem dixit eandem vim
buisse confoederationes, quam habet processus in statuto descriptus, esse
nes in universum per Mtem R. vigore conventus approbatas, nullum
que dubitandi de illis locum dari. Porro quod parti satisfactum esse dice-
ur, id quidem non doceri nec demonstrari a citato; nullas enim, una solum
epta, citati partis, ad cuius instantiam bannitus est, quietationes illum
ferre, recognitiones tantum ministerialis de admissa possessione recenter
ta, cum iam bannitiones ante decennium contra illum editae fuissent.
rum etiam si et alias partis, ad cuius instantiam bannitus est, quieta-
nes proferret et demonstraret, quod non facit, illud tamen nullo modo
are posset, nisi simul et semel relaxationem a principe factam vel alioquin
blevationem bannitionis sufficientem produceret. Exstare decreta in simili,
ae ostendunt absque principis relaxatione vel sublevatione neminem ban-
um ad iuris beneficia admitti. Quae decreta in evidentiorem rei proba-
nem ab Instigatore demonstrata fuerunt: primum regis Sigismundi Augusti
arszaviae feria quinta ante Dominicam Misericordiae proxima a. D. 1571
er Jacobum Lugowski dictum Kępa et Stanislaum Manowski, vicecapita-
im Lukowiensem, de captivatione per praedictum vicecapitaneum eiusdem
gowski tanquam banniti latum; alterum in Tribunali Regni Lublinensi
ia sexta post Dominicam Rogationum proxima anno proxime praeterito
84 inter Gsos Stanislaum Woyszowicz in Bieleiowicze ac Mroskow he-
dem et Venceslaum itidem Woyszowicz de Smogorzevice editum, quo
nuntiatum est actorem, quod bannitionis relaxationem non produxit,
um standi in iudicio non habere.

His itaque hac, uti praemissum est, ratione deductis et probatis In-
igator Mtis Regiae petebat, quemadmodum litterae citati ab ipso

AKr in praesenti iudicio productae et lectae vim confessionis obtinerent es
que loco vivae vocis, sic vero cautum statuto Cazimiri Magni: non nisi
victos de crimine vel confessos condemnandos esse, ut ipse citatus pr
minatus Christopherus Zborowski tanquam confessus ab evasione iura
repelleretur et obiecti sibi criminis reus pronuntiaretur poenaque debi
illum extenderetur. Cogitaret R. Mtas et universus Senatus, quae desig
quae suscepta ab illo fuissent consilia, quomodo cum immanissimo pa
suae hoste, qui tot annis vel potius saeculis Rpcam eiusque provincia
xaverit et multa occupaverit, multos nobilissimos istius Rpcae cives tr
verit, quosdam teterrimis carceribus afflexerit, alios in vinculis necarit,
eo inquam hoste illum sub id tempus, quo bellum cum eo gerebatur,
silia communicavisse, pecuniam ab illo accepisse, operam detulisse et
iuramento obstrinxisse, contra vero principem atque regem patriae
optime de illa meritum gravissimis maledictis et conviciis impetivi
vitam salutemque ipsius cum ceteris consilia inivisse, militem finitimu
citavisse, Rpcam suo capite privare et in maximum discrimen coniic
statum ipsius immutare et perturbare studuisse. Quae si maneant im
si non vindicentur, videndum esse etiam atque etiam, ne laxatis li
frenis maximum aliquem et gravissimum casum Rpca subeat; quod r
dat, ipsis summo studio providendum esse.

Postquam partes finem controversiis fecissent et Mtas R. cum u
Senatu, quid in eo negotio decernendum esset, consultaret, N u n t i i
r u m omnium, qui per totum actionis eiusdem tempus a Mte R. a
controversiis partium intererant, posteaquam inter se de Alexandri
gio, quod a parte citata prolatum fuit, deque iudicio causae istius c
essent et nonnulli eorum ita hoc Alexandri privilegium urgerent, ut R
a iudicio istius causae debere abesse existimarent, alii vero contra
gium ipsum admitterent et probarent, illud tamen ita interpretarer
Mtas R. interesset ipsa in iudicio, in decernendo vero iuxta tenorer
legii et Henricanam constitutionem daret operam, ut senatum ad una
demque sententiam adduceret, si minus id posset, duas Senatus
meliores in decernendo sequeretur; tandem vero r e ad s e n a t u
l a t a ipsisque postea Nuntiis omnia ad amussim excutientibus c o n
ut privilegio Alexandri regis conservato ita, ne quid posterioribus c
tionibus derogaret illique similiter constitutiones, Mtas R. ea uti dict
ratione iudicium cum senatu eius causae perageret, ut senatus de fac
decerneret, Mtas vero R. decretum ferret.

Igitur Mtas R. auditis prima vice Senatorum Regni sententii
iterato deinde audiendi illi essent et forte tunc J o a n n e s Z y l a f f
cus ducis olim Moschoviae Joannis Basilii, qui aliqua etiam de Chris

cum Moscho consiliis cognita habebat, venisset, introductus fuit in Senatum AKr et ita de isthoc negotio testificatus est:

Joannes Zylaff Grewinganensis ex Phrisia occidentali, medicus physicus magni ducis Moschoviae Joannis Basilii, quae mihi nota sunt et fuerunt in aula Moschovitica, palam fateor. A. 1581 si bene memini, mense Januario, Lubecensis quidam mercator, Zacharias Maier nomine, cum alio quodam socio, cuius nomen mihi excidit, per continentem per tractum Curlandicum ad magnum ducem Moschoviae venerat. Is litteras ad magnum ducem Moschoviae a Christophero Zborowski attulit, quas Bogdano Jakolovicz Bielski, primario et secreto consiliario magni ducis, ut ipsi duci redderet, tradidit. Quod ut Bielski fecit, eas ipsas, quod Germanico idiomate essent conscriptae, Paulus Janczken Bohemius bello quondam cum Suedis in Livonia captus in secreto quodam, in quo pharmaca magni ducis asservabantur, cubiculo m. ducis interpretatus est. Post duos deinde vel aliquando amplius menses rogatus sum a Zacharia Maier, ut negotium ipsius de pecunia, quam Lubecae Ophanasio mutuo dederat, promoverem. Feci id et admonui Bogdanum, ut nummos istos commodatos restitui huic Zachariae procuraret Respondit secreto Bogdanus: Si nosses, quae fuerit huius mutui causa, non urgeres. Tum praeinsertis litteris usque a summo complicatis subscriptionem tantum mihi ostendit quaesivitque, num possem legere. Legi nomen ascriptum Christopheri Zborowski lectoque deposui litteras neque quicquam ulterius volui percontari. Ipse tamen addidit se alio tempore, quid rei verteretur in eo, mihi tanquam amico confidenter narraturum. Postea cum quodam die una cum illo ex aula irem domumque ipsius essem ingressus et tum Zacharias Maier sese ad ianuam obtulisset, conversus ad me Bogdanus tacite dixit: Fastidiosum et molestum mihi est hominem hunc videre, facile pecuniam ipsius procurarem, si esset in re honesta. Cum admirans de ipso, quid huiusmodi esset, quaesivissem: Hic, inquit, pecuniam istam, quam repetit, mille talerorum Lubecae Ophanasio mutuam dedit in eum usum, ut eam Ophanasi Christophero Zborowski in pignus et confirmationem praestiti coram ipso Lubecae in verba nostri ducis iuramenti daret, quod quidem ita Christopherus fecit, ut se obligaret huc venturum bellumque nostri principis auspiciis regi Poloniae patriaeque ipsimet suae facturum. Iamque eas litteras, quarum autographam subscriptionem tibi monstravi, nuper ad m. ducem Christopherus scripsit, quibus certum tempus praefixit, in quo petiit a m. duce sibi responderi; si id eo intervallo factum a duce non fuerit, se iuramento solutum fore. Iam itaque hoc ago, inquit, ut hoc tempus effluat et interim huius negotii dux non recordetur, quam illi in memoriam revocarem, si pecuniam istam ab eo peterem. Favebat autem Bogdanus Sermo Regi Poloniae et eo, ut mihi tum indicavit, promovebatur, quod pacis spes omnis, si Christopherus in Moschoviam veniret, intercideret continuaque bella illo

AKr incitante essent exarsura magno nostro malo, ut dicebat; et addidit etiam, quod Serinus Rex adeo sit bellicosus et fortunatus, m. dux autem inter ancillarum et muliercularum greges deses sedeat. Traxit itaque rem in aestatem, donec Ophanasi Rezanoff supervenit. Is demum m. ducem rei istius admonuit, cum iam tempus constitutum lapsum esset, idemque pecuniam Zachariae procuravit. Tale enim chirographum ipsi Lubecae dederat: Si m. dux pecuniam istam praestare nollet, se eam de suo praestaturum. Hoc ego prorsus modo de Bogdano Bielski intellexi idque hoc testimonio testatum facio.

Testimonio Joannis Zylaff exaudito cum altera vice sententiae a senatoribus maxima cum deliberatione dictae essent omnesque concordes penitus fuissent et in unum convenirent, Mtas R. ad sententiae definitivae prolationem in causa praesenti accessit.

Antequam vero ipsa sententia definitiva per S. Mtem esset prolata, cum citati procurator, Thomas Bonieczki, notarius castrensis Radomiensis, controversias quasdam, praesertim de bannitionibus citati et confessione cum Oscik tum Samuelis repeteret et quod illam attineret, vicecapitaneus Vilnensis de ea interrogatus non compertum sibi de illa esse dicere affirmaret, de Samuelis autem fassione eam ex actis castrensibus Cracov. ab officio per citatum requisitam esse, obtineri tamen non potuisse neque in acta eam inductam esse, de Oscik iudicio testimonium Ill. et Mfici Alberti Radziwił, ducis in Olika et Nieswiesz M. D. Lith. Curiae Marschalci, introductum fuit; qui sequitur tenor is:

Ja Albrycht Radziwił, książe z Olyki i z Nieświeża, Marszałek nadworny wielkiego księstwa Litewskiego, starosta Kowieński etc. iż J. K. Mć, nasz miłościwy Pan, rozkazał, abym o tym wszystkim, co sługy Osczika niedawno skaranego na męce swej o Samuelu Zborowskim zeznali, świadectwo dał, tedy acz w ten czas o tym niemało ci więźniowie napowiedali, żem ja tego za rozkazaniem J. K. Mci jako Pana Miłościwego, który na ten czas temu wierzyć nie chcąc, nie kazał tego ani w proces ani w akta inserować, przeto też tego tak dostatecznie de verbo ad verbum nie pomnię. Acz to, co jeno mogę pomnieć, powiadam: iż dwaj słudzy Oscikowi, z których jednego imienia nie pomnię, ale drugi, Bartoszek nazwany, naprzedniejszy sekretarz jego, i przez męki i przed męką zeznał, kiedy odemnie pytany był, jeśliby nie wiedział kogo inszego, któryby o tej zdradzie wiedział, odpowiedział, że nie wiedział, oprócz co mu jego pan częstokroć powiadał, że jako inszy posłańcy tak i ten ostatni goniec Naszczokin upewniał go w tym, że posłowie bywali z niemałymi podarki posyłani do P. Samuela nieboszczyka Zborowskiego od w. kniazia, któremu on i z drugą osobą obiecował był do Moskwy jechać. I upewniał ten goniec, że to pewnie miało być, ale jakom naprzód namienił, iż J. K. Mć nie wierząc temu na ten czas

dalej mi o tym inkwirować nie kazał, przetom też ja więcej się nad rozka- AKr
zanie J. K. Mci nie domyślając ani na samym Osczíku ani na sługach jego dalszej inkwizycyej o tym nie czyniąc, co jeno przed urzędem mym było, ostatka prze dawność czasu nie pomniąc, świadectwo dawam.

